32
3 H
10

Digitized by Google

32-3-H-10

CAUSA REGALIÆ PENITUS EXPLICATA,

SEU

RESPONSIO

AD

DISSERTATIONEM

R. P. F. NATALIS ALEXANDRI

DE JURE REGALIÆ,

Quæ habetur inter ejus ſelecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capita, ad Sæculum XIII. & XIV. Parte 3. à paginâ 44. uſque ad pag. 275.

Autore M. C. S. Theologiæ Doctore.

LEODII,
Apud HENRICUM FOPPIN,
M. DC. LXXXV.

Superiorum permiſſu.

32-3-H-10

PRÆFATIO.

QUem exitum habitura ſit excitata jam ab aliquot annis circa Regaliam Controverſia, cupidè omnes expectant; ſparſa nimirùm per totum orbem Chriſtianum ejus fama. Quanti ſit illa ponderis, omnes colligunt ex indefeſſo Miniſtrorum Regis Chriſtianiſſimi conatu ad extendendum, per totum Franciæ Regnum, prætenſum hoc Jus; ex conſtanti multorum virorum pietate inſignium, qui gravia quæque perpeti maluerunt, quàm huic extenſioni conſentire; & ex ſolicitudine ſanctiſſimi Pontificis pro impediendâ ejuſmodi innovatione. Verùm ut punctum ipſum quæſtionis, quæ in hoc Opere ventilatur, omnibus innoteſcat, præviè quædam afferenda ſunt ad ejus hiſtoriam pertinentia.

Extraordinario quodam uſu, cujus eſt admodùm obſcura origo, Chriſtianiſſimi Franciæ Reges in nonnullis ſuæ ditionis provinciis, vacantibus Eccleſiis, univerſos fructus Epiſcopales ſuos faciunt, & Beneficia omnia, præter Parochias, pleno jure conferunt; quod jus

 Rega-

Regalia vulgò nuncupatur. Id juris intrà priſcos limites diutiſſimè conſtiterat, præſertim à tempore generalis Concilii Lugdunenſis II. anno 1274. celebrati, cujus Canon duodecimus illud propagare vetuerat. At ſub finem ſuperioris ſæculi Officiales Regii illud ad omnes ejus Regni Eccleſias extendere tentarunt; nec deſtiterunt à cœptis, donec ſe id conſecutos eſſe arbitrati ſunt. Licèt enim Rex Henricus IV. Auguſtæ memoriæ anno 1606. conquerente ſeu ſupplicante Clero Gallicano, ſolenni Edicto declaraſſet, nolle ſe neque intendere Jure Regaliæ frui, niſi eo, quo tum Ipſe, tum ſui Prædeceſſores uſi fuerant, modo, illud ulteriùs non producendo in præjudicium Eccleſiarum immunium; eamque Declarationem confirmaſſet Glorioſæ memoriæ Ludovicus XIII. Conſtitutione anno 1629. editâ articulo 16. contendentibus nihilominus Miniſtris Regiis, tandem anno 1673. promulgatum eſt à Ludovico XIV. feliciter regnante Edictum, quo Jus illud in omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis ad ſuam Majeſtatem pertinere declaravit, iis duntaxat exceptis; quæ titulo onero-

ſo

ſo libertatem ſuam redemiſſent: ſtatuitque ut imposterum omnes ad infulas Epiſcopales promovendi intrà duos menſes poſt præſtitum fidelitatis ſacramentum, tenerentur literas impetrare, quibus manus Regia à rebus Eccleſiarum amoveretur, utque illæ in Regeſta Cameræ computorum Pariſienſis referrentur: Præſules verò, qui jam quidem prædictum juramentum fidelitatis præſtiterant, nec tamen ejuſmodi literas acceperant, eas obtinerent, atque in Regeſtis præfatæ Curiæ computorum deſcribi curarent intrà duos menſes poſt publicationem hujus Edicti; quibus elapſis, niſi huic mandato obſecuti fuiſſent, ſi quæ Beneficia ad eorum collationem pertinentia vacarent, ea omnia, exceptis Parochiis, titulo Regaliæ vacantia, atque adeò à Rege impetranda declararentur.

Huic Edicto in provinciis hactenus Regaliæ non obnoxiis, Epiſcopis multis ſilentibus, aliis vel plenè, vel præmiſſâ proteſtatione obtemperantibus, parêre recuſarunt duo Viri pietate ac zelo excellentes, Nicolaus videlicet *Pavillon* Electenſis Epiſcopus & Franciſcus

Caulet Appamienſis; Eccleſiarumque ſuarum libertatem palàm ac ſtrenuè uſque ad vitæ finem defenderunt. Quocirca cùm Rex Chriſtianiſſimus, poſt elapſos duos menſes in Edicto præſcriptos, Beneficia in illorum Diœceſibus vacantia, titulo Regaliæ concederet, ipſi ſcriptis Majeſtati ſuæ literis, jura ſuarum Eccleſiarum liberè ſimul ac reverenter expoſuerunt; Clericos verò Beneficiis donatos conſtanter, adhibitis cenſuris, repulerunt. Sed Metropolitanis, Narbonenſi videlicet & Toloſano, Aulæ deſideriis ſeſe accommodantibus, iidem Epiſcopi ſummo Pontifici totum negotium per literas ſignificarunt, cauſaque per legitimas appellationes ad Apoſtolicam Sedem perlata eſt, apud quam à pluribus annis pendet ejus judicium. Officiales Regis Chriſtaniſſimi, quò Edicti à ſuâ Majeſtate obtenti fructu potirentur, nullum non moverunt lapidem ad flectendos eos qui renitebantur. Quamobrem Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Epiſcopum Appamienſem Electenſi ſuperſtitem reditibus omnibus ſpoliarunt; Canonicos ejus Eccleſiæ alioſque viros Eccleſiaſticos partim

in

in exilium amandarunt, partim in carceres conjecerunt, Beneficiis privarunt, aliiſque affecerunt incommodis. Hæc ſummatim de facto hujus controverſiæ, quæ alibi fuſiùs, Scriptis etiam typis editis, explicata ſunt.

Quod ad jus ſpectat; Eccleſiarum à Regaliâ immunium cauſa ita hactenus explanata eſt, ut nemini expetenda videretur amplior eâ de re diſſertatio, ſed expectanda ſummi Pontificis ſententia, vel alius controverſiæ exitus. Nam præter Epiſtolas, Decreta, & Acta duorum ſuprà memoratorum Antiſtitum Electenſis & Appamienſis, in quibus hæc materia egregiè tractata eſt, editus eſt anno 1680. Tractatus de Regaliâ Gallico idiomate, de mandato ejuſdem Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi bonæ memoriæ Franciſci *Caulet* Epiſcopi Appamienſis, pro tuendâ potiſſimùm Eccleſiæ ſuæ libertate. Quia verò pientiſſimus ille Antiſtes frequentibus amicorum ſuorum monitis inductus fuerat, ut quamprimùm Eccleſiæ ſuæ jura in publicam lucem proferret, putaveratque ſimplicem ac ferè nudam veritatis expoſitionem defendendæ ſuæ cauſæ ſatis eſſe,

Tra-

Tractatum ejus alii tot acceſſionibus exornarunt; ut iterùm prodierit anno 1681. non tam idem quàm novus Tractatus de Regaliâ. In hoc poſteriore Tractatu fuſiùs aliarum Eccleſiarum jura expoſita ſunt, pleniùs objectionibus reſponſum eſt, plures enodatæ ſunt difficultates circa praxim Regaliæ in Eccleſiis, in quibus ex antiquâ conſuetudine locum habet: unde *Tractatus Generalis* inſcriptus eſt; Gallicè, *Traité General de la Regale*. Præterea eodem anno 1681. typis mandatum eſt aliud Opuſculum cum hoc titulo: *Conſiderations ſur les affaires de l'Egliſe, qui doivent eſtre propoſées dans la prochaine Aſſemblée generale du Clergé de France*: id eſt: „ Conſiderationes circà negotia Eccle-„ ſiæ, in proximis Comitiis generalibus Cleri „ Franciæ proponenda „: quo in Opuſculo de hàc ipſâ materiâ ſolidè ac dilucidè pro Eccleſiarum libertate actum eſt. Vulgata ſunt item alia Scripta eodem de argumento, ex quibus omnibus Jus Eccleſiæ planum & certum videbatur.

Scripſerat contrà, pro Rege Chriſtianiſſimo, Cauſidicus, nomine *Aubery*, *Tractatum de*

Re-

Regalia; itemque Anonymus quidam *Diſſertationes de autoritate Regum circa Regaliam*: uterque Gallico ſermone. Alii etiam Scriptores eandem quæſtionem attigerant obitèr & ex occaſione, atque Regiæ cauſæ patrocinium ſuſceperant: ſed omnes ſucceſſu tam infelici; ut ei plus obfuiſſe, quàm profuiſſe judicarentur: cùm ex rationum, quibus jus Eccleſiæ impugnaverant, debilitate ſatìs conſtaret, illud omninò eſſe inconcuſſum.

Ultimus tandem prodiit Pater Natalis Alexander Ordinis FF. Prædicatorum Theologus eruditus ac diſertus, Diſſertationem valdè prolixam edens inter *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capita ad ſæculum* XIII. *&* XIV. *Parte* 3. cum hoc titulo: *Diſſertatio octava. De Iure Regaliæ. Ad Canonem* XII. *Concilii Lugdunenſis* II. In eâ paſſìm vellicat ac refutare conatur priorem Tractatum de Regalia, mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Appamienſis editum, cujus paginas citat juxta editionem Coloniæ factam eodem anno 1680. inſcio ac fortè jam defuncto Reverendiſſimo illo Præſule. De poſteriori autem Tractatu, qui *Generalis* inſcribi-

ſcribitur, omninò ſilet; tametſi vix credibile eſt ab eo perlectum non fuiſſe. Cæterùm adeò diligenter argumenta in favorem Officialium Regiorum conquiſivit, ut fruſtrà ſperes ab alio copioſiorem Regii Juris explicationem. Implevit enim pro parte Majeſtatis ſuæ quod jam in ipſo limine pollicitus eſt; ſe videlicèt *Gallorum Iuriſconſultorum, ſeu veterum, ſeu hodiernorum ſententiam, pronuntiata, rationes, praximque Regni Chriſtianiſſimi relaturum, quantùm ad illuſtrandum hoc argumentum, ad aperiendum Lugdunenſis Concilii* II. *ſenſum, ad Regem Chriſtianiſſimum, prout ex officio tenetur, à calumnia vindicandum, opus eſſet.* Nec dubium, quin jurium Regiorum peritiſſimos quoſque conſuluerit; à quibus etiam veriſimile eſt illum in conſcribendâ hâc Diſſertatione adjutum fuiſſe. Verùm P. Alexandrum plus ſibi dedecoris ex eâ Diſſertatione comparaſſe, quàm extenſioni Regaliæ opinionem juſtitiæ conciliaſſe, facilè jam perſpexerit quiſquis ea, quæ circa illam Controverſiam in lucem emiſſa ſunt, attentè legerit ac mente retinuerit. Sed quia illa ad omnium notitiam non devenerunt, exciderunt autem forſitan à

me-

memoriâ multorum, quos pigeret ea relegere, Diſſertationem P. Alexandri, quæcumque pro Chriſtianiſſimo Rege dici poſſe videntur complectentem, totam exſcripſi, ne quid à me doloſè ſuppreſſum, aut in alienam ſententiam detortum, conqueri quis poſſet; eamque in varias partes dividens, ſingulis partibus, pro Eccleſiis Regaliæ non obnoxiis, reſponſionem ſubjunxi, ut inter Eccleſiæ & Regis Chriſtianiſſimi jura facilior ſit & expeditior comparatio.

Quamvis autem Lectoris judicium nolim præcurrere, tamen ſi omnia quæ à P. Alexandro proferuntur, & quæ à nobis reponuntur, attentè perpendantur, ſpero fore, ut omnes æquè ſanèque judicantes concludant, Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarios maximam Eccleſiæ injuriam feciſſe, dum ſuæ Majeſtati autores fuerunt, ut Regaliam ad tot Eccleſias huic oneri nequaquam obnoxias extenderet: Reverendiſſimos Epiſcopos Electenſem & Appamienſem juſtè, pro ſuo Epiſcopali officio, illorum conſilio obſtitiſſe ſuarumque immunitatem Eccleſiarum propugnaſſe: ſummum denique Pontificem jure merito huic Contro-

ſcribitur, omninò ſilet; tametſi vix credibile eſt ab eo perlectum non fuiſſe. Cæterùm adeò diligenter argumenta in favorem Officialium Regiorum conquiſivit, ut fruſtrà ſperes ab alio copioſiorem Regii Juris explicationem. Implevit enim pro parte Majeſtatis ſuæ quod jam in ipſo limine pollicitus eſt; ſe videlicèt *Gallorum Iuriſconſultorum, ſeu veterum, ſeu hodiernorum ſententiam, pronuntiata, rationes, praximque Regni Chriſtianiſſimi relaturum, quantùm ad illuſtrandum hoc argumentum, ad aperiendum Lugdunenſis Concilii* II. *ſenſum, ad Regem Chriſtianiſſimum, prout ex officio tenetur, à calumnia vindicandum, opus eſſet.* Nec dubium, quin jurium Regiorum peritiſſimos quoſque conſuluerit; à quibus etiam veriſimile eſt illum in conſcribendâ hâc Diſſertatione adjutum fuiſſe. Verùm P. Alexandrum plus ſibi dedecoris ex eâ Diſſertatione comparaſſe, quàm extenſioni Regaliæ opinionem juſtitiæ conciliaſſe, facilè jam perſpexerit quiſquis ea, quæ circa illam Controverſiam in lucem emiſſa ſunt, attentè legerit ac mente retinuerit. Sed quia illa ad omnium notitiam non devenerunt, exciderunt autem forſitan à

me-

memoriâ multorum, quos pigeret ea relegere, Diſſertationem P. Alexandri, quæcumque pro Chriſtianiſſimo Rege dici poſſe videntur complectentem, totam exſcripſi, ne quid à me doloſè ſuppreſſum, aut in alienam ſententiam detortum, conqueri quis poſſet; eamque in varias partes dividens, ſingulis partibus, pro Eccleſiis Regaliæ non obnoxiis, reſponſionem ſubjunxi, ut inter Eccleſiæ & Regis Chriſtianiſſimi jura facilior ſit & expeditior comparatio.

Quamvis autem Lectoris judicium nolim præcurrere, tamen ſi omnia quæ à P. Alexandro proferuntur, & quæ à nobis reponuntur, attentè perpendantur, ſpero fore, ut omnes æquè ſanèque judicantes concludant, Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarios maximam Eccleſiæ injuriam feciſſe, dum ſuæ Majeſtati autores fuerunt, ut Regaliam ad tot Eccleſias huic oneri nequaquam obnoxias extenderet: Reverendiſſimos Epiſcopos Electenſem & Appamienſem juſtè, pro ſuo Epiſcopali officio, illorum conſilio obſtitiſſe ſuarumque immunitatem Eccleſiarum propugnaſſe: ſummum denique Pontificem jure merito huic Contro-

verſiæ autoritatem ſuam interpoſuiſſe, atque tot Eccleſiarum libertatem, juxta Decreta Concilii generalis Lugdunenſis II. ſartam tectam hactenus voluiſſe.

Lectorem rogo, ne Opus hoc, quamvis quæſtionem jam ſæpè verſatam tractet, nimis prolixum arbitretur. Cùm enim conſtans ſit, & ubique receptum axioma, non poſſe Judicem, niſi auditis utriuſque Partis rationibus & juribus, æquam ferre ſententiam; quiſquis in hâc Controverſiâ ſuum voluerit interponere judicium, (volunt autem plerùmque omnes, quoties publica res agitur) tenetur hanc novam Regiorum Officialium defenſionem, ſimulque allatas à nobis reſponſiones, diligenter examinare. Id certè poſtulat negotii magnitudo, cùm agatur de libertate majoris partis Eccleſiarum Gallicanarum, Edicto Regio de novo Regaliæ ſubjectarum.

INDEX

INDEX
ARTICULORUM
ET PARAGRAPHORUM.

Reſponſio ad Præfationem P. Alexandri. Pag. 1

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit Jus Regaliæ? Quæ ejus origo? Quibus fundamentis nitatur ac titulis?

PARAGR. I. *Quid ſit Regalia.* 9
II. *De origine Regaliæ.* 30
III. *De titulis ſeu fundamentis, quibus Regalia niti dicitur; ac primò de Eccleſiarum cuſtodiâ.* 38
IV. *De altero Regaliæ titulo, ſcilicet Jure feudali.* 60

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm cuſtodiæ ſeu defenſionis titulus, quod primum eſt Juris Regaliæ fundamentum, Regibus Chriſtianiſſimis primæ & ſecundæ Dynaſtiæ in Eccleſiis Regni ſui competeret, ac hujuſmodi cuſtodiam & defenſionem exercuerint?

§. I. *Primum argumentum cuſtodiæ ſeu defenſionis à Regibus Eccleſiis præſtitæ, Regum circa electionem autoritas.* 76
II. *De ſecundo Eccleſiarum defenſionis ſigno, autoritate videlicet Regis circa promotionem ad Clericatum.* 88

III. *De tertio Regiæ tuitionis argumento, ſcilicet convocatione & confirmatione Conciliorum.* 92
IV. *De Canonibus ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Appamienſi citatis, ad probandum Regaliam non fuiſſe in uſu ſub primâ Regum Francorum Dynaſtiâ.* 98
V. *De teſtimonio Marculphi.* 118
VI. *De teſtimonio Hincmari.* 123
VII. *De Viſitatore Eccleſiarum à Rege deſignando.* 128
VIII. *Exemplum cuſtodiæ à Carolo Calvo commiſſæ.* 132
IX. *De Regiâ cuſtodiâ Eccleſiarum tempore Caroli Simplicis.* 135
X. *De Chorepiſcopis in Eccleſiis vacantibus conſtitui ſolitis; & de protectione vacationis.* 138
XI. *De Capitularium, & de Concilii Troſleiani autoritate.* 141
XII. *De Caroli Calvi Regis exemplo.* 145
XIII. *De Capitularibus ejuſdem Caroli Calvi.* 151
XIV. *De* XXV. *Canone Concilii Chalcedonenſis.* 159
XV. *Reſponſiones P. Alexandri ad autoritates* §. *ſuperiore relatas, earumque confutatio.* 161
XVI. *De autoritate Concilii Troſleiani.* 186
XVII. *De Privilegio à Papa Formoſo Eccleſiæ Remenſi conceſſo.* 200

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm Eccleſiæ feuda Regi obnoxia, ſub primâ & ſecundâ Regum Francorum Dynaſtiâ, poſſiderent, qui Juris Regaliæ titulus eſt alter; & debita ob hujuſmodi feudorum poſſeſſionem ſervitia Regibus præſtarent?

§. I. *De origine ac naturâ feudorum.* 207
II. *De feudis Eccleſiæ conceſſis.* 219

III. *De*

III. *De Regum Chriſtianiſſimorum juribus in externam Eccleſiæ politiam.* 225
IV. *De exemplo Caroli Martelli ejuſque filiorum.* 245
V. *De Caroli Magni exemplo.* 248
VI. *De Villâ Novilliaco in feudum à Regibus datâ.* 259
VII. *De Præceptis Regiis circa bona Eccleſiaſtica.* 261
VIII. *An Concilium Meldenſe jus Regium circa Eccleſiarum cuſtodiam agnoverit.* 264
XI. *De bonis Eccleſiæ Clericis à Regibus datis.* 265
X. *An Patres Meldenſes jus Regium inveſtituræ agnoverint.* 268
XI. *De obedientiâ Regibus Eccleſiam defendentibus præſtandâ.* 272
XII. *De reſtitutione bonorum Eccleſiæ Remenſis tempore vacationis uſurpatorum, factâ à Ludovico Pio.* 273
XIII. *Expenditur reſponſio Autoris ad objectionem* §. *præcedentis.* 274

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm Jus Regaliæ in totâ amplitudine ſuâ, quatenus ſcilicet uſum-fructum redituum Eccleſiæ vacantis & Beneficiorum collationem complectitur, Reges tertiæ Dynaſtiæ Chriſtianiſſimi ante Concilium Lugdunenſe exercuerint, illudque agnoverit & approbaverit Eccleſia?

§. I. *An Jus Regaliæ ab inveſtituris differat.* 286
II. *De inveſtituris Epiſcoporum ſub Regibus tertiæ Dynaſtiæ.* 304
III. *De reſtitutione feudorum ad tollendas inveſtituras.* 313
IV. *De ſententiâ Goffridi Vindocinenſis circa inveſtituras.* 315
V. *De inveſtituris à Calliſto* II. *Henrico Imperatori conceſſis.* 316

VI. *De*

VI. *De contentione inter Ludovicum Craſſum & Hildebertum Archiepiſcopum Turonenſem, circa collationem duarum dignitatum Eccleſiaſticarum.* 318

VII. *De Regaliâ in Eccleſiis Aquitaniæ.* 327

VIII. *Sententia D. de Marca circa libertatem Eccleſiis Aquitaniæ conceſſam à Ludovico* VI. *& Ludovico* VII. 330

XI. *De ſpoliis Epiſcoporum decedentium à Ludovico Juniore perceptis,* 338

X. *De Regaliâ in Eccleſiâ Pariſienſi.* 341

XI. *De Eccleſiâ Bituricenſi.* 343

XII. *De Ludovici Junioris elogio.* 345

XIII. *De teſtimonio S. Bernardi in favorem Regaliæ.* 349

XIV. *Mens S. Bernardi circa Ludovicum Juniorem, Eccleſias & electos Epiſcopos vexantem.* 350

XV. *De Regaliæ uſu ſub Sugerio, Regni Galliæ, abſente Ludovico Juniore, Adminiſtro.* 357

XVI. *De Regaliâ in Regno Angliæ.* 367

XVII. *De querelis Præſulum Anglicanorum contra Miniſtros Regios.* 377

XVIII. *De Concilio Lambethenſi.* 378

XIX. *De Regaliâ in Eccleſiis Lugdunenſi & Æduenſi.* 382

XX. *De teſtamento Philippi Auguſti.* 385

XXI. *De Regaliâ in Eccleſiâ Matiſconenſi.* 386

XXII. *De Regaliâ in Eccleſiâ Antiſiodorenſi.* 387

XXIII. *De liberatione Matiſconenſis Eccleſiæ.* 390

XXIV. *De teſtimonio Innocentii* III. *circa Regaliam in Eccleſiâ Laudunenſi.* 392

XXV. *De occupatione feudorum Præſulum Aurelianenſis & Antiſiodorenſis à Philippo Auguſto.* 394

XXVI. *De Regaliâ in Eccleſiâ Cenomanenſi.* 398

XXVII. *De*

XXVII. *De Regaliæ uſu tempore S. Ludovici.* 399

XXVIII. *De poteſtate conferendi Beneficia titulo Regaliæ Reginæ Blanchæ à S. Ludovico datâ.* 400

XXIX. *De Regaliâ in Eccleſiâ Sueſſionenſi.* 401

XXX. *De relaxatione Regaliæ Archiepiſcopo Turonenſi à Regina Blancha factâ.* 405

XXXI. *De Regaliâ in Eccleſiâ Anicienſi.* 406

XXXII. *De teſtimonio Clementis* IV. *in favorem Regaliæ adducto.* 414

XXXIII. *De Regaliâ in Eccleſiâ Andegavenſi.* 416

XXXIV. *De Regaliæ in Eccleſiis Andegaviæ & Cenomaniæ reſervatione à S. Ludovico factâ.* 419

XXXV. *De poteſtate conferendorum Beneficiorum in Regaliâ vacantium à S. Ludovico Pariſienſi Epiſcopo datâ.* 420

XXXVI. *De Regaliâ Raymundi Comitis Toloſani.* 421

XXXVII. *De renunciatione Ildephonſi Comitis Toloſani.* 423

XXXVIII. *De ceſſione Ermengardis Narbonenſis Vicecomitiſſæ.* 424

XXXIX. *De renunciatione Frederici* II. 426

XXXX. *Obſervationes P. Alexandri circa prædicta exempla.* 427

XXXXI. *De uſu Regaliæ ſub Philippo* III. *S. Ludovici filio.* 459

XXXXII. *De Regaliâ redditâ Electo Noviomenſi.* 461

ARTICULUS QUINTUS.

Utrùm Concilium Lugdunenſe II. Jus Regaliæ Chriſtianiſſimis Regibus competens imminuerit, circumſcripſerit, coarctaverit?

§. I. *De ſententiâ D. de Marca, & Autoris Tractatûs Appamienſis de Regaliâ, circa ſenſum Concilii Lugdunenſis* II. 462

II. *De variis interpretationibus Canonis ſuprà ſcripti.* 469

III. *An Canon Concilii Lugdunenſis ſpectet Regem Chriſtianiſſimum.* 477

IV. *Obſervatio Autoris Tractatûs Appamienſis circa Decretum Concilii Lugdunenſis.* 481

V. *De reſponſionibus ad obſervationem in* §. *præcedenti contentam.* 482

VI. *An Decretum Lugdunenſe ad ſolos Principes Rege inferiores pertineat.* 489

VII. *De Canone ſeptimo Concilii Colonienſis.* 492

VIII. *De literis Innocentii* IV. *adverſus Magnates, libertatem Eccleſiaſticam violantes.* 493

IX. *De Canone decimo Concilii Viennenſis in Auſtriâ.* 497

X. *De Canone vigeſimo ſecundo Concilii Lugdunenſis.* 498

XI. *De Canone vigeſimo quarto Concilii Saltzburgenſis, anno* 1274. *celebrati.* 499

XII. *De Capite duodecimo Synodi Colonienſis, anno* 1279. *celebratæ.* 501

XIII. *De Canone duodecimo, & Canone decimo quinto Concilii Saltzburgenſis, anno* 1281. *habiti.* 502

XIV. *De Canonibus vigeſimo ſexto, & vigeſimo Concilii Herbipolenſis, anno* 1287. *congregati.* 504
XV. *De Canone undecimo Concilii Colonienſis anno* 1300. 506
XVI. *De Canone tertio Concilii Colonienſis anno* 1310. *convocati.* 507
XVII. *De Canone vigeſimo quarto Concilii Avenionenſis, ab aliis Conciliis renovato.* 509
XVIII. *De collatione Præbendarum Jure Regaliæ.* 513
XIX. *De uſu-fructu Eccleſiarum vacantium à Comitibus & Baronibus percipi ſolito.* 523
XX. *De executione Canonis Concilii Lugdunenſis.* 528
XXI. *Proponuntur argumenta quibus probat Autor Tractatûs Appamienſis, Regaliam non habere locum in omnibus Eccleſiis Franciæ.* 531
XXII. *Expenduntur reſponſiones ad argumenta ex Tractatu Appamienſi* §. *ſuperiori propoſita.* 537

ARTICULUS SEXTUS.

An Regaliæ uſus æquitati, & libertati Eccleſiarum repugnet?

§. I. *Reſumuntur quæ in favorem Regaliæ dicta ſunt.* 579
II. *Comparatur Jus Regaliæ cum jure Viſitatorum, & cum Commendis ac Deportibus.* 581
III. *De Advocatis ac Defenſoribus Eccleſiarum.* 584
IV. *De jure Principum in omnia bona temporalia Eccleſiarum.* 587
V. *De uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum à Canonibus prohibitâ.* 592

VI. *De collatione Beneficiorum.* 598
VII. *Proponuntur argumenta Tractatûs Appamienſis contra collationem Beneficiorum, quæ ſit à Laïcis.* 605
VIII. *Expenditur prima reſponſio P. Alexandri ad argumenta §. præcedentis.* 607
IX. *Examinatur ſecunda reſponſio.* 615
X. *Expenduntur aliæ reſponſiones.* 622

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrùm Regalia Jus Regium rectè nuncupetur? 639

§I. *Autoritas Sugerii.* 642
II. *Autoritas Innocentii III.* ibid.
III. *Autoritas Nangii.* 643
IV. *Autoritas Clementis IV.* ibid.
V. *Autoritas S. Ludovici.* 644
VI. *Philippi Pulchri autoritas.* 645
VII. *Edictum Philippi Pulchri anno 1302. & ejuſdem literæ.* 646
VIII. *Autoritas Philippi Valeſii.* 647
IX. *Autoritas Joannis Regis Franciæ.* 648
X. *Aliud ejuſdem Regis teſtimonium.* 649
XI. *Autoritas Gregorii XI.* 650
XII. XIII. XIV. & XV. *Teſtimonia Regum Regaliam Jus Coronæ appellantium.* 652
XVI. *Teſtimonium Petri de Boſco.* 655
XVII. *Teſtimonium Guillelmi Benedicti.* 657
XVIII. *Teſtimonium Ruzæi.* ibid.

XIX. *Teſti-*

X I X. *Teſtimonium Probi.* 658
X X. *Teſtimonium Ægidii Magiſtri.* 660
X X I. *Teſtimonium Renati Chopini.* 661
X X I I. *Teſtimonium Paſquierii.* 663
X X I I I. *Teſtimonium Caroli de Graſſalio.* 665
X X I V. *Teſtimonium Bengei & Pinſonii.* 666
X X V. *De Declaratione Regis Chriſtianiſſimi Regaliam ad omnes Eccleſias extendentis.* 668

ARTICULUS OCTAVUS.

Ad quem ſpectet de Regalia, ejus extenſione, appendicibus vel annexis judicare? Juriſne ſit Eccleſiæ, vel Regis?

§. I. *Teſtimonium Ivonis Carnotenſis.* 674
I I. *Exemplum Hildeberti.* 679
I I I. *Teſtimonium Innocentii* III. *in cauſa Epiſcoporum Aurelianenſis & Antiſiodorenſis.* 681
I V. *Aliud ejuſdem Innocentii* III. *teſtimonium.* 685
V. *Aliud ejuſdem Pontificis teſtimonium.* 686
V I. *Autoritas Concilii Lateranenſis I V.* 690
VII. VIII. IX. & X. *Arreſta circa controverſias de Regalia in quibuſdam Eccleſiis Franciæ.* 692
X I. *De Concilio Biterrenſi juriſdictionem Senatûs Pariſienſis in cauſis feudalibus agnoſcente.* 695
XII. *Exemplum Philippi Valeſii.* 699
XIII. *Literæ Benedicti* XII. *ad Philippum Valeſium.* 701
XIV. *De exemplo Angliæ.* 706

XV. *Teſtimonium Ludovici Undecimi cognitionem controverſiarum de Regaliâ Senatui Pariſienſi attribuentis.* 707
XVI. *De Regaliâ in Eccleſiis Armoricis, & Bellicenſi, ac de Declaratione anno 1673. editâ.* 710
XVII. *An cauſa Regaliæ ſit ſpiritualis.* 714

ERRA-

E R R A T A.

Autoris abſentiæ Lector condonabit errata Typographi. Præter graviora hîc notata, occurrent mendoſæ interpunctiones, nec non ſæpe initio vocum majuſculæ literæ loco minuſcularum, & contrà alicubi minuſculæ loco majuſcularum.

Pag.	*Lin.*	*Errata.*	*Lege.*
18	10	titulo Hiſque	titulo C. Hiſque
22	25	pernicifior	pernitioſior
24	25	Filippi Valetii	Philippi Valeſii
29	16	Secundumque	ſecundùm quæ
37	2	et tamen in Eccleſia ſemper ſervatum eſt	*Hæc Italico charactere ſcripta eſſe deberent.*
	4	mores ſemper in Eccleſia ſervati	
	5	ab antiquo	
48	25	eligendo	erigendo
50	14	eù	eo
71	6	E exercition	Exemption
78	1	Turonæ	Turone
122	*ult.*	illos	illas
125	16	Odactus	Odacrus
126	26	verbis	vobis
131	2	exigerunt	exigerent
145	10	deliberatione	delibatione
145	25	quos	quas
148	3	deliberatione	delibatione
157	22	Conciliarii	Conſiliarii
158	5	ſignificant	ſignificent
178	8	mandatis	mandaſtis
181	29	Ætardo	Actardo
182	16	intelligendum	intelligendam
193	22	aliis	ab iis
194	9	ſi exegimus	ſic exerimus
198	9	ita	iſta
202	18	quidam	quidem
209	14	abſque	atque
237	4	accommotum	accommodatum
254	16	debent	dabant
274	16	peccaſſe delicatiſſimæ conſcientiæ &c.	*Hæc non Italico, ſed ordinario charactere ponenda.*
279	25	crebricis	crebriùs
281	6	protos criminarius	Protoſcriniarius

283	8	Regnum	Regum
288	12	copore	corpore
328	10	danati	donati
331	21	coh . ret	cohæreat
332	29	lcet	licet
342	13	fit	fiat
344	9	quàm	Quàm
350	4	circa	citra
358	17	devincebat	devinciebat
362	4	conſuetudinem	conſuetudinum
365	2	defendendo	defendenda
365	21	uſurpatum	uſurpatam
378	8	*Poſt* deſcriberent ?	*Adde* Cæterùm hæc ratio
380	25	rel	vel
396	5	objiciemus	objicimus
402	15	ſueſſionſis	Sueſſionenſis
407	19	ſibi vendicare po- tuiſſe &c.	*Hac non Italico, ſed ordinario charactere ponenda.*
485	13	præſertim hoc	præſertim cùm hoc
486	29	immunitatum	immunitatem
490	10	(quod horrendum eſt dicere)	*Hac Italico charactere poni debent.*
491	21	hoc eſt	*Hac duo verba ordinario charactere ponenda.*
494	3	Juriſdictioni	Juriſdictionis
501	24	uterque	utrumque
539	28	Præſidem conferendi	Præſidem, jus conferendi
559	*ult.*	habuit	habuerunt
565	10	permiſerint	permiſſione
570	22	extendere	extendi
624	3	ſeu	ceu
652	25	Edicti	Edicto

CAUSA

CAUSA REGALIÆ *Præf.*
PENITUS EXPLICATA,
Seu

Reſponſio ad diſſertationem R. P. F. Natalis Alexandri *de Jure Regaliæ*, quæ habetur inter ejus ſelecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita, ad ſæculum XIII. & XIV. par. 3. à Pag. 44. uſque ad pag. 275.

Reſponſio ad Præfationem P. Alexandri.

1. PRÆFATIONIS P. ALEXANDRI VERBA. „Quæſtionem cumprimis difficilem ac delicatam tractaturus hanc mihi præſtituo legem, ut de Regaliæ extenſione hiſtoricè tantum agam, Gallorum Juriſconſultorum, ſeu veterum ſeu hodiernorum ſententiam, „pronuntiata, rationes, praximque Regni Chriſtianiſſimi „referens, quantum ad illuſtrandum hoc argumentum, ad „aperiendum Lugdunenſis Concilii II. ſenſum, ad Regem „Chriſtianiſſimum, prout ex officio teneor, à calumnia vin„dicandum, opus erit.

2. RESPONSIO. In omni controverſiarum genere operæ pretium eſt quæſtionis ſtatum accuratè conſtituere, il-

Præf. luceque omnem diſputationis vim convertere: quod ſi à P. Alexandro præſtitum fuiſſet, diſſertationem feciſſet media parte breviorem. Sæpiſſimè namque propoſitæ quæſtionis oblitus, & extranea plurima congerens, paſſim à ſcopo recedit, ut lector facile perſpiciet, ſi præ oculis ſemper habeat controverſiæ punctum. *De Regaliæ extenſione agitur*: quæritur ſcilicet an Regalia per declarationem à Rege Chriſtianiſſimo anno 1673. editam, legitimè potuerit ad Eccleſias ab hoc onere antea liberas porrigi. Itaque quidquid à P. Alexandro adducitur vel ad Regaliam non pertinens, vel ad Eccleſias jam dudum Regaliæ obnoxias tantum ſpectans, extra rem omnino eſt; tantumque abeſt ut ad quæſtionis illuſtrationem conducat, ut potius Lectoris animum confundat, & à perſpicienda in ſubjecta materia veritate avertat.

3. Cæterùm animadvertit diſſertationis Autor, ſe in hac controverſia partem ſequi veritati ac juſtitiæ minus conſentaneam, præſenſitque ſuum conſilium pluribus, iis præſertim qui æquitate ac veritate magis, quam Principibus aſſentandi affectu ducuntur, fore improbandum. Quamobrem ſtatim profitetur, ſe de Regaliæ extenſione *Hiſtoricè tantùm acturum.* Sed fruſtrà dedecus hinc ſibi comparandum fucatâ ſperavit ſe evaſurum declaratione; quandoquidem animum ſuum nimis apertè ubique prodit, quàm ut lector quilibet non perſpiciat, ipſum non Hiſtorici, ſed Regaliæ Patroni officio defungi.

4. Proponit autem ſibi hac in diſſertatione triplicem finem. Primò, *illuſtrandum hoc* (ſcilicet extenſionis Regaliæ) *argumentum.* Secundò, *aperiendum Lugdunenſis Concilii II. ſenſum.* Tertiò, *Regem Chriſtianiſſimum à calumnia vindicandum.* At primò quæſtio *de extenſione Regaliæ*, quam *cumpri-*

mis

mis difficilem dixit, adeò erat plana ex eo tempore quo Concilium Lugdunenſe II. Regaliam de novo uſurpare vetuerat, ut vix quæſtio dicenda eſſet: cum & Reges Chriſtianiſſimi, & eorum officiales, ac ſcriptores univerſi antiquam conſuetudinem in hac materia, ex eo die, tanquam regulam certiſſimam haberent. Itaque difficultas non ex veritatis & juſtitiæ obſcuritate orta eſt, ſed ex tenebris quibus eam obvolverunt, qui omnes Eccleſias huic jugo ſubmittere cupientes, novitatis injuſtitiam occultare conati ſunt. Tantumque abeſt ut Autor eas tenebras diſcutiat, ut etiam æquivocationibus continuis augeat, quod in progreſſu patebit. Secundò, Lugdunenſis etiam Concilii II. Canonem contra perſpicua ejus verba in ſenſum à ſacroſancti illius Cœtus mente prorſus alienum detorqueri à P. Alexandro videbimus. Tertiò, dum Regem Chriſtianiſſimum à calumnia vindicandum ſuſcipere ſe ſignificat, quid aliud efficit, quàm ut famam longius latiuſque ſpargat earum rerum, quæ ſub Chriſtianiſſimi Regis nomine ab ejus officialibus, non ſine magno gloriæ tanti Principis detrimento, geruntur? Numquam enim vel hujus, vel alîus ſcriptoris ingenium, eruditio, & eloquentia pares erunt, excuſandæ acerbitati, quâ in exilium amandantur, in ergaſtulis concluduntur, variiſque modis exagitantur viri pietate inſignes, alii eâ ſolum de cauſâ, quia Eccleſiam ſuam, cujus libertatem ſe defenſuros jure jurnado ſpoponderunt, Regaliæ ſubjicere conantibus, non conſenſere, alii quia Sacramenta à Miniſtris abſque canonica autoritate intruſis non recipiunt: alii demum, quia cauſæ tam juſtæ, ejuſve defenſoribus aliquâ ratione ſuffragantur. Certè odioſum admodum eſſet, tot viros probos tantis calamitatibus afficere, in quibus aliqui jam animam exhalarunt, etiam ſi, Præf.

Præf. perjurii ac Sacrilegii reatum reformidantes, erroneâ conſcientiâ ducerentur. Inſtruendi enim, non perſequendi eſſent, quippe cum *quæſtionem* hanc *cumprimis difficilem* eſſe teſtetur Doctor in tuendis Regis Chriſtianiſſimi partibus deſudans.

5. A cujus autem *calumnia Regem Chriſtianiſſimum vindicaturus eſt?* An calumniam Regi Chriſtianiſſimo importarunt Illuſtriſſimi, pientiſſimique Epiſcopi Electenſis & Appamienſis; quia Regaliam in ſuas Diœceſes de novo induci non ſunt paſſi? At illi ſummâ cum moderatione ac prudentia Eccleſiarum ſuarum libertatem defenderunt. An calumniis in Regem Chriſtianiſſimum uſi ſunt, qui hanc cauſam ſcriptis elucidarunt? At illi Regem ſemper venerati, ſi quando neceſſe fuit, aliquid vituperabile commemorare, ejus culpam, ac dedecus à ſua Majeſtate amovere curarunt, rationibus ac teſtimoniis, non calumniis aut conviciis Eccleſiæ cauſam tuentes. An Rex Chriſtianiſſimus vindicandus fuit *à calumnia* ſummi Pontificis, qui extenſionem Regaliæ ad omnes Galliæ Eccleſias graviſſimè improbavit in literis ad ejus Majeſtatem datis? An calumnia eſt, quod ſua Sanctitas Regi Chriſtianiſſimo ſcripſit die 21. Septembris anno 1678.; *quamobrem pati non poſſumus, nec debemus Majeſtati tuæ obtrudi errorem tam manifeſtum, tam Galliæ Regno, tam Eccleſiæ univerſæ pernicioſum.* Moveat Autor omnem lapidem; nemini rectè ſentienti, & veritatem ſincerè quærenti, unquam ſuadebit, illatam fuiſſe à tanto Pontifice tanto Regi calumniam. Nunquam efficiet, ne totus orbis Chriſtianus Regis Chriſtianiſſimi gloriam plurimum imminui arbitretur, quòd qui Primogeniti Eccleſiæ titulo gloriatur, tamdiu Pontifici obſiſtat, cujus pietas, zelus, carnis & ſanguinis omnium-

omniumque rerum temporalium contemptus tantum emi- *Præf.*
cant, non ſolum apud fidei domeſticos, ſed etiam apud eos qui foris ſunt; idque in cauſa ex parte Pontificis & Eccleſiæ tam evidenter juſta.

6. Porrò ſicut *ad Regem Chriſtianiſſimum à calumnia vindicandum, ex officio teneri* ſibi viſus eſt Diſſertationis Autor, ſubditus ſcilicet Principem ſuum: ita ego ſummum Pontificem, utpotè ejus atque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obſequentiſſimus filius Regi Chriſtianiſſimo calumniam non intuliſſe oſtendo; onus piiſſimum, parentem dilectiſſimamque Matrem defendendi, omnibus filiis, pro cujuſque viribus, incumbere ratus.

7. PRÆFAT. „ Nec Eccleſiæ, nec Regiis juribus detra-
„ here me velle profiteor, aut cuiquam adulari; ſed *Pa-*
„ *ſchalis* II. verba lubens uſurpo, animumque & affectum
„ induo, ad Baſilium Hieroſolymitanum Regem ſcribentis,
„ epiſt. 29. *Nec enim volumus aut pro Principum Potentia Eccle-*
„ *ſiaſticam minui dignitatem, aut pro Eccleſiaſtica dignitate Prin-*
„ *cipum Potentiam mutilari, ne apud nos occaſione alterutrâ pax*
„ *turbetur Eccleſiæ.*

8. RESP. Nemo eſt, qui pro principibus adverſus Eccleſiaſtica Jura decertans, imo in qualibet controverſia, non profiteatur, ſe neutri parti contra juſtitiam favere, aut adulari velle: tamen quia frequenti experientiâ compertum eſt, eos, quibus non tam propoſitum eſt, veritatem, & juſtitiam inquirere, quam ea, quæ ſibi arrident, tanquam vera, & juſta exhibere, primò, ſeipſos decipere, deinde alios in errorem incautos inducere; diligenter examinanda ſunt quæ Autor in tota hac Diſſertatione ſcripſit, antequam illum reverà huic proteſtationi ſatisfeciſſe credamus, quâ *Nec Eccleſiæ,*

Præf. *nec Regiis juribus detrahere ſe velle* profitetur, *aut cuiquam adulari.* Nam extenſio Regaliæ ad omnes Francici Regni Eccleſias, de qua agit, pleriſque adeo injuſta viſa eſt, ut mirati ſint, eam injuſtitiam in Regiorum Miniſtrorum, à quibus tentata miniſque ac terroribus promota eſt; & ſcriptorum, à quibus propugnatur, oculos, non incurriſſe, aut, ſi incurrit, nondum eos illam emendaſſe.

9. „ PRÆFAT. Summam poteſtatem Romano Pontifici „ in ſpiritualibus convenire, primatum jure divino inſti- „ tutum, ſeu à Chriſto immediatè collatum, non honoris „ ſolum ac dignitatis, ſed & poteſtatis ac juriſdictionis, cui „ Chriſtiani omnes, regeſque ipſi obnoxii ſunt, ac parere te- „ nentur, credo ac propugno, ut Doctorem Catholicum decet.

10. RESP. Digna Catholico Theologo profeſſio: ſed parum idonea ad eluendam ſuſpicionem, ne Autor hac in Diſſertatione Aulæ Regiæ placere, quàm Eccleſiæ jura exponere maluerit, & declarationem Regis Chriſtianiſſimi Regaliam ad omnes Eccleſias Regni ſui extendentis propugnare, quàm ſummum Pontificem, Concilium Generale Lugdunenſe illam extenſionem vetans interpretantem, vel potius exequendum curantem, audire.

11. PRÆFAT. „ Supremam, jure pariter Divino inſti- „ tutam, à Deo immediatè collatam, ab Eccleſia, vel Ro- „ mano Pontifice prorſus independentem in temporalibus „ Chriſtianiſmi Regis auctoritatem profiteor, ac veneror: „ Nec ſpiritualia Jura in Eccleſiis exercere poſſe Reges quoſli- „ bet Chriſtianos abſque conceſſione Eccleſiæ; nec jura tempo- „ ralia in quibusvis Regnis Eccleſiæ ipſius minimè Beneficia- „ riis, exercere Pontifices, aut de illis judicare, abſque con- „ ceſſione Regum.

12. RESP.

12. RESP. Quanta quanta ſit in temporalibus Chriſtianiſſimi Regis autoritas: (nec enim de illa modo quæſtio eſt, & præſtaret de ratione componendæ controverſiæ inter ſacerdotium & Imperium exortæ cogitare, quàm novarum contentionum ſemina intempeſtivè ſpargere) ſatis eſt ad ſolvendam propoſitam quæſtionem, ut fateatur Autor, *ſpiritualia jura in Eccleſiis exercere non poſſe Reges quoslibet Chriſtianos abſque conceſſione Eccleſiæ*, cum Beneficiorum omnium Curam Animarum non habentium collatio, quæ præcipua Regaliæ pars eſt, jus ſpirituale ſit à Poteſtate Principum circa temporalia longo interuallo diſcretum. Quis enim Catholicus inter res temporales computet facultatem deputandi Theologos ad prædicandi verbi Dei officium; præficiendi Decanos, Archidiaconos, Archipresbiteros, alioſve, quibus competit excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, abſolvendi, aliaque his ſimilia præſtandi, poteſtas; Canonicos Eccleſiarum Cathedralium conſtituendi, ad quos, præter publicam & ſolennem Divinorum Officiorum celebrationem, pertinet Epiſcopum in Eccleſiæ regimine conſilio & operâ juvare; quique in multis Eccleſiis Juriſdictionem, etiam vivente Epiſcopo, obtinent; ubique autem, defuncto Epiſcopo, Juriſdictionem Epiſcopalem exercent? Denique quis rem temporalem appellet poteſtatem omnia Officia Eccleſiaſtica committendi, quæ quibuslibet Beneficiariis, etiamſi animarum curâ, vel ſpirituali Juriſdictione careant, incumbunt; aut etiam Jus percipendi fructus Eccleſiaſticos, præſertim decimas, primitias, & oblationes? *Præf.*

13. PRÆF. „ His poſitis principiis octo in hac diſſertatione expendam. Primò, quid ſit jus Regaliæ. Quæ ejus origo, quibuſve fundamentis nitatur, ac titulis. Secundò,„

dò,„

Præf. „ dò, utrum cuſtodiæ ſeu defenſionis titulus, quod primum „ eſt Juris Regaliæ fundamentum, Regibus noſtris primæ & „ ſecundæ dynaſtiæ in Eccleſiis Regni ſui conveniret, ac hu- „ jusmodi cuſtodiam & defenſionem exercerent. Tertiò; „ utrum Eccleſiæ feuda ſub prima & ſecunda Regum noſtro- „ rum dynaſtia poſſiderent, qui juris Regaliæ titulus eſt alter, „ & debitas ob hujusmodi feuda ſervitutes iidem Reges reci- „ perent? Quartò, utrum jus Regaliæ in tota amplitudine „ ſua, quatenus ſcilicet uſum fructum redituum Eccleſiæ va- „ cantis, & collationem Præbe[illegible]um complectitur, Reges „ tertiæ dynaſtiæ Chriſtianiſſimi ante Concilium Lugdunenſe „ II. exercuerint, illudque agnoverit, & approbarit Eccle- „ ſia? Quintò, utrum Lugdunenſe Concilium II. can. XII. „ Jus Regaliæ Chriſtianiſſimis Regibus conveniens imminue- „ rit, vel coarctaverit, an potius confirmaverit? Sexto, „ an Regaliæ uſus æquitati ac libertati Eccleſiarum repugnet? „ Septimo utrum Regalia *jus Regium* rectè nuncupetur? Octa- „ vò, ad quem ſpectet de Regalia, ejus extenſione, appen- „ dicibus vel adnexis judicare? Juris ne ſit Eccleſiæ, vel „ Regis?

14. RESP. Hæc igitur octò puncta duntaxat, toti- dem articulis ab Autore tractata, eodem ordine proſequar, præfixo non ſolum ſingulis articulis proprio titulo, ſed etiam ſingulis paragraphis brevi ſummario in modum tituli, ut hac varietate Lector à tædio, ex nimia prolixitate oriri ſolito, ſublevetur.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Art. I. §. I.

Quid ſit jus Regaliæ? quæ ejus origo? quibus fundamentis nitatur ac titulis?

§. PRIMUS.

Quid ſit Regalia?

1. DISSERTATIONIS VERBA. „Regalia, inquit Ruzæus, Græcorum more neutro genere „ & plurali numero in antiquis monumentis „ nuncupabantur, quam Regaliam numero ſingulari nunc appellamus, verbo ab errore uſurpato, ſicuti „ Euangelia Græci vocant. Definitur *Jus Regium fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, & conferendi Beneficia curam Animarum non habentia, quæ ab Epiſcopo conferri ſolent, donec „ novus Epiſcopus Juramentum Fidelitatis Regi præſtiterit, „ Inveſtituram bonorum Eccleſiaſticorum ab ejus Majeſtate acceperit, ac Regias Litteras Sacramenti ſui teſtes in Rationum „ Principalium Commentarios referri, ſive in Cameræ Computorum Regeſto conſcribi curaverit, & Mandatum ab ipſa impetraverit, quo Manum Regiam temporalibus bonis injectam „ auferri jubeat.*

2. RESP. Hæc definitio Regaliam (obſequemur enim & nos uſui communiſſimo, numero ſingulari utentes) explicat prout hodie in Gallia exercetur, non autem ſecundum primigeniam illius conditionem: quæ duo diligenter diſtinguenda ſunt, Regaliæ origo, & præſens ejus ſtatus. Ut enim flumina in ſuo fonte tenuia ex influentium rivorum

Art. 1. aquis, quò longius progrediuntur, eò altius intumeſcunt,
§. 1. ita Regalia, præ ſua tenuitate in origine incognita, temporis decurſu tot acceſſionibus aucta eſt, ut vix aliquâ definitione, quantumvis prolixâ, eam complectaris. Primùm enim, ſolo bonorum feudalium uſufructu poſt mortem Epiſcopi uſque ad ſucceſſoris inſtitutionem continebatur; idque in iis tantùm provinciis, in quibus Domini ex Jure conſuetudinario fructus vacantium feudorum percipiebant. Acceſſerunt ſubinde alii fructus temporales, etiam decimæ & oblationes. Poſtea adjuncta eſt Beneficiorum curam animarum non habentium collatio. Denique inductæ ſunt variæ conditiones, quæ niſi fuerint impletæ, licet novus conſtitutus ſit Epiſcopus, Regaliæ exercitio finis non imponitur. Itaque ſi tradita definitio ad primævam Regaliæ rationem referatur, multis partibus redundabit. Sed impoſterum manca erit, niſi agger torrenti opponatur. Idque jam interceſſit diſcriminis inter flumina & Regaliam, quod illa, quantumvis excreſcant, non niſi ex aquis ejuſdem generis conſtent; Regaliæ verò incrementum, acceſſionibus primitivâ ejus naturâ præſtantioribus factum ſit. Tanta autem progreſſu temporis facta eſt, additis novis partibus, conditionibus, & prærogativis, circa ejus exercitium immutatio, ut alterius omnino rationis ac naturæ modò ſit. Verumtamen memoriæ altè infigenda eſt tradita definitio, ac ſingulæ illius partes expendendæ. Nam ſi eam ceu regulam cunctis, quæ à P. Alexandro dicentur, admoveris, facile intelliges, quam parum inter ſe conſentiant.

3. DISSERT. „Jus dicitur, tum quia legitimis titulis „ quæſitum eſt, tum quia Regibus noſtris ex mero Privilegio „ non convenit. Falſò illud ex cap. *Hadrianus*. 63. Diſt: Prag-„matici quidam repetunt, quo *Hadrianus* I. Carolo Magno

„ jus

„ jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem; *Art.* 1.
„ Archiepiſcopos etiam & Epiſcopos per ſingulas Provincias §. 1.
„ inveſtiendi, dediſſe ſupponitur; Ita ut *niſi à rege laudetur*
„ *& inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur.* Enimverò
„ Canonem iſtum ſuppoſititium eſſe, & à *Sigeberto* confi-
„ ctam Hiſtoriam, ut Henrici Imperatoris partes, cui fave-
„ bat adverſus Paſchalem II. hac auctoritate muniret, viri
„ eruditi conſentiunt; & *Gratianum* à *Sigeberto* deceptum.
„ Falſi rationes apud *Baronium* ad annum 773. & apud D. *de*
„ *Marca* lib. 8. de Concord: Sacerdot: & Imper: cap: 12.
„ legere eſt.

4. Resp. Ex titulorum, quos producet inferiùs P. Alexander, examine conſtabit, an Regalia jus propriè appelletur, præſertim quoad illas Eccleſias ad quas de novo extenditur, & quarum cauſâ mota eſt quæſtio. Ex iis titulis, qui ſolent ab aliis Regaliſtis allegari, unum hic expreſſe, ſcilicet Canonem *Hadrianus.* 63. diſt: repudiat; quaſi hunc Canonem ſeu Hiſtoriam, de cujus falſitate neſcio an eruditus quiſquam hodie dubitet, rejiciens Lectori ſuaſurus ſit præbendam ſibi in reliquis fidem.

5. Dissert. „ *Jus Regium* Regalia dicitur, quod inter
„ nobiliores regiæ dignitatis partes recenſendum ſit (inquiunt
„ Pragmatici noſtri) adeo ut ſoli Regi competat, cum nemine
„ alio communicetur, excluſis etiam ab eo jure iis penes quos
„ ſub rege puero adminiſtrandæ Reipublicæ cura eſt, quos *Re-*
„ *gentes Regni* nominamus.

6. Resp. Regalia, quomodo ſupra deſcripta eſt, inter Regiæ Dignitatis partes perperam recenſetur à Pragmaticis Gallicanis. Collatio enim Beneficiorum pleno jure ad Eccleſiaſticam, non ad ſæcularem poteſtatem pertinet; niſi forte ex

Art. 1. conceſſione Eccleſiæ, qua cum poſſet etiam Principibus infe-
§. 1. rioribus competere. Hoc adeo certum eſt, ut ipſemet Diſſertationis Autor articulum ſeptimum, ubi ex profeſſo quærit, utrum Regalia jus regium rectè nuncupetur, ſic exordiatur; *Regalia, quatenus Beneficia conferendi jus involvit, Jus Regium eo ſenſu, quod ratione ſupremæ poteſtatis temporalis Principibus conveniat, nemo dixerit.*

Si autem Regalia pro uſufructu bonorum feudalium, quo ſenſu in prima ſua origine intelligebatur, modò acciperetur, Principes Rege inferiores illâ potitos fuiſſe tum extra Galliam, tum in Gallia ipſa plurimis convinceretur exemplis; nec Autor ipſe negat, ſed uſum illum verbis ſequentibus interpretatur.

7. DISSERT. „ Et licet olim Duces & Comites Jus „ Regaliæ exercuerint, nihiloſecius Jus illud Regium dicitur, „ quia Regio nomine Regalibus fruebantur, pro quibus Hominium, & Juramentum Fidelitatis Regi præſtabant, quod „ ea portio quædam & membrum eſſent feudorum ab ipſis „ poſſeſſorum, ut conſtat ex articulis *Clementi* V. à *Guilielmo* „ *de Nogareto* oblatis, quorum XIV. ſic habet: *Item certum,* „ *notorium, & indubitatum exiſtit, quod Jura Regalia aliquarum Eccleſiarum, quæ habet in Eccleſiis prædictis Dominus* „ *Rex, Progenitores ipſius Domini Regis, & Prædeceſſores ejus* „ *in Regno, dederunt in feudum aliquibus Baronibus ſuis tam* „ *Eccleſiaſticis quàm ſecularibus. Qui Barones Regalibus illis* „ *utuntur & fruuntur, ſedibus ipſarum Eccleſiarum vacantibus, jure ſuo feudali, & regio, à quo jus ſuum movet, &* „ *ideo Jus Regale vocatur. Quo jure dicti Barones utuntur nominibus ſuis, & nomine Regio, & uſi ſunt tanto tempore, de cujus* „ *initio memoria non exiſtit.*

8. RESP.

8. RESP. Advertendum eſt inprimis, probationem thesi videri contrariam, quantum ad id quod affirmat P. Alexander; ſcilicet quod jus Regaliæ ita ſoli Regi competat, ut *cum nemine alio communicetur*. Quomodo enim non communicantur jura cum eo cui dantur in feudum? Alia erat Nogareti mens, ut ſignificant hæc verba; *Qui Barones Regalibus illis utuntur, & fruuntur, ſedibus ipſarum Eccleſiarum vacantibus* JURE SUO *feudali & Regio, & ideo Jus Regale vocatur. Quo jure dicti Barones utuntur* NOMINIBUS SUIS, *& nomine regio*. An cum aliquo non communicatur jus, quo quis UTITUR, ET FRUITUR JURE SUO, ET NOMINE SUO? Reponet fortaſſis P. Alexander, Regaliam ideo jus regium dici, & cum nemine communicari, quia non niſi à Rege poteſt ea facultas obtineri. Sed ea ratione probaretur, bona omnia, quæ non ſolùm in feudum, ſed etiam in Emphyteuſim, aut alio quovis titulo traduntur à Rege vel etiam ab aliis de Regis aſſenſu; eſſe Jura Regia cum nemine alio communicanda, atque adeo Auguſtum illud Regaliæ nomen nihil eximium ac præſtans deſignaret. *Art.* 1. §. 1.

9. Sed meminiſſe nuſquam non oportet, varias eſſe Regaliæ acceptiones. In verbis enim Nogareti vox illa ſumitur pro jure retinendi feuda Eccleſiarum vacantium, & in aliquibus Provinciis, quæ ſcilicet jure conſuetudinario reguntur, uſumfructum illorum bonorum percipiendi, quæ propria erat Regaliæ ſignificatio.

10. DISSERT. „ Dicitur *jus fruendi reditibus Eccleſiæ* „ *vacantis*, non iis tantùm qui ex feudis proveniunt, ſed „ univerſis. Cum enim Patrimonia Epiſcopatuum velut bona „ nobilia ab Epiſcopis poſſideantur, evecta ſunt per conſequen„ tiam ad feudorum dignitatem, & ipſæ decimæ feudorum

Art. 1. „ conditionem ſequuntur, quia, ut habet regula juris : *Ac-*
§. 1. „ *ceſſorium naturam ſequi congruit principalis.* Eccleſia autem „ vacante, Regalia aperta eſt, ſive per obitum, ſive per „ ceſſionem, reſignationem, vel tranſlationem, ſive per de„ poſitionem Epiſcopi vacaverit, ſive per ipſius ad Cardina„ litias Infulas Promotionem. Hac enim via Regaliam etiam „ aperiri, Gallicana Juriſprudentia docet, ac ſupremi Sena„ tus Arreſta probant, edita inter Probationes Libertatum Ec„ cleſiæ Gallicanæ, cap. 15. num. 31. & ſequentibus, & „ *Ruzæus* in tractatu de Regaliis, Privilegio 13. aliique hujus „ Regni Jureconſulti.

11. RESP. Magnum ſcilicet emolumentum conſequutæ fuiſſent Eccleſiæ ex eo, quod Patrimonia Epiſcopatuum nobilitate donata eſſent, & ad feudorum dignitatem evecta ; ſi eorum reditus, vacantibus ſedibus à Principibus perciperentur, tanquam illius honoris pretium. Certe dum pii Principes ſtatuerunt, ut bona Eccleſiarum, bonorum Fiſcalium Privilegiis gauderent, illorum ſecuritati conſulere voluerunt, non autem eorum reditus ſibi vendicare. Noceret Eccleſiaſticis bonis, nedum non prodeſſet, nobilitas ac dignitas, ſi propterea oneri ſubjicerentur, cui etiam bona profana non ſubjacent, in iis ſaltem Provinciis, in quibus viget Jus quod vocant Scriptum. In illis enim Dominus feudi vacantis fructus non facit ſuos. Æquius eſſet ut ex dignitate Patrimoniorum Epiſcopatuum colligeretur, illa fuiſſe à conſuetis oneribus liberata, quàm inſolitas illis impoſitas fuiſſe ſervitutes.

12. Deinde probandum eſſet, (hoc enim non ſolum per ſe manifeſtum non eſt, ſed & rationi ac pietatis ſenſui contrarium) decimas eſſe acceſſoria bonorum, quæ feudalia dicuntur. Sive enim quantitatem ſpectes, ſive qualitatem, deci-

mæ

mæ principales habendæ ſunt in reditibus Epiſcopalibus: pluri- *Art.* I.
mæ ſunt Eccleſiæ quæ vel nullos, vel admodum tenues reditus §. I.
poſſident præter decimas & oblationes, aut alia hujuſmodi. Et licet in aliquibus Eccleſiis reditus ex bonis feudalibus enaſcentes decimas & oblationes ſuperarent, eſſent tamen illis inferiores dignitate. Tanta enim eſt decimarum præſtantia, ut inter res ſpirituales recenſeantur, etiam ab iis Scriptoribus, qui de Regalia tractarunt. Itaque quamvis concederemus, bona feudalia oneri illi ſubjacere, dum ab Eccleſia poſſidentur, ut mortuo Epiſcopo illorum adminiſtratore, eorum fructus penes Reges eſſent (quod ad minus quoad Provincias, quæ Juris ſcripti dicuntur, verum non eſt) decimarum, & oblationum alia eſſet ratio; tum quia cum principales ſint, non aliorum naturam ſequi, ſed alia potius ad ſuam trahere dignitatem deberent, tum quia non ſunt à Principum liberalitate profectæ, ſed ſpeciatim inſtitutæ, ut juxta Divinam legem Clerici divino cultui mancipati altari ſervientes de Altari viverent, ac Templorum ornatui, pauperumque neceſſitatibus providerent.

13. Judicavit jampridem Senatus Pariſienſis, decimas Regaliæ non eſſe obnoxias, qua de re extat Arreſtum in favorem Eccleſiæ Morinenſis latum Paulo ante Concilium Lugdunenſe II. anno 1266. & alterum pro Eccleſia Conſtanſienſi poſt prædictum Concilium. Unde Arnoldus Ruzæus inſignis Regaliſta ſic ſcribit; *Quinquageſimum quintum notabile Privilegium eſt, quod Cuſtodes Regaliorum non poſſunt, vacante ſede, decimas Autoritate Regis recipere; quinimo tenentur illas futuro ſucceſſori conſervare. Iſta quæſtio mota eſt, & contigit pro Eccleſia Conſtanſienſi: quia receptores Regaliorum volebant ſub nomine temporalitatis comprehendere decimas: determina-*

tum

Art.1. *tum fuit per Arreſtum, quod decimæ ſunt merè ſpirituales,*
§. 1. *& nihil temporalitatis habent. Unde durante Regalia non debent Cuſtodes ſe immiſcere in percipiendis decimis, quod Arreſtum fuit pronunciatum in Parlamento B. Martini anno Dom.* 1282. Subjungit quidem hæc verba; *Licet videatur contrarium inter Regaliæ memoralia Cameræ ratiociniorum in libris eorum antiquis*; profertque rationes, quæ ſuadere videbantur decimas in Regalia contineri: ſed concludit; *contrarium tamen fuit deciſum*; oppoſitiſque rationibus reſpondet, & alias pro libertate decimarum adducit. Nonne Theologo turpe eſt, minus recte, quam Senatorem Regium de decimis judicare?

14. Qua ratione ſcripſerit Ruzæus, *videri contrarium inter Regaliæ memorialia &c.* non explicat. Forſan ante Concilium Lugdunenſe II Miniſtri Regii amplificandis Regaliæ commodis ſemper intenti, ad decimarum uſurpationem viam ſternere jam ceperant, ſed poſt illius Concilii decretum modus illorum cupiditati adhibitus eſſe videtur, ut conſtat ex prædicto Arreſto octo poſt celebrationem Concilii annis dato.

15. DISSERT. „ Dicitur *Jus conferendi Beneficia*, quia „ collatio Beneficiorum ad fructus pertinet, ſecundum Abba„ tem Panormitanum, & alios Interpretes in cap: *Illa devotio„ nis.* Tit: *Ne ſede vacante aliquid innovetur*; & Gloſſam cap: „ *Cum olim.* Tit: *De Majoritate & Obedientia*: Nec non in „ cap: *Generali Conſtitutione. De Electione & Electi poteſtate, in „ ſexto.* Quæ in editione Romana reciſa eſt. Unde apud nos „ illud velut Axioma Juris invaluit, conſtanterque retinetur: „ *Collatio Beneficiorum computatur in fructu.*

16. RESP. Manifeſtus eſt illius Axiomatis abuſus, dum in favorem collationis Beneficiorum à Rege titulo Regaliæ factæ addu-

adducitur. Inventum enim eſt, ut Beneficia non conferrentur ab illis, ad quos vacantibus ſedibus Juriſdictio Epiſcopalis devolvitur, nempe à Capitulis Eccleſiarum cathedralium, ſed eorum collatio futuris Epiſcopis reſervaretur. Ideò quippe collationes fructibus comparantur, quia ſicut iſti, ita illæ ad Epiſcopum, utpote Beneficiorum omnium ſuæ Diæceſis Ordinarium, & ut ita dicam, naturalem collatorem pertinent. Itaque abſurdum eſt, rationem, quam excogitarunt Canoniſtæ, ne Capitula, dum Prælatis in Juriſdictione contentioſâ & neceſſariâ ſuccedunt, Beneficiorum diſpoſitionem ad ſe traherent, oſtentare tanquam certum, & invictum titulum ad adſcribendam illam diſpoſitionem perſonæ laicæ; quodque Doctores ex occaſione, atque ad rem certam illuſtrandam dixerunt id tanquam immotam Juris Regulam conſtituere, ad probandum uſum, & Canonum & Canonici Juris Interpretum menti prorſus repugnantem. *Art.* 1. §. 1.

17. Etenim, ſi Capitula perſonis Eccleſiaſticis conſtantia, licet cuſtodiam fructuum tempore vacationis provenientium habentia, ex multis canonibus, Beneficia tamen conferre nequeunt, ut expreſſè declarant Textus Juris canonici, & Gloſſa, & Doctores: an veriſimile eſt Gloſſatorem, dum collationes Beneficiorum cum fructibus recenſuit, ut utraque reſeruarentur Epiſcopo ſucceſſori, intellexiſſe, quod ſi quando, vel ex Eccleſiæ conceſſione, vel ex alio titulo fructus temporales vacantibus ſedibus perſonæ Laicæ quâcumque dignitate præfulgentes ſibi vindicarent, inter illos fructus connumeranda etiam eſſet Beneficiorum diſtributio?

18. Adducenda ſunt verba Gloſſæ cap. *Cum olim* De major: & Obedien: quæ ſunt quaſi primum illius loquendi modi fundamentum, quod P. Alexander *velut Axioma Juris* appellat;

Art.1. *Collatio Beneficiorum computatur in fructu.* Sic igitur Gloſſa in
§. 1. prædictum Cap: *Cum olim* verb. *Capitulo.* *Capitulum non poteſt conferre Beneficia quæ pertinent ad Epiſcopum vacante Eccleſiâ, quia omnes fructus, & Jura Epiſcopatus debent fideliter cuſtodiri, & reſervari ſucceſſori 12. Q. 2. Hæc hujus placiti. Et cap. Non liceat, & S. de Off: Ord: cum nos. Sed Collatio Beneficiorum inter bona Epiſcopalia & fructus computantur, & magnum fieret præjudicium Epiſcopo ſucceſſori per talem collationem: & ideo non poteſt conferre nec diſtrahere tales fructus, ſicut nec alios: & de hoc dictum eſt ſupra eodem titulo Hiſque.* Vox, *fructus*, hîc abuſivè ſumitur, ſeu ſimilitudinariè, *cum Beneficiorum collationi tribuitur.* Et licet in proprio ſenſu acciperetur, ejus eſt conditionis, ut in clauſulâ generali non eſſet intelligenda, in favorem Laici. Cum enim, ſecundum Canones, Laici Jurium Spiritualium ſint incapaces ex propria conditione & ſtatu, non cenſeretur Eccleſia cum illis ſuper hac incapacitate diſpenſare, collationemque Beneficiorum, quæ certe ſpiritualis eſt, ut infra manifeſtius oſtendetur, maxime cum fit pleno jure, conceſſis fructibus indiſtinctè, concedere; ſiquidem ut habet Juris Regula; *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.. De Reg. Juris* in Sexto. Reg. 81.

19. Ea fuiſſe videtur Coſmæ Guimerii in Senatu Pariſienſi Præſidis ſententia, qui, quamvis in Gloſſa Pragmaticæ Sanctionis Tit. de Collationibus, §. *Cui rei.* verb. *Juriſdictio*: prædicto Axiomate utatur, ut probet, Beneficiorum poſt Epiſcopi mortem vacantium Collationem Succeſſori reſervandam: tamen de Regalia agens in Tit. de Annatis, §. *Item quod dicta quinta pars.* verb. *Regaliæ.* Collationem Beneficiorum à fructibus ſecernit. Hæc ſunt ejus verba in Tit. *de Collationibus.*

lationibus. Conferre computatur inter fructus: ut not. in dicto Art. 1. *Cap. Cum olim. Fructus autem debent reſervari futuro Succeſ-* §. 1. *ſori. Cap. quia ſæpe. de elect. in 6.* &c. In Tit. autem *de Annatis* ſic ſcribit; *Rex Franciæ & Angliæ vendicant ſibi in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus ſuorum Regnorum Collationem Præbendarum, aut aliorum Beneficiorum ſede vacante; & illo etiam tempore ipſarum Eccleſiarum temporalia recipiunt, & ſibi applicant, & circa hoc ultimum providit Gregorius X. in Concilio Generali contra hæc de novo uſurpantes, & contra abutentes quibus competit ab antiquo. De hoc autem Jure conferendi nihil providit.* Diſtinguuntur ergo illa duo, ſiquidem Concilium circa unum providens, de alio nihil providit.

20. Qui Collationem Beneficiorum ad Regem Chriſtianiſſimum pertinere aſſerunt ex illa Gloſſa, fateri ad minus coguntur, jus illud non modo Coronæ Regiæ non coævum, ſed nec admodum antiquum eſſe: ſiquidem decretalis illa, *Cum olim.* Eſt Gregorii IX. cujus obitus ad annum 1241, conſignatur, eoque tempore adhuc recentior eſt Gloſſa. Si enim à Bernardo Parmenſi, ut veriſimilius eſt fuit edita, ſcripſit ille, hortante Innocentio IV. qui anno 1254. obiit, neque ante illam Gloſſam hoc Gallorum axioma quiſquam protuleтat, nec uſquam in Textu Juris Canonici reperitur.

21. Quin etiam in materia Regaliæ nunquam univerſim ante poſtrema hæc tempora uſurpatum, & in Praxim redactum fuerat illud axioma: cum plures fuerint in Regno Eccleſiæ, in quibus qui fructus Eccleſiarum vacantium prætextu cuſtodiæ percipiebant, Beneficia tamen non conferebant, quod de comitibus aliiſque Principibus non ſupremis certius, quàm ut probatione indigeat. Sed & de Rege ipſo idem teſtantur Senatusconſulta, quæ à Gallis Scriptoribus partim

*Art.*1. citantur, partim referuntur. Duo miniſtrat exempla inſignia
§. 1. Renatus Chopinus in Senatu Pariſienſi Advocatus; primum de Domanio Franciæ lib. 2. tit. 9. num: 7. cujus hæc ſunt verba; *Nemo utique dubitat, Britonum Duces priſcos habuiſſe vacantium cuſtodiam Eccleſiarum, ut Andegavenſi illorum fædere cum Gallo Rege cavetur, hac clauſulâ, Jus Regaliæ quod in ſuis Eccleſiis Cathedralibus habere dicitur.* anno 1231. *Quo jure pariter Galliarum Reges ibidem utuntur hodie tanquam Patroni Templorum munifici, ad prophanos quidem bonorum reditus adminiſtrandos, non ad titulos ſacerdotiorum, vacuâ Cathedrâ, conferendos. Quâ de re extat Caroli VI. Conſtitutio, apud Aufrerium in ſtylo Parlamenti tit. de immunit. & reparat. Eccles.*

22. Alterum exemplum extat ibidem num. 6. ubi etiam propria ſenatusconſulti verba repetuntur. *In aliis*, inquit ibi Chopinus; *quibusdam Eccleſiis certo modo coarctata ſunt Regalia, iisque Anguſtis finibus, ut Prophanorum dumtaxat perceptiones redituum complectantur, non etiam collationes Beneficiorum, puta de Anicienſis Epiſcopii Regalia, ſenatus hanc quondam tulit ſententiam.... Nec eſt probatum, quod Dominus Rex vacante Eccleſiâ Anicienſi, tenuerit domum Epiſcopalem, nec fortalitia Civitatis, nec quod contulerit aliquam Præbendam in Eccleſia, nec quod Capitulum unquam denunciaverit mortem Epiſcopi Anicienſis vacante ſede, Domino Regi, vel quod petierit ab eo licentiam eligendi.*

23. DISSERT. „Dicitur Jus conferendi Beneficia *Curam Animarum non habentia.* Quæ enim Curam Animarum „habent à ſolis Epiſcopis conferri poſſunt, cum eorum fun„ctiones abſque miſſione nòn poſſint exerceri. Quamobrem „Regaliæ non ſubjacent, nec in eorum Collationem Chri„ſtianiſſimi Reges manus injicere voluerunt, ſed eorum ple-

„nam

„ nam diſpoſitionem Eccleſiaſticis, & Ordinariis Collatori- *Art.* 1.
„ bus reſervarunt. Eorum itaque Collatio fit à Capitulo ſede §. 1.
„ vacante, ſi ad Capitulum & Epiſcopum conjunctim perti-
„ neat, aut futuro ſervatur Epiſcopo; ut obſervat *Ægidius*
„ *Magiſter* Senatus Princeps, Tract: *de Regalibus. Moli-*
„ *næus*, in Regulam *de infirmis reſignantibus*, num. 420. Cu-
„ rata etiam Beneficia Regaliorum Juri ſubjici aſſerit, cujus
„ audaciam cæteri non probant. Vid: *Ruzæum* Privilegio 39.
„ Tract. Regal. & *Probum*, quæſt: 9. num. 3. & quæſt: 10.
„ num. 10.

24. RESP. An Præbendarum Theologalium functio, ſcilicet Prædicatio Verbi Divini, Miſſionem non requirit? Qui hoc ſentit ab Apoſtolo diſſentit ad Romanos ſcribente; *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Roman. 10. diſſentit à Concilio Trid: Seſſ. 23. Can. 7. de Sacram. Ordinis. Anathema pronunciante contra illum qui dixerit, *Eos qui nec ab Eccleſiaſtica & Canonica poteſtate ritè ordinati nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe* VERBI, *& Sacramentorum Miniſtros.* An non Miſſionem vel commiſſionem poſtulat functio viſitandi, excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, puniendi, abſolvendi, aliaque his ſimilia præſtandi, quorum facultatem Archidiaconi, Præpoſiti, Decani, aliique quàm plures ratione dignitatis Eccleſiaſticæ vel etiam Capitula multa, obtinent? An nulla Miſſione opus eſt Canonicis Eccleſiarum Cathedralium, ut Epiſcopalem Juriſdictionem exerceant ſede vacante? An unius Parochiæ Rector Miſſione indiget, non autem totius Diœceſeos, Epiſcopo defuncto, Rectores? An non Miniſtri omnes domus Dei, quæ eſt Eccleſia, à præpoſito Familiæ admittendi ſunt?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Art. 1. §. 1. 25. Ne igitur exiſtimet Pater Alexander, quod ſola Beneficia curam animarum habentia, Regaliæ ſubtrahens, & contrariam Molinæi Sententiam reprobans, Juriſdictionem Eccleſiaſticam illæſam ſervaverit. Quemadmodum enim, licet Gloſſa Juris Canonici ab hac propoſitione; *Collatio Beneficiorum inter bona Epiſcopalia & fructus computatur*, Beneficia Curam Animarum habentia non exceperit; tamen hæc à Rege prætextu Regaliæ conferri non poſſe, fateri coguntur Regaliſtæ, ne Claves Cæſari cum Petro communes videantur: ita cætera Beneficia, cum nullum ſit abſque functionibus ſpiritualibus, etiamſi fructus, ſede vacante, pertinerent ad Regem, eſſent ſuperioribus Eccleſiaſticis reſervanda, niſi expreſſè illorum etiam Collatio eſſet ab Eccleſia indulta.

26. Debuerat ſaltem Diſſertator, illorum Regaliſtarum expreſſè improbare Sententiam, qui Beneficia Regaliæ ſubjiciunt, quibus Animarum Cura eſt tantum velut acceſſoria. Licet enim in his quoque militet ratio neceſſitatis Miſſionis, aliqui Regulâ illâ Juris abutentes; *Acceſſorium naturam ſequi congruit Principalis*, ſcripſerunt, Regem dignitatem conferentem, Animarum etiam Curam ei annexam conferre poſſe Jure Regaliæ: atque ita reipſa aliquoties, ut à Gallis quibuſdam fide dignis accepi, factum eſt, nominatim in Eccleſia Sancti Felicis de Carmaing Diœceſis Toloſanæ. Licet autem pernicioſior ſit error Molinæi, quem confutat P. Alexander, quia latius patet, ejuſdem tamen rationis eſt alter ille de Beneficiis quibus Animarum Cura eſt tantum annexa, *cum hæc abſque Miſſione non poſſit exerceri* ullo pacto: præpoſtere autem Animarum Cura tanquam Acceſſoria Naturam ſeu conditionem dignitatis aut alterius Beneficii ſequi dici-

dicitur, cum ſint ordinis maximè diverſi. Quod confirmat Autoritas Gregorii IX. ſtatim referenda. *Art.* 1. §. 1.

27. DISSERT. „ Additur in definitione, *quæ ab Epiſ-* „ *copo conferri ſolent* : Quia Rex Epiſcopi Juribus vacante „ ſede quoad Collationes Beneficiorum ſimplicium ſubroga- „ tur : adeoque nihil amplius poteſt quàm Epiſcopus. Unde „ Gregorius IX. ad *Fredericum* II. Imperatorem anno 1236. de „ Regalium uſu ſcribebat : *Eſto quod aliqua Beneficia vacantia* „ *conferas* ; *ut Curam tamen Animarum illis annexam commit-* „ *tere valeas*, *Jus ſpirituale, quod non cadit in Laicum, non* „ *permittit*. *Eſto quod in Collatione Beneficiorum morientibus* „ *ſuccedas* (*ut dicis*) *Epiſcopis* ; *majorem in hoc ipſis non adi-* „ *piſceris poteſtatem*. Apud *Odoricum Rainaldum*, ad eum an- „ num, num. 21.

RESP. Gratias Regi Chriſtianiſſimo, quod ſibi per declarationem publicam limites præſtituerit. Neſcio enim annon abuſum, conferendi prætextu Regaliæ Beneficia, quorum Collatio ad alios quàm Epiſcopos pertinet, probabilem conquiſitis excuſationibus efficere conatus fuiſſet P. Alexander; niſi ei ſua Majeſtas renunciaſſet: Quandoquidem ea quæ reipſa fiunt, juſta oſtendere potius, quàm an juſta ſint examinare, ſatagit hic Autor. Illius aûtem abuſus, quem Miniſtri Regii conabantur inducere, novitas apertè colligitur ex eo quod non ita pridem, anno ſcilicet 1643. pronunciatum fuit Arreſtum, quo Capitulo Catalaunenſi adjudicata eſt, vacante ſede, Collatio Beneficiorum, quæ dictum Capitulum vivente Epiſcopo conferre ſolebat. Extat Tom. 2. Act: Cler. Gall. par: 2. tit. 6. num. 22.

29. Verum variis adhuc modis allata hic à Patre Alexandro Regula violatur, *Regem* videlicet *Epiſcopi Juribus, vacante ſede*,

Art. 1. §. 1. *ſede, quod Collationem Beneficiorum ſimplicium ſubrogari, adeoque nihil amplius poſſe, quam Epiſcopum.* Longe enim majorem Regi Chriſtianiſſimo, durante Regaliâ, in conferendis Beneficiis poteſtatem, quam ſuperſtitibus Epiſcopis, aut ſummo etiam Pontifici competat, ſolent tribuere Officiales Regii, & ipſemet P. Alexander, ut ex ejus verbis ſequentibus patet.

30. DISSERT. „ Nihil autem refert an Beneficium illud „ Epiſcopi collationi attributum, ſede Epiſcopali vacante, an „ antea vacaverit, modo vacatione occurrente, vacuum per- „ manſerit, nemine de Jure vel de facto occupante. Quovis „ enim modo vacet, Regaliæ ſubeſt ejuſque collatio ad Regem „ pertinet. Cujus Juri, etſi conferre diſtulerit, etſi neglexe- „ rit, nulla ab Ordinario facta collatio præſcribit, ut Pragma- „ tici noſtri docent; nec poſſeſſio quælibet, niſi triginta an- „ norum præſcriptione firmatâ, juxta *Ludovici XII.* Edictum, „ ut *Ruzæus*, aliique Regaliſtæ probant. Vacare autem Bene- „ ficia triplici ratione obſervat. 1. de facto, cum is qui cano- „ nicè inſtitutus eſt, corporalem adire neglexit poſſeſſionem, „ vel eam quidem adiit, ſed Procuratoris miniſterio: de jure, „ cum realem quidem Beneficii poſſeſſionem & per ſeipſum „ adiit, ſed ex titulo vitioſo & caduco, quod Jure canonico „ ſtare non poteſt: De facto ſimul & de Jure; cum nec realem „ & perſonalem poſſeſſionem adeptus eſt, nec ipſi Canonicus „ titulus ſuffragatur. Id ex *Filippi Valetii* Conſtitutione, quæ „ Philippina vulgò dicitur, edita anno 1334. compertum eſt; „ & latius explicant *Ruzæus* Privilegio 2. & *Probus* quæſt. 27.

31. RESP. Utrum Principibus, eorumque Miniſtris & Advocatis potius, quàm Conciliis circa res Eccleſiaſticas credendum ſit, judicet Catholicus Lector. Rex Chriſtianiſſimus

mus Epiſcopis ſubrogari per Regaliam dicitur. Cur ergo non iisdem Legibus, ſeu Canonibus, quibus Epiſcopi, tenebitur? detur venia Miniſtris, ſeu officialibus politicis in proprium commodum Jura Regia protendere Studentibus; an eorum deſideriis obſequi Theologum decet, præſertim qui per Profeſſionem Religioſam ſæculo renuntiavit? An Perſonæ laicæ plus eſt tribuendum Autoritatis in ſpiritualia, qualia ſunt Beneficia, ſaltem quoad principalem ipſorum partem, quàm Eccleſiæ Paſtoribus? Quis enim Epiſcopus, aut etiam Papa Clerico Beneficium ei canonicè collatum unquam adimendum à ſe putavit poſt aditam à Beneficiario per Procuratorem, licet nondùm per ſe ipſum, poſſeſſionem? Eſto, poſſit Rex Beneficia quæque vacantia invenerit, conferre, ne diutius officiis ſuis defraudentur: quandoquidem Epiſcopo ſubrogari dicitur: ſed quâ ratione novus Epiſcopus per triginta annos Beneficia ſuæ Diœceſis vacua relinquere compelletur, ſi tamdiu Rex diſtulerit aut neglexerit? Quia, inquiunt Regaliſtæ, Rex ea conferens in Regaliâ ſuperiorem non agnoſcit. Neſcio quomodo Catholicos homines non pudeat hujus ſententiæ. Quod enim in hujuſmodi rebus laici etiam Principes Eccleſiæ ſubſint, non video quomodo negari poſſit, niſi ab iis, qui Regimen Eccleſiæ penes Principes ſæculares à Chriſto principalitèr repoſitum aſſerere non erubeſcunt. Art. I. §. I.

32. Sed etſi Rex non ſolum Epiſcopo, ſed etiam toti Eccleſiæ in diſpenſatione Beneficiorum & dignitatum Eccleſiaſticarum ſuccederet, nonne ſaltem, ſicut ipſe Succeſſor reputatur Epiſcopi defuncti, ita novus Epiſcopus Regis erit Succeſſor? Nònne igitur, ſicut Rex Beneficiis providet, licet ante mortem Epiſcopi, cui ſuccedit, vacare ceperint, pari, ac longe fortiori, ratione, Epiſcopus, quem Spiritus Sanctus poſuerit

*Art.*1. rit regere Eccleſiam Dei, poterit Miniſteria diſtribuere, quæ
§. 1. Rex eouſque vacare permiſerit, ne Beneficia in Eccleſiæ detrimentum diu vacent?

33. Statuerat Henricus IV. Rex Franciæ edicto anno 1606. dato Art.27. Confirmavitque Ludovicus XIII. Conſtitutione An.1629. Art.16. Clericos, qui per triennium Beneficium pacificè poſſediſſent, prætextù Regaliæ, non poſſe in judicium trahi. Tamen juxta P. Alexandrum *nec poſſeſſio quælibet, niſi triginta annorum præſcriptione firmata*, Juri Regio præſcribit. Itaque ſi novus Epiſcopus Beneficium paulo ante ſuam promotionem vacans, & adhuc ſuæ promotionis tempore vacuum Clerico ad ſacros ordines promovendo in titulum tradiderit, poſt viginti novem annos eo ſpoliari poterit, licet aliunde vivere non valeat, nec officia exercere, quorum occaſione alimenta recipiat; quodque cum omnibus Legibus pugnat, ſi quis in titulo à ſuperioribus Eccleſiaſticis accepto defectus interveniſſe dicatur, Beneficiarius, etiam non auditus nec vocatus, plerumque Beneficio ſpoliatur, etiamſi per plures annos illud pacificè poſſederit: cum tamen nemo extra Caſum Regaliæ, alium cujuscunque criminis reum, aut quovis defectu laborantem à Beneficio depellat, niſi ſententiâ, auditis vel ſaltem vocatis partibus, obtentâ, quantumvis canonicum exhibeat titulum conceſſum ſibi à ſuperiore Eccleſiaſtico, ad quem providendi Jus fuerit devolutum.

34. Præterea ſi Epiſcopus Paulo ante mortem Beneficio vacante Clericum donaverit, qui ejus poſſeſſionem ante mortem Epiſcopi per ſeipſum non adierit, licet eam fortè per Procuratorem adeptus ſit, Clerico Beneficium auferetur Jure Regaliæ, juxta P. Alexandrum: quod quàm grave ſit Clero, quam Eccleſiaſticæ Libertati, & Beneficiariorum quieti adverſum nemo

non

non videt. De quibus quidem injuriis merito Benedictus XII. gravitèr conquerebatur in Literis ad Petrum tit. S. Praxedis Præsbiterum, & Bertrandum titulo S. Mariæ in Aquiro Diaconum, Cardinales, ſedis Apoſtolicæ in Galliis Legatos, an. 1337. datis, quas ad eundem annum exhibet Odoricus Rainoldus num. 17, earum etiam fragmentum, quod ad rem maximè pertinet exſcripſit P. Alexander art. 8. §. 12. quod vide, ſi placet. *Art.* I. §. I.

35. DISSERT. „ Subdit definitio: *Donec novus Epiſcopus juramentum fidelitatis Regi præſtiterit*: quia ſola patientia „ ſive tolerantia Regis, ſive fidei clientelaris induciæ non proſunt Epiſcopo quoad collationem Beneficiorum in Regalia „ vacantium, licet ſufficiant ad uſum fructum redituum, ut „ probant *Ruzæus* Privilegio 38. *Probus* quæſt. 54. & *Magiſter* „ Protopræſes cap. 6.

36. RESP. Autor Gloſſæ in cap. *Cum olim* de major: & obedient: ex quâ conflatum eſt à Regaliſtis *illud velut Axioma Juris*, quod apud Gallos invaluit, *collatio Beneficiorum computatur in fructu*, voluerat ea ratione probare reſervandam futuro Epiſcopo, cum fructibus ſede vacante provenientibus, Beneficiorum tunc etiam vacantium diſpoſitionem: ſed incautus ſuam intentionem fraudaturis arma miniſtravit. Quando enim ſubtrahendi ſunt prætextu Regaliæ fructus Epiſcopo, ad quem ordinariò, ac, niſi Eccleſia ſecus permiſerit, ſtatueritve, divino Jure pertinet eorum diſpenſatio, ut Principi ſæculari adſcribantur, *Collatio Beneficiorum computatur in fructu*. Sed licet patientia ſive tolerantia Regis, ſive fidei clientelaris induciæ ſufficiant Epiſcopo ad uſum-fructum Redituum, tamen non proſunt ei quoàd Collationem Beneficiorum in Regaliâ vacantium, tunc enim ſecundum Diſſer-

*Art.*1. tatorem, deficit in damnum Epiſcopi, illud quod in ejus
§. 1. commodum excogitatum fuerat velut axioma Juris, *collatio Beneficiorum computatur in fructu*; Heu! quam iniquè à Scriptoribus Aulæ Regiæ mancipatis Eccleſiæ Jura tractantur.

37. DISSERT. „ Reliquæ Definitionis partes, ſolemnia „ Juris ad Regaliæ clauſuram neceſſaria explicant quæ Conſti- „ tutio *Dum Epiſcopus*, Regeſto Cameræ Computorum Pari- „ ſienſis inſerta, & inter Probationes Libertatum Eccleſiæ „ Gallicanæ edita, cap. 15. num. 35. his verbis præſcribit: „ *Dum Epiſcopus alicujus Epiſcopatus, ubi Dominus Rex habet* „ *Regaliam, ab humanis decedit, immediatè per obitum ſeu mor-* „ *tem ipſius, Regalia indicto Epiſcopatu eſt aperta, & ſuccedit* „ *Rex loco boni & Legitimi Adminiſtratoris, in omni tempora-* „ *litate dicti Epiſcopatus, confertque Beneficia non Curata, &* „ *hoc durante tempore ipſius Regaliæ. Quæ quidem Regalia dici-* „ *tur vigere, & habere locum in dicto Epiſcopatu, donec &* „ *quouſque futurus Succeſſor Epiſcopus legitimè intrans, ſuum* „ *debitum Fidelitatis juramentum dicto Domino noſtro Regi(prout* „ *tenetur) fecerit, quodque litteræ Regiæ atteſtantes dictum ju-* „ *ramentum ſic fuiſſe factum, præſentatæ, regiſtratæ & expe-* „ *ditæ fuerint in Camera Computorum. Et quod Receptor ſeu* „ *Commiſſus ad receptam ipſius Regaliæ receperit mandatum à dictâ* „ *Camerâ emanatum, per quod mandetur, ut levet manus Regis,* „ *& permittat dictum Epiſcopum uti & gaudere, ponendo ipſam* „ *temporalitatem ad plenam deliberantiam. Nec ante receptio-* „ *nem hujuſmodi mandati à dicto Receptore ſeu Commiſſo, repu-* „ *tatur dicta Regalia clauſa, ſed uſque in diem ipſius receptionis* „ *tenetur reddere Computum & rationem de fructibus hujuſmodi* „ *temporalitatis; & confert Rex Beneficia tanquam in Regalia* „ *vacantia; & hoc de jure & conſuetudine Regni & ſuæ Coro-* „ *næ Franciæ.*

38. RESP.

38. RESP. Solemnia illa olim ad Regaliæ clauſuram neceſſaria non fuiſſe colligitur ex Teſtamento Philippi II. Regis Francorum, quem Auguſtum vocant anno 1190. conſcripto. *Regina*, inquit, *& Archiepiſcopus tamdiù Regalia in manu ſua teneant, donec electus conſecratus ſit, vel benedictus ſit; & tunc Regalia eis ſine contradictione reddantur.* Idem probat declaratio Mauritii Cenomanenſis Epiſcopi, quæ à P. Alexandro refertur art:4. §.26. *Item recognovit nobis* (Rex Ludovicus VIII.) *quod quando electus Cenomanenſis erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui poteſtatem habet confirmandi, ipſe reddet ei Regalia ſua per Nuncios deferentes literas patentes de confirmatione ejus.* Art. I. §. I.

39. Attamen definitio à P. Alexandro tradita quantumvis prolixa, & ſi ad antiquam Regaliæ praxim referatur plurimum redundans, eſt adhuc manca, ſi ad poſteriora Senatus Pariſienſis Placita conferatur; Secundumque non ſufficit ad Claudendam Regaliam, ut Epiſcopus per Procuratorem poſſeſſionem adeptus ſit, niſi eam per ſe ipſe adierit. Ita judicatum fuit die 15. Martii 1677. in cauſa Eccleſiæ Toloſanæ. Certè ſi Regaliæ juſtitia, ut vult P. Alexander, feudorum titulo nititur, æquum eſſet, ut feudorum Regulas ſequeretur. Satis autem eſt ex §. *Item.* De Notis feudorum, & §. Fin. de pace Jur. fir., ut inveſtitura per Procuratorem detur & accipiatur, quod etiam in Gallia ſervatur quoad feuda.

Art. 1.
§. 2.

§. SECUNDUS.

De Origine Regaliæ.

40. DISSERT. „Juris Regaliorum naturam explica-
„re facilius eſt, quàm originem indigitare. Il-
„lam enimverò antiquam quidèm, ſed obſcuram
„plerique Noſtratium Juriſconſultorum ſigni-
„ficarunt. Paſquierius lib. 3. *diſquiſitionum*, cap. 35. pag. 284.
„ait, neminem adhûc ſe vidiſſe, qui ejus originem indicaverit;
„nec immeritò: *Si quid enim*, inquit, *in Hiſtoriâ noſtrâ*
„*obſcurum eſt, id inprimis de hac materiâ prædicandum* Alii
„ad Aurelianenſe Concilium ſub *Clodoueo*, in quo id Privile-
„gii Clerus ipſi conceſſerit, ejus exordia referunt. Sed Con-
„cilium illud præ manibus habemus, in quo nulla penitus de
„Regaliæ Jure extat memoria. Alii ad Romanam ſub *Hadria-*
„*no* I Synodum, in quâ Pontifex *Carolo Magno*, ut gratifi-
„caretur, poteſtatem conferendi omnium inveſtituras Epiſ-
„copatuum ejus Majeſtati conceſſerit. At unius *Gratiani* fulta
„teſtimonio, vel Sigeberti potius commento ruit fictitiæ
„iſtius Synodi Hiſtoria. Ideò nonnulli Regalia cum Regia
„Lege Romanorum Imperatorum temporibus comparanda
„cenſent. Enimvero ut hujuſmodi Legem Romani Juriſcon-
„ſulti maximè celebrabant, per eam veteris Reipublicæ Maje-
„ſtatem, à Populo Romano in unius hominis poteſtatem
„tranſlatam eſſe prædicantes; Nec tamen Ceſſionis hujus ac
„tranſlationis epocham deſignabant: ita quamvis Regalia
„noſtra Gallorum Patronorum ac Juriſconſultorum ore cele-
„bretur, ut lex quâ Epiſcopi jus iſtud Collationis Beneficio-
„rum

„ rum Regibus ceſſerunt, ejus tamen natalia planè comperta *Art.* I.
„ habere non poſſumus. Illi certè Regaliæ nomen haud teme- §. 2.
„ rè datum, quippè quod *cum noſtra Monarchia natum ſit,*
„ *ſaltem ex quo Reges noſtri Sanctum Baptiſmatis Sacramentum*
„ *ſuſceperunt.*

41. RESP. Non ita difficile fortaſſis fuiſſet, originem Regaliæ inveſtigare, atque conſequi, ſi ejus principium tantùm quæſitum fuiſſet, non autem juſta eorum omnium, quæ prætextu Regaliæ fiunt, excuſatio, ſeu titulus legitimus. Fieri certè omninò non poteſt, ut tempus aliquod deſignetur, quo primùm Regii Officiales, non ſolùm feudorum fructus, ſed etiam decimas, oblationes, omneſque demùm proventus, ac Beneficiorum omnium Curam Animarum non habentium Collationem Regi Chriſtianiſſimo vindicare ceperint; cum hæc non niſi ſenſim ſine ſenſu inducta ſint.

42. Adverte, quæſo, ſcriptores Gallicanos, quia cum Regaliæ originem indagare ceperunt, ſuppoſuerunt eam jam ab initio fuiſſe juſtam, ad Eccleſiæ conceſſionem recurriſſe, atque alios eam ad Concilium I Aurelianenſe, alios ad Lateranenſe ſub Hadriano I, alios ad Ceſſionem Epiſcoporum, cujus eſſet incerta epocha, retuliſſe. Sed cum nullo probabili teſtimonio probaretur ea Eccleſiæ Conceſſio, excogitatus eſt titulus coronæ, & occaſione nominis Regaliæ, Jus illud Regiæ coronæ adſcriptum eſt. Qui quidem titulus colore non careret, ſi Regalia ultra uſum-fructum Regalium ſeu feudorum à Regibus Eccleſiæ Conceſſorum, & ultra Provincias, in quibus ex conſuetudine Dominus mortuo vaſſallo fructus bonorum feudalium percipit, non excurriſſet Sed poſtquam jus illud tot acceſſionibus excrevit, & præſertim Beneficiorum Collationem complexum eſt, vix audent etiam Aulici

Scripto-

Art. 1. Scriptores Regaliam cum omnibus, quibus hodie conſtat par-
§. 2. tibus ita inter Jura Regia connumerare, ut non ſupponant Eccleſiæ Conceſſionem, vel ſaltem conſenſum acceſſiſſe. Vide P. Alexandri art: VII. §. 1.

43. DISSERT. „Ante Paſquierium, obſcuram Juris „Regaliæ originem Renatus Chopinus aſſeruit lib: 1. de Sacra „Politia, Tit. 7. num. 9. *Novum putet quiſpiam*, inquit, „*ex Regiis tabulis ſolùm patriiſque Senatus Conſultis peti hanc* „*à nobis Regaliorum tractationem, nullâ ſubjunctâ priſcarum* „*rerum memoriâ, externâque diſciplinâ. Sed meminerimus Re-* „*galia eſſe hæc noſtratiumque Regum, Senatoriaque Placita* „*veriùs, quàm deſcriptis initio certæ artis præceptis conſtituta.* „*Qualis Hebræorum Cabala, qui doctrinæ ſuæ rationem quæren-* „*tibus, unum hoc reſpondebant : dixerunt ſapientes. Paria* „*item Pythagoreorum Inſtituta probavit Gregorius Nazianze-* „*nus, cum Juliani Cæſaris occurreret convitio in Chriſtianæ* „*Philoſophiæ dictatum hoc : Crede. Nam in diem cedente iſto,* „*ipſe dixit, & apud nos crede, licet aliis Syllabis & verbis.* „*Ita Nazianzenus. Ac velut Procopii* τὰ ἀνέκδοτα *memoravit Sui-* „*das, quaſi nondùm vulgatum Opus, nec apertè ſcripta metho-* „*do conſtans : ſic Regaliorum cognitio vix patuerit antiquarum* „*duntaxat lectionum Studioſis, ſed Praxiarchis, aſſiduiſque* „*forenſium cauſarum Auditoribus.*

44. RESP. Ingenua eſt & vera hæc Chopini Confeſſio. Nil enim certi circa originem Regaliæ colligi poteſt ex antiquioribus monimentis; ſed ex Regiis tabulis ſolùm, patriiſque Senatus conſultis petita ſunt, quæ de hoc argumento ſcripſerunt primi Juriſconſulti : *Sic Regaliorum cognitio vix patuerit antiquarum dumtaxat Lectionum Studioſis.* Sed alia poſtremis his temporibus fuit excogitanda juriſprudentia, ut

Regalia extra fines in antiquis Conſtitutionibus & Arreſtis notatos produceretur. Ac ſi novis Regaliſtis credendum eſt, non jam de Origine Regaliæ, ſed de nova ejus ad omnes Eccleſias Gallicanas extenſione cum Chopino dicendum eſt, eam ſimilem eſſe *Hebræorum Cabalæ, qui doctrinæ ſuæ rationem quærentibus unum hoc reſpondebant: Dixerunt ſapientes* &c. *Nam Regia Declaratio hâc in materiâ ſuprema lex eſto,* (*inquiunt Regii Magiſtratus & Juriſconſulti Galli,*) teſte P. Alexandro art. 5. §. 21. Ac poſt Regiam Declarationem rem definitam *in dubium revocare fidelibus Majeſtatis ejus ſubditis non licet, ſed una ipſis manet obſequii Religio, & Gloria,* (*inquiunt Gallicani Juriſconſulti & Theologi,*) ut refert idem P. Alexander art. 7. §. 24. Art. 1. §. 2.

45. DISSERT. „ Duobus illis recenſior *Franciſcus Pinſonius* in Senatu Pariſienſi Advocatus, Ægyptiaco Nilo „ ſimilem ait eſſe Regaliam, cujus origo hucuſque incogni- „ ta. *Sed enim,* inquit, *illud jus, ex more antiquo Regibus „ noſtris competere, recte ait Hugo Abbas S. Dionyſii. Nam- „ que Regalia, omni Jure Canonico antiquior, Legi Regiæ, „ nec non ipſi Coronæ coæva dicitur, cujus auctoritas eò firmio- „ res radices egit, quod origo incognita, omnem hominum me- „ moriam excedens, in poſteriora tempora & hodierna continua „ obſervatione ſeſe effudit, Ægyptiaco Nilo ſimilis, cujus eò „ nobilior eſt curſus, quod origo latet, & uſque hodie incogni- „ ta permanſit. Hæc eſt enim temporum auctoritas, ut legitima „ quæque reddat, maximè dum palam & publicè poſſeſſio pro- „ ceſſit, ſcientibus, imò etiam approbantibus his, quorum in- „ tererat, & quos gravare poterat poſſeſſio, ut patet* ex l. 1. §. „ 23. ff. de aqua quotid. & æſt. *ex qua concludunt interpretes „ tum Juris civilis, tum Canonici, cum Jureconſulto, vetu-*

Art. 1. „ *ſtatem vim Legis obtinere, quod contingit in ipſo Regaliæ noſtræ*
§. 2. „ *uſu & obſervatione.*

46. RESP. Non bene ſibi cohærent hujus teſtimonii articuli: ſi enim Regalia *ipſi Coronæ coæva dicitur*, quomodo eſt *Ægyptiaco Nilo ſimilis, cujus eò nobilior eſt curſus quod origo latet, & uſque hodie incognita permanſit?* Numquid Coronæ Franciæ origo latet? Numquid uſque hodie incognita permanſit? Sed ſi adeò incertum eſt Regaliæ Principium, undenam ſciri poteſt, illam *Legi Regiæ, nec non ipſi Coronæ coævam* eſſe? An quia fundata eſt in ipſâ Lege Regiâ, & in ipſâmet Coronâ? Cur ergo *ex more antiquo Regibus Franciæ competere* dicitur? Cur ad *temporum auctoritatem* recurritur, ut *legitimam* illam *reddat?* Cur allegatur *publica poſſeſſio, ſcientibus, imo etiam approbantibus his quorum intererat, & quos gravare poterat poſſeſſio?* Cur adducitur Lex, in quâ declaratur, quod *ductus aquæ, cujus origo Memoriam exceſſit, Jure conſtituti loco habetur?* Cur profertur autoritas *Interpretum tum Juris Civilis, tum Canonici, cùm Jureconſulto, vetuſtatem fere legis obtinere concludentium; idque contingere in ipſo Regaliæ uſu & obſervatione* aſſeritur, ſi jus illud, ut reliqua Regum Jura in ipſâ Lege Regiâ, nec non in ipſâ Coronâ fundatus eſt? Si autem *illud Jus ex more antiquo Regibus Chriſtianiſſimis competit*, & ex antiquâ poſſeſſione, quo Jure ultra morem & poſſeſſionem extenditur? Nam tantum præſcriptum quantum poſſeſſum.

47. DISSERT. „ Fruſtra vero nuperus Regaliæ Impu„ gnator ejus novitatem ex eo colligit, quod Autores lau„ dati de illa non ſecus ac de Myſterio quodam locuti ſint.

48. RESP. Nuperum illum Regaliæ Impugnatorem intelligit:

telligit Illuſtriſſimum Eccleſiaſticæ Libertatis Defenſorem *Art.* 1.
Epiſcopum Appamienſem, qui, ut ab Eccleſia ſua Regaliæ §. 2.
ſervitutem propulſaret, Tractatum eâ de re typis mandandum curavit anno 1680., quem P. Alexander variis in locis carpit, ſuppreſſo illius nomine. Num autem Pater Alexander *nuperus Eccleſiaſticæ Libertatis Impugnator* aptiùs appelletur, quàm pius ille atque generoſus Epiſcopus, nuperus Regaliæ Impugnator, judicabit Lector, cum ad hujus reſponſionis finem pervenerit. Quod ad reprehenſionem à Diſſertatore hîc factam attinet, injuſtam illam eſſe, ad oculum patet. Etenim in lib. 1. Tractatus de Regalia Reverendiſſimi Epiſcopi Appamienſis Capiti quinto præfixus eſt hic titulus: *Que l'origine de la Regale à paru tres obſcure a la plus part des Auteurs qui en ont traitè*: id eſt; „Regaliæ originem ple-„riſque Scriptoribus de illa tractantibus viſam eſſe obſcuram. Ex quo jam conſtat, nondum eſſe Quæſtionem an Regaliæ origo ſit antiqua vel recens, quod in ſequentibus Capitibus inquiritur; ſed prævié inſinuari, illam eſſe obſcuram ex ipſorummet Regaliſtarum teſtimonio; nequis miretur, aut inſcitiæ potiùs, quàm rei difficultati & monimentorum penuriæ adſcribat, quod non ita diſtinctè determinetur, quo primùm tempore ejus uſus fuerit inductus. Cæterùm neque in toto illo Capite, ubi de Regaliæ obſcuritate tractatur ex profeſſo, neque alibi prædictus Præſul Regaliæ *novitatem ex eo colligit, quod Autores de illâ non ſecùs ac de Myſterio locuti ſint*, ut ei falſò tribuit P. Alexander. Adductis enim teſtimoniis Paſquierii, Pinſonii & Chopini, quæ in hoc §. refert P. Alexander, & adhuc Paponis & Ruzæi, ex quibus Chopinus lib. 1. de Sacra Politia tit: 7. n. 9.; quem ſequitur Papo lib. 2. Arreſtorum notabilium tit. 3. art. 1. Regaliam confert

Art. 1. §. 2. cum Hebræorum Cabalâ, qui doctrinæ ſuæ rationem quærentibus hoc unum reſpondebant, dixerunt ſapientes; imò ferè cum fide divinâ; proſequitur enim; *Paria item Pythagoreorum Inſtituta probavit Gregorius Nazianzenus, cum Juliani Cæſais occurreret convitio in Chriſtianæ Philoſophiæ dictatum hoc :* Crede &c. Ruzæus autem in Præfatione n. 4. ſcribit, quod *Franci contendunt nihil ipſis peculiarius eſſe inter Jura Coronæ, quam illud illuſtre & excellens Jus Regaliorum* COELITUS FRANCORUM REGIBUS CONCESSUM: Adductis, inquam, his teſtimoniis, Illuſtriſſimus Appamienſis contra illorum doctrinam notavit, Regaliam non eſſe ex Myſteriorum numero, quibus ob ſolum Dei optimi ſapientiſſimique, falli pariter ac fallere neſcii, teſtimonium, præſtandus eſt aſſenſus, etiam non cognitâ dictorum ratione: fruſtràque ad Myſteria & ad Cœleſtem Conceſſionem recurri, ut res cujus cognitio ingenii humani vires non ſuperat, juſta eſſe abſque probatione ſupponatur, affictâ illi ſpecioſâ, divinâ ſcilicet, origine.

49. DISSERT. „Obſcuritas enim ipſa originis illius „probat antiquitatem. Rerum enim novarum origines facilè „cognoſcimus. Sicut ergo quod à nullis Conciliis inſtitutum „legimus, & tamen in Eccleſia ſemper ſervatum eſt, ab „Apoſtolis acceptum certiſſimè creditur, ut S. Auguſtinus „tradit: ita pari quodammodo, & ſervatâ proportione, „mores ab antiquo in Republicâ ſervati, quorum exordia „incognita ſunt, ab ipſis Reipublicæ initiis ſunt arceſſendi. „Quamobrem Regaliæ obſcurior origo eam eſſe Monarchiæ „penè coævuam potiùs ſuadet, quàm fundamentum præbeat „ipſam velut novum inventum ſugillandi.

50. RESP. Præſtrinxit Diſſertatoris oculos præclaræ S. Augu-

Auguſtini Sententiæ fulgor, ne rerum diſſimilitudinem ma- *Art.*1.
nifeſtam videret. Non attendit ad hæc ſua verba, & tamen §. 2.
in Eccleſiâ ſemper ſervatum eſt, quæ poſtulabant, ut in alio comparationis membro poneret, mores ſemper in Republicâ ſervati, non autem ab antiquo dumtaxat. Licet enim, quo tempore & quâ occaſione cœperit uſus Regaliæ, non ita clarè pateat, certiſſimum tamen eſt, & P. Alexander, ut ſtatim videbimus, ſaltem tacitè fateri cogitur, ipſum longè poſt conſtitutam Franciæ Monarchiam fuiſſe inchoatum. Itaque, ut ejus ratiocinationem contra ipſum retorqueamus, quemadmodum Eccleſiæ conſuetudines, quas certum eſt originem habere Apoſtolis recenſiorem, licet antiquæ ſint, earumque principia incerta, non debent ad Apoſtolos referri: ita licet obſcurum ſit, quo tempore Officiales Regum Franciæ Regaliæ uſum induxerint, & uſus ille antiquus aliquatenus dici poſſit; tamen non poteſt Regiæ Coronæ coævum dici: Siquidem, ut mox demonſtrabimus, neque ſub primâ Regum Francorum Dynaſtiâ, neque ſub ſecundâ, neque initio tertiæ locum habuit.

51. Sed & Diſſertator ipſe, ut modò inſinuavimus, cauſæ ſuæ vitium prodere ac tacitè fateri cogitur, evidenti nimirum ratione alioquin convincendus. Non enim ait abſolutè Regaliam eſſe Monarchiæ coævam, ſed *penè coævam.* Vidit enim, niſi me conjectura fallit, abſurdum eſſe, Jus Regaliæ id eſt uſum-fructum bonorum, & Collationem Beneficiorum Eccleſiaſticorum primis Francorum Regibus, utpotè paganis, tribuere, ac præter omnium Hiſtoricorum fidem, uſum poſterioribus temporibus exortum, ad prima ſæcula referre. Non ita timidè S. Auguſtinus ad Apoſtolicam inſtitutionem reducit traditiones Eccleſiaſticas; qua-

§. 3. rum ignoretur principium. Imò Diſſertator ipſe Art. 7. §. 1. apertè fatetur, Francorum Reges, qui Clodovæum anteceſſerunt, Jus Regaliæ, ſaltèm quatènus Collationem Beneficiorum involvit, non habuiſſe.

§. TERTIUS.

De titulis ſeu fundamentis, quibus Regalia niti dicitur, ac primò de Eccleſiarum Cuſtodiâ.

1. DISSERT. „ Duobus titulis ac fundamentis Regaliæ Jus Auguſtum nititur.

2. RESP. Si ergo, ut certò ſperamus, titulos illos non eſſe legitimos ad excuſandum Regaliæ uſum demonſtraverimus, illum non eſſe juſtum fateatur oportet ipſius Patronus. Si hæc duo fundamenta corruerint, tota, quæ illis innititur, Diſſertationis moles corruat omninò neceſſe eſt. Cùm enim duos eſſe titulos ac fundamenta abſolutè dicat, non autem præcipua tantùm illa eſſe, ſatis apertè ſignificat, ſe omnia hac diviſione complecti. Quænam ergo ſunt illa duo fundamenta? Quinam duo illi tituli?

3. DISSERT. „ Primus titulus eſt Eccleſiarum Cuſtodia „ & defenſio.

4. RESP. Princeps quilibet Chriſtianus Eccleſiam cuſtodire ac defendere tenetur. Hæc enim una eſt ex præcipuis cauſis, ob quas à Deo conſtituti ſunt Reges, ut agnovit S. Eduardus Angliæ Rex, & Legislator celeberrimus, atque his verbis, quæ extant in Archayanomiâ Anglicâ Wilhelmi Lombardi declaravit. *Rex, quia ſummi Regis Vicarius eſt, ad hoc*

hoc eſt conſtitutus, ut Regnum terrenum, & populum Domini, Art. 1.
& ſuper omnia Sanctam veneretur Eccleſiam ejus, eamque ab §. 3.
injurioſis defendat, & maleficos ab eâ avellat. Idem notaverat Concilium Pariſienſe VI. anno 829. habitum lib. 2. cap. 2. his verbis; *Regale miniſterium ſpecialiter eſt Populum Dei gubernare, & regere cum æquitate, & juſtitiâ, & ut pacem, & concordiam habeant ſtudere. Ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum & ſervorum Dei.* Hujus autem cuſtodiæ pars eſt in comprimendis malis, ne Eccleſiaſticis perſonis aut bonis injuriam inferant, eo præſertim tempore, quo, defuncto Epiſcopo, iniquis facilius eſt Clericos opprimere, illorumque, nec non Eccleſiæ viduatæ fructus diripere. Quam etiam ob cauſam S. Iſidorus à Patribus Concilii Pariſienſis loco citato relatus, monet, *ut cognoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe reddere rationem propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt.*

5. Porrò Reges Franciæ non ſolùm Eccleſiarum in ſuo Regno conſtitutarum, ſed ipſius etiam Eccleſiæ Romanæ defenſores ſe multotiès exhibuerunt; undè Illuſtriſſimus D. Petrus de Marca Concord: lib. 1. cap. 12. probare conatur, *pluribus nominibus ad ejus Eccleſiæ dignitatem tuendam & ornandam Reges Chriſtianiſſimos obſtringi, quàm cæteros totius Europæ Reges & Principes: ſcilicet eximio illo Jure Patrocinii, ſeu protectionis Regiæ erga Romanam Sedem, quod Francorum Regno quæſitum eſt.* Hujus autem rei probationem inter alias egregiam accerſit à Teſtamento Caroli Magni, qui Filiis ſuis poſt ſe regnaturis ſic præcipit: *Super omnia autem jubemus, ut ipſi tres fratres Curam & defenſionem Eccleſiarum S. Petri ſimul ſuſcipiant; ſicut quondam ab Auo noſtro Carolo & Beatæ Memoriæ Genitore noſtro Pipino Rege; & à nobis poſteà ſuſcepta*

Art.1. *ſcepta eſt, ut eam cum Dei adjutorio ab hoſtibus defendere nitan-*
§. 3. *tur, & juſtitiam ſuam, quantùm ad ipſos pertinet, & ratio poſtulaverit habere faciant.* An igitur in Eccleſiâ etiam Romanâ Jus Regaliæ habebunt Reges Franciæ, quia ſunt ejus defenſores?

6. Reſpondebit fortè Autor Diſſertationis, Regem Chriſtianiſſimum non ita propriè Eccleſiæ Romanæ, ut Gallicanarum Defenſorem eſſe; quoniam non niſi urgente neceſſitate, quæ rariùs occurrit, Eccleſiam Romanam armis defendere contingit; cum Eccleſiarum Gallicanarum protectioni perpetuò incumbat, ſitque, ut Scholaſticorum more loquamur, Eccleſiæ Romanæ Defenſor, *habitu*, Gallicanarum, *actu:* adeòque in iſtis, non in illâ Regaliæ Jus ſibi vendicet. Sed nonne alii etiam Principes Chriſtiani in Ditionibus ſuis Eccleſias tuentur? An eo prætextu omnes alii Regaliam exercent? Nonne reliquis omnibus communis eſt ratio, quam affert P. Alexander; cùm tamen Jus Regaliæ Regi Chriſtianiſſimo cum reliquis Principibus commune eſſe neget Art.7. §.1.

7. DISSERT. „Eccleſiarum cuſtodia & defenſio, ratione cujus honorarium quoddam Cuſtodibus, Advocatis, „ ac Defenſoribus attributum eſt.

8. RESP. Indignè ac ſordidè de ſuo Rege ſentiri vult diſſertationis Autor, cum officium à Principibus pietatis affectu generoſè ſuſceptum, ſeu ab Omnipotenti Deo, per quem Reges regnant, impoſitum, & ex quo maxima illis gloria accedit, mercede temporali ſicut & ſpirituali remunerandum contendit, ſolùmque Regem Chriſtianiſſimum operas, Regaliæ pretio venales, in Eccleſias conferre.

9. Pii Magnanimique Prædeceſſores Regis Chriſtianiſſimi adeò ab Eccleſiis, quarum ſpecialem cuſtodiam & protectionem

nem ſuſcipiebant, non exigebant tuitionis mercedem, ut etiam Fiſcalibus juribus cederent in ipſiſmet præceptis ſeu diplomatibus, quæ in teſtimonium protectionis concedebant. Cujus quidem liberalitatis teſtimonia plurima extant in fine tomi ſecundi Capitularium Regum Franciæ ab eruditiſſimo viro Stephano Baluſio collectorum, in appendice Actorum veterum, præſertim ſub nu. 27. 29. 30. 32. 33. 36. 44. 45. 48. 52. 62. 74. 75. 122. 124., in quibus, enumeratis variis Libertatis capitibus, additur; *Quidquid de præfatæ rebus Eccleſiæ* (ſive præfati Monaſterii) *Jus Fiſci exigere poterat, in integrum eidem conceſſimus Eccleſiæ.* *Art. 1. §. 3.*

10. Sed ſi conſtituenda eſt merces, ſervanda eſt inter illam & opus præſtitum æqualitas. In quonam ergo conſiſtet ſalarium, ſeu honorarium? Reſpondet P. Alexander.

11. DISSERT. „Quod in uſufructu redituum Eccleſiæ „vacantis; & Præbendarum collatione, quæ inter fructus „optimo Jure computatur, Regum noſtrorum reſpectu poſi„tum Gallicana Eccleſia eſſe voluit, Romana probavit, præ„ſcripta conſuetudo firmavit.

12. RESP. Excedit certè Beneficii magnitudinem honorarii pretium. Si enim cuſtodia de tempore vacationis ſedis Epiſcopalis tantùm accipiatur, quia tunc Eccleſia ob defectum Paſtoris in aliquo videtur verſari periculo, atque adeò aliquâ protectione indigere, evidenter apparet exceſſus mercedis. Ecquis enim unquam totam rei cuſtoditæ utilitatem in cuſtodiæ mercedem cedere debere judicabit? Ecquæ unquam Leges Tutoribus in tutelæ præmium aſſignarunt omnes pupillorum reditus, omniumque officiorum & dignitatum liberam diſtributionem? Sed etſi Cuſtodia de illo etiam tempore intelligatur, quo Epiſcopus vivit, cum tunc ipſemet Paſtor Eccleſiam

F cuſto-

Art. 1. cuſtodiat, non videtur ulla Regi merces aſſignanda, cum nul-
§. 3. lam omninò ipſe operam præſtet. Etſi enim forſan periculum eſſet, ne bonorum temporalium reditus vel etiam decimæ diriperentur, niſi Regis eorum Protectoris potentia timeretur; id tamen nullam poſtulat à Rege curam, nullas expenſas, ut idcircò magis debeant adſcribi ejus Majeſtati non ſolum uſus fructus omnium illorum redituum, qui aliquo in periculo verſarentur, ſed etiam collationes omnium Beneficiorum curam Animarum non habentium, quamdiu ſedes Epiſcopalis vacat. Adde quod alia prætereà Jura propter illam cuſtodiam Regibus ab Eccleſia fuiſſe conceſſa ſcribit P. Alexander art: 2.

13. Certè ſiqua Eccleſiis fiat injuria, Senatus & alii Judices Regii Jus illis gratis non dicunt. Imò plerùmque à Clericis pinguiora exigunt honoraria.

14. At, inquit Autor, illud *honorarium in uſufructu redituum Eccleſiæ vacantis, Regum Galliæ reſpectu, poſitum Gallicana Eccleſia eſſe voluit, Romana probavit, præſcripta conſuetudo firmavit.* Si per Gallicanam Eccleſiam intelligit Epiſcopos Pariſiis mandato Regio congregatos anno 1682., fatendum eſt, ipſos conſenſiſſe, ut uſus fructus redituum Eccleſiarum vacantium, & Præbendarum Collatio (adhibitis tamen certis conditionibus) ad Regem Chriſtianiſſimum pertinerent. Sed præterquàm, quòd illi Eccleſia Gallicana dici non poterant, præpoſtera fuit illorum voluntas; tantùmque abeſt ut Eccleſia Romana illam probaverit, ut, quæ acta fuerant, irrita nulliuſque roboris eſſe juſtiſſimè declaraverit, ut videbimus Art. 8. §. 15. Si autem per Eccleſiam Gallicanam totum Clerum, aut ſaltem majorem ejus partem indicet, neſcio ex quo ſigno hanc voluntatem colligat. Quamvis enim uſus ille in aliquibus Eccleſiis jam pridèm viguerit, nullibi tamen legimus, Clerum

Galli-

Gallicanum generatim ſtatuiſſe, aut etiam expreſſum aſſenſum *Art.* 1.
præbuiſſe, ut uſus fructus redituum & Collatio Præbenda- §. 3.
rum eſſet honorarium Cuſtodiæ Eccleſiarum vacantium, quod innuunt illa Autoris verba; *Gallicana Eccleſia voluit.* Id quidem etiam reſpectu quarumdam Eccleſiarum conſuetudo firmavit, & Eccleſia tum Romana tum Gallicana toleravit, ſed non reſpectu omnium, aut etiam majoris partis: quod vel unicum, vel præcipuum eſt controverſiæ punctum.

15. Adde quòd uſus fructus Eccleſiarum vacantium & collatio Beneficiorum in illis Eccleſiis, in quibus Regaliæ Jure jam dudùm fruebantur Chriſtianiſſimi Reges, non videntur fuiſſe merces cùſtodiæ; licet fortè cuſtodia Eccleſiarum tempore vacationis à Regibus ſuſcepta occaſionem præbuerit illi uſuifructui, & Beneficiorum Collationi; ſi quidem Regalia diù incognita fuit; cum tamen Reges nunquam non debuerint Eccleſias auctoritate ſuâ protegere; ſicùt & omnes ſuos ſubditos, in quorum tamen bonis uſumfructum eo nomine ſibi non vendicant. Ac ubi primùm inductus eſt Regaliæ uſus, ſolo feudorum uſufructu continebatur. Itaque cum & ſacrorum Conciliorum Canonibus, & ſummorum Pontificum Conſtitutionibus prohibitum ſit Patronis & Advocatis Eccleſiarum, aliquid *præter antiquos, & moderatos reditus à locorum Epiſcopis inſtitutos exigere*, ut ait Lucius III. cap. *Præterea* de Jur. Patron; cui conſonant Concilium Remenſe an. 1148. Can. 6. Concilium Lateranenſe IV. an. 1215. cap. 45. non liceret hodiè Eccleſias primitivâ ſuâ libertate gaudentes prætextu Cuſtodiæ, ſuis reditibus & Beneficiorum collatione ſpoliare, præſertim cum in illis deficiat etiam alter titulus ſcilicet Jus fruendi bonis feudalibus mortuo Vaſſallo, utpote, quæ poſitæ ſint in illis Provinciis, ubi id juris,

*Art.*1. etiam quoàd feuda laïcorum, nunquàm locum habuit.

§. 3. 16. DISSERT. „ Porrò Jus cuſtodiæ ac defenſionis, & „ Jus Regaliæ idem eſſe, ſive potiùs Cuſtodiam & defenſio- „ nem Eccleſiarum Legitimum eſſe Regaliæ titulum, conſtat „ ex Canone 12. Lugdunenſis Concilii II. ſub *Gregorio* X. cu- „ jus illuſtrandi gratiâ hanc diſſertationem adornamus. *Gene-* „ *rali*, inquit, *conſtitutione ſancimus, univerſos & ſingulos,* „ *qui Regalia, cuſtodiam, ſive gardiam Advocationis ſeu defen-* „ *ſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibuslibet piis* „ *locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſte-* „ *riorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt,* „ *quantæcunque dignitatis honore præfulgeant .... eo ipſo ex-* „ *communicationis ſententiæ decernimus ſubjacere .... Qui autem* „ *ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque locorum fundatione, vel* „ *ex antiquâ conſuetudine jura ſibi hujuſmodi vendicant, ab illò-* „ *rum abuſu ſic prudentèr abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſo-* „ *licitè faciant abſtinere, quòd ea quæ non pertinent ad fructus,* „ *ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent, nec* „ *bona cætera, quorum ſe aſſerunt habere cuſtodiam dilabi per-* „ *mittant, ſed in bono ſtatu conſervent.*

17. RESP. Nota Lector & memoriâ, ſi placet, retine, Regaliam à P. Alexandro Chriſtianiſſimo Regi ex Canone XII. Concilii Lugdunenſis II. hîc vindicari; ne vanis Cavillationibus movearis, quæ contra verum ac ſanum illius Canonis ſenſum Art.5. afferentur. Cæterùm ex dicto Canone cujus illuſtrandi gratiâ hanc diſſertationem adornare ſe Autor aſſerit, nequaquàm conſtat, quod ipſe intendit, cuſtodiam & defenſionem Eccleſiarum Legitimum eſſe Regaliæ titulum, ut legenti patet. Econtrà in eo inſinuatur, cuſtodiam plerùmque prætextum dumtaxàt eſſe occupandorum bonorum Eccleſiarum

vacantium. *Regalia, cuſtodiam, ſive gardiam, Advocationis* *Art.* 1. *ſeu defenſionis titulum in Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu quibusli-* §. 3. *bet piis locis de novo uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt.* Cum autem tituli notantur propter quos Concilium tolerandam cenſuit Regaliam in illis Eccleſiis, in quibus jam locum habebat, non alios recenſet, quàm qui ex fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine petebantur. *Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine jura ſibi hujusmodi vendicant.* Non eſt igitùr juſta Regalia ob ſolam cuſtodiam, niſi vel ex fundatione competat (cujus conditionibus ſtandum eſt, & in quâ non eſt præſumendum, niſi probetur, fundatorem uſumfructum bonorum, & collationem pleno Jure Beneficiorum ſibi reſervaſſe) vel antiquâ conſuetudine firmata ſit.

18. DISSERT. „ Ratione porrò hujuſmòdi Cuſtodiæ „ Regalis ac defenſionis Eccleſiis adeò neceſſariæ, Collatio- „ nem Præbendarum Regibus Chriſtianiſſimis jure meritò at- „ tributam, comparatione ductâ ex Veteri Teſtamento, pro- „ bat *Arnulphus Ruzæus*, in ſupremo Senatu Pariſienſi Sena- „ tor Juriſconſultiſſimus in Tractatu de Jure Regaliorum, 1. „ P. Præfat. Num. 5. *Legimus in Veteri Teſtamento*, (inquit) „ *quod Rex Iſraël electus à Domino, & inunctus, deficiente* „ *Sacerdote fungebatur plerùmque miniſterio Pontificis, etiam* „ *ad præficiendos Miniſtros, ut ſcriptum eſt de* DAVIDE, 1. „ *Paralipom. cap.* 24. *ubi* DAVID *Rex* 24. *Miniſtros præpo-* „ *ſuit. Idem de Salomone* 3. *Regum cap.* 1. *& de Judâ Maca-* „ *bæo, in lib. Macabæorum, & eſt textus Iſidori in cap: Cleros* „ 21. *diſtinct.*

19. RESP. Sufficeret argumento ab exemplo Veteris Te-

 ſtamenti

Art. 1. ſtamenti ducto reſpondere, maximum inter antiquam & §. 3. novam legem, & inter utriuſque Sacrificia, Ceremonias & Miniſtros intercedere diſcrimen; adeòque quod licuit tunc Principibus, nùnc ab eis, vacante Eccleſiâ, non poſſe uſurpari. *Fuerint hæc*, ut inquit Gelaſius I. in Tomo de Anathematis vinculo, *ante adventum Chriſti, ut quidam figuralitèr, adhùc tamen in Carnalibus actionibus conſtituti paritèr Reges exiſterent, & paritèr Sacerdotes; ſed cum ad verum ventum eſt Regem eumdemque Pontificem, ultrà nec Imperator Pontificis ſibi nomen impoſuit, nec Pontifex Regale faſtigium vindicavit.* Sanè licet 3. Reg. 8. verſu 64. dicatur de Salomone, quod *in die illâ Sanctificaverit Rex medium Atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippè Holocauſtum ibi, & Sacrificium, & adipem pacificorum* &c. non concludet Theologus Autor Diſſertationis, imò nec Senator, quem refert, poſſe Regem Chriſtianiſſimum Eccleſias conſecrare, Sanctumque Miſſæ Sacrificium offerre.

20. Occurret Diſſertator Salomonem non per ſe, ſed per Sacerdotes illa præſtitiſſe, ac præſertim Sacrificia obtuliſſe; tribui autèm Salomoni, eò quòd facienda curaverit, eoque loquendi modo Sacram Scripturam uſam eſſe propter Salomonis dignitatem. Hanc expoſitionem ultrò admitto. Sed cur non etiàm Regiæ dignitati datum putemus, quod citat Ruzæus de eodem Salomone ex 3. Regum cap. 1., quæ tamèn citatio mendoſa eſt; de Patre ipſius Davide ex 1. Paralip. 24. & de Judâ Machabæo in lib. 1. Machab. cap. 24. verſu 42. quod ſcilicet Miniſtros præfeciſſe dicantur, licet non ſolâ illorum autoritate id præſtitum fuerit. Ita reipſâ inſinuat Scriptura Paralip. cap. 24. à Ruzæo citata. Sic enim habetur verſu 6.; *deſcripſitque eos Semeias filius Nathanael ſcriba*

ſcriba Levites, coram Rege & Principibus, & Sadoc Sacerdote, & Abimelec filio Abiathar, Principibus quoque familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum &c. Itaque concurrebat ſaltèm cum Rege ordo Leviticus. Adde quod Sacerdotium non ſolùm à Deo unicæ Tribui fuerat addictum, ſed etiam Miniſteria per ſortes plerumque diſtribuebantur, ut tum alibi ſæpè, tum in hoc ipſo loco legitur, verſu relatum proximè ſequenti; *Exivit autem ſors prima* &c. Unde licet Reges Judæorum ſolâ ſuâ autoritate, quod de illis refertur præſtitiſſent, id longè minus eſſet, quàm Collatio pleno Jure Beneficiorum, non ſolùm ex parte officiorum, ad quæ deligebantur Miniſtri, ſed etiam propter ipſam eligendi rationem. Quò circa malè omninò concludit Ruzæus, dùm ait. Art. 1. §. 3.

21. DISSERT. *„Unde ſi in Lege antiquâ hoc fiebat à fortiori in lege gratiæ, in quâ Reges Francorum Chriſtianiſſimi Eccleſias Cathedrales tot annuis proventibus locupletarunt, & ornamentis decorarunt:*

22. RESP. Salomon etiam Templum fundaverat & ornamentis decoraverat, plures denique Templi cauſâ fecerat expenſas, quàm Reges Chriſtianiſſimi pro Eccleſiis ſui Regni: nec tamen vel ipſe, vel ejus Succeſſores, decedentibus Miniſtris, alios, quantùmvis novæ Legis Clericis inferiores, pleno jure ſubſtituebant, Templique reditus Fiſco addicebant, licet ejus facultates, etiam tempore Machabæorum maximas fuiſſe conſtet. Sed res valdè diverſas confundit Senator Juriſconſultiſſimus, cum addit;

23. DISSERT. *„Et propterea appellantur Protectores & defenſores Eccleſiarum Cathedralium, ut egregiè dicit Archidiaconus in cap. Lectis 63. diſt. quod Reges ſunt Patroni Eccleſiarum Cathedralium, ſequitur Baldus in cap. Quanto. extra. De*

Art.1. „ *De Judiciis.* Idem Autor qui hoc argumentum accuratè
§. 3. „ tractavit, ratione fundationis Jus illud Cuſtodiæ, perce-
„ ptionem fructuum, & Beneficiorum ſimplicium Collatio-
„ nem includens, Regibus Chriſtianiſſimis convenire pro-
„ bat. *Quia in traditione rei ſuæ quilibet poteſt apponere pactum*
„ *quod vult, etiàm in ſpiritualibus. Text. & Glos. in cap. E-*
„ *leutherius. 18. q. 2. & ibi colligit Dom. Abbas in cap. Quanto.*
„ *Extra de Cenſibus. Fortius dicit Dominicus in cap. Cum ex eo.*
„ *In ultimo notab. de Elect. in Sexto. Quòd Rex fundans Eccle-*
„ *ſiam poteſt in creatione apponere onus, quòd occurrente vaca-*
„ *tione non ſpectet Collatio niſi ad Poſteros gentis & familiæ ſuæ.*
„ *Pro cujus confirmatione affero, quod elegantèr voluit Gloſſa in*
„ *dicto cap. Generali. In verbo fundatione, de electione, in ſex-*
„ *to, dicens: quòd Patronus tempore fundationis poteſt diſpo-*
„ *nere; ut fructus Eccleſiæ, quando contigerit illam vacare,*
„ *ſibi ſpectent. Et iſtud tenet Innocentius in cap. Quoniam. Ne*
„ *Prælati vices ſuas. Sed Collationes ſunt in fructu. Glos. in cap.*
„ *Cum olim. De Major. Et obedien. Et ſic poteſt Rex, qui eſt*
„ *Fundator Eccleſiarum Cathedralium Regni ſui, apponere illud*
„ *onus, quòd ſede vacante fructus temporalitatis ad eum ſpectent,*
„ *donec fuerit plenè proviſum de Succeſſore. Iſtam rationem vide-*
„ *tur aſſignare Tex. in dicto Cap. Generali. §. ſi verò ibi rationis.*
„ *Et Glos. in dicto §. Item. Quod dicta quinta pars. In verbo Re-*
„ *galiæ, in titulo de annatis, in Pragmat. Sanct.* Addit Ru-
„ zæus. *Opus non eſſe ut Reges in eligendo Eccleſiam, vel illam*
„ *fundando, expreſſè reſervent iſtud Jus conferendi in vim Re-*
„ *galiorum: quia ſufficit oſtendere quod Rex fuit dotator Eccle-*
„ *ſiæ Cathedralis, ad conſequendum tale Jus. Tex. in Cap. ſigni-*
„ *ficavit. Et ibi Cardinalis & Panormitanus. Extra de teſtibus*
„ *Et ex Gloſſa notabilis in cap. ſi quis Baſilicam de conſecrat.*
diſt.

„ *diſt.* 1. *Allegant Cap. Dilectus* 3. *De Præbendis. Ubi Rex eſt* *Art.* 1.
„ *fundatus in Jure conferendi Præbendas, & alia Beneficia non* §. 3.
„ *habentia Curam Animarum, ratione dotationis, ſine aliâ re-*
„ *ſervatione. Quod ita expreſſè & in individuo intelligit Panor-*
„ *mitanus in Cap. Poſtulaſti Colum. fin. de Jure Patronatûs. Et*
„ *ratio eſt, ut Reges & Principes videntes jura ſibi benignè fa-*
„ *vere, adducantur ferventiùs & animoſiùs ad dotationes Ec-*
„ *cleſiarum, & ædificationes. Ita Felinus. Sandeus in eleganti*
„ *Tractatu, quando Literæ Apoſtolicæ noceant Patronis Eccle-*
„ *ſiarum:* In verſiculo, *corroborari poteſt.*

24. RESP. Si propterea tantum, id eſt, quia Reges Francorum Chriſtianiſſimi Eccleſias Cathedrales annuis proventibus locupletârunt, & ornamentis decorârunt, appellantur Protectores, & defenſores, titulus ille nihil juvat cauſam Regaliſtarum ad protendendam in omnes Regni Franciæ Eccleſias Regaliam, quandoquidem certum eſt plerarùmque dotem in decimis, & oblationibus, aliiſque juribus à Regibus non acceptis eſſe poſitam, eaſque ab aliis, quàm à ſupremis Principibus fuiſſe fundatas & ornatas. Fruſtrà verò nituntur Regaliæ defenſores Archidiaconi & Baldi Auctoritate titulum illum Regi Chriſtianiſſimo vindicare; quandoquidem non ſine merâ æquivocatione illorum verba, in rem de quâ modò agitur detorquentur. Illam detegit Celebris Canoniſta Gallicanus Petrus Rebuffus coment. in Concord. tit. *de Regiâ ad Prælaturas nominatione* §. 1. *verb. Cathedralibus. Reges in Cathedralibus Eccleſiis ſunt Patroni Arch. teſte in cap. Lectis* 63. *diſt.* 1. *Bald. in Proœm. Decret. Rex Pacificus eſt* 2. *n.* 12. *& in cap. Quanto in fine de Jud. quod eſt verum quoad protectionem Eccleſiarum & rerum ipſarum cap. Principes, & cap. Res* 23. *q.* 5. *ſed non, ut habeant poteſtatem eligendi, præſentandi & nomi-*

Art. 1. §. 3. *nandi Epiſcopos & Archiepiſcopos in illis, cap. nobis de Jure Patron. Card. in cap. Imperium 10. diſt. & in diſt. electis, unde dicit Panor. in cap. Venerabilem Col. pen. n. 20. de Elect. quod Imperator eſt Advocatus & Defenſor Eccleſiæ non Patronus; ſequitur Roch. Curtius in tract. de Jure Patron. in verbis in Eccleſiâ q. 1. Vide Meleret in tract. de Elect. fol. 19. Boer. in dec. Burc. q. 32. Alia per nos & q. 46. Niſi eiſdem expreſſè concederetur à Papâ nominandi facultas, ut hîc. Aliàs ſuperflua eſſet hæc conceſſio, & omnes Principes haberent hanc nominandi poteſtatem, quod non eſt verum, niſi expreſſè conceſſa fuerit, ut hîc patet.* Certè ſi Principes Eccleſiarum Cathedralium Patroni eſſent in eo ſenſu, quem hoc nomen paſſim in Jure Canonico ſignificat, vendicarent ſibi Beneficiorum Collationem, non tantùm vacante ſede, ſed quovis etiam tempore: Imò eo nomine non ſolum ad Canonicatus & alia Beneficia & dignitates, ſed etiam ad Epiſcopatus nominandi Jus haberent, quod conſtat eſſe falſum. Genus autem illud Patronatûs, de quo loquuntur Archidiaconus & Baldus, quodque Regi, & omnibus Principibus in univerſas Eccleſias competit, non ejuſmodi eſſe, ut uſumfructum redituum & Collationem Beneficiorum illis acquirat, mox validiùs confirmabimus.

25. Reliqua teſtimonia à Ruzæo citata probant quidem, potuiſſe Reges Chriſtianiſſimos in Eccleſiarum fundationibus, cum Eccleſiæ conſenſu, conditiones honeſtas, quaſcumque vellent, apponere: eaſque conditiones eſſe implendas: nihil verò amplius ex illis poteſt elici, ut in promptu eſt unicuique obſervare. Non enim ſine Lectoris moleſtiâ hîc ſingula expenderemus. Sed probandum reſtat: Primò, quòd *Rex fuit Dotator Eccleſiæ Cathedralis ad conſequendum tale jus*, quæ ſunt Ruzæi verba: ſecundò, quòd uſum fructum omnium bonorum

norum & decimas, & oblationes, & Collationem Benefi- *Art.* 1.
ciorum pleno jure, ſibi, dum vacaret Sedes, reſervaverit: §. 3.
quorum alterum quoad pleraſque Eccleſias falſum eſt, alterum quoad omnes. *Docere debent Principes temporales*, inquit Probus quæſt. 49. n. 6. *ſe fore Eccleſiarum Cathedralium & aliarum fundatores, dotatores & conſtructores, quia ſi non appareat, nihil eſt. Non enim ſunt fundati in præſumptione Juris*; imò, ut mox oſtendemus, ſola fundatio non ſufficeret ad probandum Jus Regaliæ, niſi facta fuiſſet expreſſa ejus reſervatio. Idem videtur innuere Durandus in cap. *Generali.* verb. *Fundatione.*

26. Licet autem Concilium Lugdunenſe diſtinguat titulum fundationis à titulo antiquæ conſuetudinis; non ſufficeret tamen probare fundationem, niſi reſervationem contineret, aut antiquâ conſuetudine roboraretur. Idque maximè verum eſt à tempore prædicti Concilii Generalis Lugdunenſis II., quod Regalia de novo uſurpare vetuit, eamque toleravit in illis dumtaxat Eccleſiis, in quibus vel ex fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine tunc temporis vindicabatur.

27. Sufficeret forſan hodiè probare, aliquem eſſe fundatorem Eccleſiæ, ut ei Jus Patronatûs vindicaretur; quia ferè quicumque Eccleſias fundant, jus illud ſibi retinere conſueverunt, contra antiquorum Chriſtianorum morem, quorum erant abſolutæ perfectæque donationes. At Jus Regaliæ, cùm ſit admodùm extraordinarium, ex ſolo fundationis titulo, abſque ſpeciali reſervatione, non probaretur. Nam, ut ait Ruzæus ſub initium ſuæ Præfationis in Tract. de Regaliis JUS REGALIORUM EST SPECIES EXCELLENTIOR, QUAM JURIS PATRONATUS: *eò quòd percipit Rex, ſede Epiſcopali vacante, id quod perciperet Epiſcopus, ſede repletâ.* &c.

28. Dis-

Art. 1. §. 3. 28. Dissert. „ Eumdem Juris Regaliæ titulum nitidè „ exponit *Philippus Probus* Bituricus, Juris utriuſque Profeſ-„ ſor, & in Senatu Pariſienſi Patronus, in Opere de Jure „ Regaliorum, quæſt. 1. ubi triplicem Regaliæ ſpeciem diſtin-„ guit, ſeu potiùs triplicem titulum Auguſti illius Juris. *Pri-„ ma*, inquit, *eſt propter cuſtodiam Eccleſiæ vacantis introdu-„ cta, quam Rex in omnibus Eccleſiis ſui Franciæ Regni habet, „ & quas defendere, ex debitoque ſuæ ſupremæ dignitatis cuſto-„ dire & tueri debet, ne illæ & earum Miniſtri ab aliis indebi-„ tè opprimantur, utque bona & Jura futuris ſucceſſoribus con-„ ſerventur : & ratione ſpeciei hujus Rex aliquos non facit fru-„ ctus ſuos, imò illos ipſis ſucceſſoribus conſervat. Sic ſuccedit „ Juris doctrina : Qui cuſtodiam habet, non conſumere, ſed cu-„ ſtodire debet. cap. Cum vos, de Offi. Ordin.*

29. Resp. Autori Diſſertationis ſolidæ probationes deficiebant, quandoquidem ſententiam ſuam teſtimonio ſcriptorum ſibi è Regione adverſantium fulcire tentavit. Philippus enim Probus in Opere de Jure Regaliorum non ſolùm quæſt. 60. docet, Regaliam in omnibus Galliæ Eccleſiis locum non habere, & in quibus locum habeat, in quibus autem non habeat, diſtinguit; quæſtione verò ſequenti rationem diſcriminis inquirit, & varias aſſignat : verùm etiam, quod magis mirêris, in illâ ipſâ quæſtione, quam citat P. Alexander, imò in illis ipſis verbis, quæ refert, expreſſè affirmat, quòd *propter cuſtodiam Eccleſiæ vacantis, quam Rex in omnibus Eccleſiis ſui Franciæ Regni habet, aliquos non facit fructus ſuos, imò illos ipſis ſucceſſoribus conſervat.* Poterat ne apertiùs rejicere primum illum titulum, ſcilicet cuſtodiæ, quo Regalia niti dicitur ? At verba Textûs Luce clariora adhibitâ Gloſſâ, obſcurare, vel potiùs deſtruere tentat Autor Diſſertationis, addens;

30. Dis-

30. DISSERT. „ Quod intelligendum de fructibus qui *Art.* 1.
„ vacationis tempore non proveniunt. §. 3.

31. RESP. Quaſi vero liceat Regi ex aliis titulis à Probo enumeratis ***fructus vacationis tempore non provenientes ſuos facerè.*** Non itaque Probi ſenſus eſt, Regem fructus aliquos facere ſuos, aliquos non facere; ſed ibi (***aliquos non***) ſumitur pro (***nullos***) & ejus propoſitio, quæ ex terminorum ordine particularis videtur, univerſalis eſt in ſenſu. Ut ſatìs indicat orationis textûs. Quòd enim Rex fructus tempore vacationis non provenientes ſuos non faciat, ſatìs ſignificatum fuerat verbìs prædecentibus, ***ut bona, & jura*** futuris ſucceſſoribus conſerventur. Itaque cum additur continuò: ***Et ratione ſpeciei hujus Rex aliquos non facit fructus ſuos, imò illos ipſis ſucceſſoribus conſervat,*** tautologia eſſet abſurda, ſi nihil aliud ſignificaretur, quâm Regem fructus tempore vacationis non provenientes ſuos non facere. Si enim Rex fructus tempore vacationis non provenientes ſuos faceret, puta arbores cæduas præmaturè cædens, piſcans vivaria ante tempus, quæ ſunt exempla à Ruzæo aliâ occaſione ſcripta, & à P. Alexandro mox afferenda, ***bona & Jura futuris Succeſſoribus non conſervaret,*** ad quod ſemper tenetur.

32. Illuſtratur magis mens Probi ratione quam ſtatim adducit; ***Sic ſuccedit Juris doctrina; Qui Cuſtodiam habet, non conſumere, ſed cuſtodire debet cap. Cum vos de Offic. Ord. ubi Glos. fin. &. l. Is cui §. Qui Legatorum ff. ut in poſſeſſ. lega: Pone in ſequeſtro, ut probat Dom. Ruzæus ſupra Privil. 58. n. 6.*** Luce autem clarius eſt, in his locis à Probo citatis agi de fructibus tempore vacationis provenientibus, Iſte enim eſt Textus cap. ***Cum vos. Si quando in vacantibus Eccleſiis, in quibus Eccleſiaſtica perſona præſentationem non habet, vel quia per-***

Art.1. *ſonæ minus idoneæ præſentantur, vel aliâ de cauſâ perſonas non*
§. 3. *poteritis in eis inſtituere: appellatione remotâ ponatis œconomos, qui debeant fructus percipere: & eos aut in Eccleſiarum utilitatem expendere, aut futuris perſonis fideliter reſervare.* Gloſſæ autem ultimæ illius cap. verba ſunt iſta; *Nota bona Eccleſiæ conſervanda in tempore Succeſſoris. 12. q. 2. Hæc hujus Placiti, & cap. charitatem. & 75. diſt. Quoniam quidam & 10. q. 2. Si quis Epiſcopus niſi ſint talia quæ ſervando ſervari non poſſunt.* Siqua ſuper eſſet in hâc Gloſſâ obſcuritas facillimè depelleretur allato Canone ab eâ citato. *Quoniam quidam* diſt. 75. qui eſt vigeſimus quintus Concilii Calchedonenſis, Sic enim habet; *Reditus ejuſdem viduatæ Eccleſiæ integros reſervari apud œconomum ejusdem Eccleſiæ placuit.* Legis autem *Is cui* ff. ut in poſſeſſ. Lega. & §. *qui Legatorum* à Probo citatæ verba ſunt ſequentia; *qui legatorum ſervandorum cauſa in poſſeſſionem mittitur, & fructus cuſtodire, & cætera debebit, & pati quidem hæredem colere agros & fructus redigere, ſed cuſtodire legatarium fructus oportebit, ne ab hærede conſumantur.*

33. At fortè Ruzæus ultimo loco à Probo citatus huic expoſitioni adverſatur. An ſi adverſaretur, ex illius verbis potiùs quàm ex Canone, ex Gloſſâ, & ex Lege de Probi mente decernendum eſſet? Sed allucinatus eſt præ nimio cauſæ Regiæ Patrocinandi deſiderio P. Alexander. Omiſſo enim loco Ruzæi à Probo citato alium profert ſic habentem.

34. DISSERT. „ Unde Cuſtodes Regaliorum durante „ Regaliâ non poſſunt incîdere arbores cæduas, neque piſcari vivaria Prælaturæ ante tempus, neque alia agere per quæ „ deterioraretur reditus annuus Prælaturæ; ex conſtitutione „ *Philippi Pulchri* anno 1302. menſe Martio editâ, quæ conformis eſt Juri communi: quia fructus non debent recolligi niſi

ſuo

„ ſuo tempore. L. *ſi Merces* §. *Conductor.* ff. loca. L. *Qui ſervus* *Art.* I.
„ *ſervum* §. *ſi olivam immaturam.* ff. ad legem *aquilam.* Ita *Ru-* §. 3.
„ *zæus* explicat Privilegio 56. quem cum *Probus* laudet, eodem
„ modo intelligendus eſt.

35. RESP. Difficile admodùm eſt incauto Lectori, præſertim qui Ruzæi ac Probi opera nunquam legiſſet, in errorem non induci ex Diſſertationis contextu. Poſtquàm enim diſſertator ſententiam, verbis Probi tribuit, ejus menti omninò contrariam, quaſi ſcilicet de fructibus, qui vacationis tempore non proveniunt intellexerit, Regem ratione cuſtodiæ omnium Eccleſiarum vacantium fructus non facere ſuos, proſequitur; *Unde Cuſtodes Regaliorum* &c. quaſi illa dicta fuiſſent à Ruzæo de eâdem ſpecie Cuſtodiæ. *Ita*, inquit, *Ruzæus explicat Privilegio 56. quem cum Probus laudet, eodem modo intelligendus eſt.* Verùm non iſte eſt Ruzæi locus, quem Probus citat ad confirmanda illa quæ P. Alexander ex illo ſupra exſcripſit. In hoc enim loco, Privilegio ſcilicet 56. Ruzæus de Regaliâ propriè dictâ tractat: Probus verò de cuſtodiâ illâ communi, quam omnes Principes Chriſtiani, non ſolùm Eccleſiis ſed etiam univerſis ſubditis ſuis debent, juxta diſtinctionem ex Rebuffo ſupra notatam. Quamobrem Ruzæus fructus tantùm vacationis tempore non provenientes Regi competere negat; Probus verò Regem nullos fructus ſuos facere indicat, ratione ſcilicet illius generalis Cuſtodiæ.

36. Quem ergo Ruzæi locum citat Probus? Privilegii 58. numerum ſextum, in eâ ſcilicet parte, ubi probat exemplo ſequeſtri, Cuſtodem non facere fructus ſuos; *Qui cuſtodiam habet* inquit Probus, *non conſumere ſed cuſtodire debet*.... *Pone in ſequeſtro ut probat domi. Ruzæus ſupra Privilegium* 58. *n.* 6. Ruzæi autem verba in eo loco ſunt iſta; *Quando ordinatur*

ſeque-

Art.1. *ſequeſtrum, non cenſetur quis dejectus à ſuâ poſſeſſione, quia*
§. 3. *ſequeſter colligit fructus nomine alieno, quos habet reſtituere victori, ut eſt text. in Clem. 1. de ſequeſtra. poſſ. & fructû text. & ibi Canoniſtæ in Cap. Cum Bertoldus. De re judic. & latè Legiſtæ in Lege intereſſe puto ff. de acquir. poſſ.* Verum quidem eſt, Ruzæum poſteà mentionem facere uſusfructus bonorum, & Collationis Beneficiorum ad Regem Jure Regaliæ propriè dictæ ſpectantium: verùm Probus non propter hoc punctum, de quo nondum egit, nos remittit ad Ruzæum, ſed è contra, ut probet, quòd *qui Cuſtodiam habet, non conſumere ſed Cuſtodire tenetur*, & ſpeciatim propter exemplum ſequeſtri; *Pone in ſequeſtro, ut probat Domi. Ruzæus.* Id adeò perſpicuum eſt, ut mirum ſit potuiſſe à P. Alexandro non videri aut diſſimulari:

37. Vidiſſet forſan & ipſe, nec diſſimulaſſet, niſi quæ continuò apud eumdem Probum ſequuntur omiſiſſet, & in alium locum ſibi commodiorem diſtuliſſet. Proſequitur enim. Probus; *Secunda Regaliæ ſpecies dicitur, illa quæ provenit ratione Caſtrorum, Terrarum, & Domorum à Rege moventium, Eccleſiiſque Cathedralibus, & Metropolitanis ſpectantium,* ET TUNC *Sede vacante, Rex ratione hujus Regaliæ facit fructus ſuos ex temporalitate provenientes.* Sanè ſi hæc verba ſuperiùs relata; *Rex aliquos non facit fructus ſuos*, intellexiſſet de fructibus, qui vacationis tempore non proveniunt, ut interpretatur P. Alexander, hîc eadem erant rurſus repetenda. Nam etiam in hâc ſpecie Rex hujuſmodi fructus ſibi non vendicat, ut patet ex verbis Ruzæi occaſione primæ ſpeciei à P. Alexandro perperam adductis, cùm ad ſecundam pertineant, ut legenti patet; ad primam autem ſpectant quæ de ſequeſtro dixit idem Ruzæus verbis ſupra relatis. De iiſdem

ergo

ergo fructibus, ſcilicet tempore vacationis provenientibus aſ- *Art.*1.
ſerit Probus, Regem non facere illos ſuos ratione Cuſtodiæ §. 3.
Generalis omnium Eccleſiarum, quæ eſt prima ſpecies Regaliæ; facere autem illos ſuos, in aliquibus Eccleſiis, jure Regaliæ propriè dictæ, quam ſecundam ſpeciem vocat.

38. Nam Regaliam ad omnes Eccleſias non eſſe extendendam ſenſiſſe Probum, integrarum quæſtionum 60. & 61. lectio dubitare non ſinit. Sicubi autem id ita conſtanter affirmare non videtur, ea hæſitatio non dubitantis, ſed adverſariorum opiniones referentis eſt. Audi enim quàm aſſeveranter in prædictâ quæſt. 60. num. 1. loquatur; *Et ut clara & manifeſta intuenti res ipſa pateat, Provincias Regni per Archiepiſcopatus diſtinctas, ordine alphabetico ponam, & poſt quamlibet illarum ſuffraganeos Epiſcopos, diſcutiendo, qui Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus dicto Juri Regaliæ ſint aſcripti, qui verò non, ex conſequenti, id Arreſtis Curiæ ſupremæ Parlamenti Pariſienſis aliiſque mediis urgentibus, prout vires dabunt firmando.* Deinde ſingulas proſequitur Eccleſias. *Primò eo ordine Alphabetico occurrit Provincia Auxitanenſis cujus Metropolitanus eſt Archiepiſcopus Auxitanus, habens Epiſcopos Suffraganeos ſequentes... Et nullus illorum ipſi Juri Regaliæ per libros Camerarum Computorum, & Theſauri Pariſienſis reperitur aſcriptus. Idem dic de Metropolitanis Provinciæ Provinciæ &c.*

39. DISSERT. „Cæterum *fructus ſive reditus provenientes vacationis tempore* Rex Chriſtianiſſimus ſuos jure facit, ut agnovit Concilium Lugdunenſe can. 12. Quos inter Beneficiorum ſimplicium Collatio cenſeri debet, quam idem *Probus* tertiam Regaliæ ſpeciem appellat, *quam Rex in Eccleſiis Cathedralibus, & Metropolitanis ſui Regni, ſede vacante habet à tempore immemoriali.*

H 40. RESP.

Art.1. §. 3. 40. RESP. Ita quidem Concilium Lugdunenſe interpretantur plerique Galli, quaſi permiſerit Regi fructus Eccleſiarum vacantium, etiam ultra expenſas neceſſarias, ſuos facere titulo Regaliæ (obſerva rurſus Concilium hoc de Regaliâ eſſe intelligendum). Ejus tamen mens non ita clarè patet, quin Bonifacius VIII. intellexerit ejus Decretum juxta Juris Communis & rectæ rationis Regulas. Sic enim ſignificavit per Legatum ſuum Joannem Monachum, ut refert ex manuſcripto Sanvictorino Henricus Spondanus ad annum 1303. num. 2. *Non debere Regem abuti Cuſtodiâ Eccleſiarum Cathedralium vacantium, quæ vacant per Regaliam: Sed deductis neceſſariis, & moderatis expenſis, reſiduum fructuum reſervandum eſſe futuris Prælatis.* Ex vi ergo Cuſtodiæ cuſtos non facit fructus ſuos; niſi pro ratione neceſſariarum & moderatarum expenſarum. Nec Concilium Lugdunenſe omnes omninò fructus tempore vacationis provenientes Cuſtodibus adſcripſit, ſed vetuit tantùm, ne tempore vacationis non provenientes uſurparentur, ut legentibus patet.

41. Joannes Andreæ in hunc Canonem Concilii Lugdunenſis verb. *Reditus.* Ipſum eodem, quo Bonifacius ſenſu interpretatus eſt. *Sed quæro*, inquit, *an fructus medio tempore perceptos faciant tales ſuos? Ita videtur per hanc literam: quia non prohibet de fructibus, ſed his quæ non pertinent ad fructus. Tu dic quòd fructus conſervari debent futuro Succeſſori. Supra de Offic. Ordin. Cum vos. ſup. eod. ubi periculum. §, Proviſionis. & inf. eod. Quia ſæpe. & de Offic. Ord. Præſenti. Qui enim Cuſtodiam habet Cuſtodire debet non conſumere. ff. ut in poſ. leg. l. Is cui. §. Qui Legatorum... & ſic non habet locum hic argumentum à contrario. C. de Epiſc. & Cle. conventicula. & ff. de Condi. inſer. l. 1.*

42. De

42. De Beneficiorum autem Collatione ut obſervavit ipſemet P. Alexander, Art. 5. §. 18. ne verbum quidem factum eſt in Decreto Concilii Lugdunenſis. Unde Gloſſa Pragmaticæ Sanctionis, tantæ apud Gallos exiſtimationis, tit. *de Annatis.* §. *Item quod dicta quinta pars. Verb. Regaliæ*, expreſſè affirmat, quod *de hoc jure conferendi, nihil ibi providet Concilium*, ſcilicet Lugdunenſe cap. 12. Non enim exiſtimabat Gloſſator, Collationem computari inter fructus. Et ſanè, ſi providiſſet, non fuiſſet orta de hoc dubitatio tempore Bonifacii, qui jus tantùm præſentationis, nequaquam autem Collationis, niſi miniſterialiter, ad Laïcos poſſe pertinere defendebat, ipſumque Regem id agnoviſſe petendo Privilegium arguebat, ut refert Spondanus ad annum 1302. num. 9. *Art.* 1. §. 3.

43. DISSERT. „Ægidius Magiſter Senatus Pariſienſis „Princeps in Tract. de Regaliis cap. 1. eumdem Juris Regaliæ „titulum agnoſcit :- *Secundò*, inquit, *Jus illud pertinet ad* „*Regem ratione Cuſtodiæ Eccleſiæ vacantis, quæ Regi competit* „*Jure communi, cap. Generali : De electione, in Sexto. His* „*de cauſis cum aliqua Eccleſia Cathedralis hoc in Regno vacat,* „*mos invaluit, ut Commiſſarii ad temporalium adminiſtrationem* „*deputentur, qui fructus ſub manu Regiâ percipiant, quouſque* „*novus Antiſtes fidem & hominium Regi præſtiterit, quod hono-* „*ris cauſâ Sacramentum fidelitatis appellatur.* Hæc ex Gallico „Sermone quo ſcripſit Auctor fideliter reddita.

44. RESP. Hujus ſcriptoris mentem, quia rùrſus allegabitur §. ſequenti num. 12. ibi commodiùs explicabimus.

Art. I. §. 4.

§. QUARTUS.

De altero Regaliæ titulo, ſcilicet Jure feudali.

1. DISSERT. „Juris Regaliæ titulus alter, eſt vaca„tio feudorum Regalium, quæ cùm iiſdem legi„bus & conditionibus ab Eccleſiaſticis perſonis, „ac à reliquis hominibus poſſideantur, conſequens „eſt, ut iis per obitum Epiſcoporum, qui Regi fidelitatem „obſtrinxerant, vacantibus, Rex ea ad ſe recipere poſſit, „ac retinere, donec novus Epiſcopus Inveſtituram acceperit, „Regique Clientelare Sacramentum præſtiterit. Interimque „Rex uſumfructum redituum habet, adeòque & Jus Colla„tionis Beneficiorum, quæ in fructibus cenſetur.

2. RESP. Quoniam in hâc Diſſertatione agitur de extenſione Regaliæ ad Eccleſias hactenus liberas, ne extra lineas excurramus, demus P. Alexandro, *feuda iiſdem legibus, & conditionibus ab Eccleſiaſticis perſonis, ac à reliquis hominibus poſſideri.* Numquam inde legitimè concludet, potuiſſe Regaliam extendi ad illas Eccleſias, quæ per Regiam Declarationem nuper huic oneri ſubjectæ ſunt. Cùm enim in illis Provinciis poſitæ ſint, in quibus Dominus feudi poſt Vaſſalli mortem fructus ſuos non facit, donec Succeſſorem inveſtiêrit, Eccleſiis per obitum Epiſcoporum vacantibus, Rex earum bona ad ſe recipere non poteſt ac retinere, donec novus Epiſcopus Inveſtituram acceperit, Regique clientelare Sacramentum præſtiterit; ut interim in illis uſumfructum redituum & Jus Collationis Beneficiorum pretextu feudorum vendicet.

3. Quin

3. Quin etiam ſi in Provinciis illis feuda huic oneri eſ- *Art.* I.
ſent obnoxia, ut, dum vacant, illorum uſus-fructus penes do- §. 4.
minum eſſet; adhuc tamen Regalia, prout hodie exercetur, non poſſet ad illas extendi : ſed ad ſummum Rex tantùm fructus bonorum feudalium ſuos faceret; nequaquam autem bonorum non feudalium fructus, neque decimas, & oblationes, multò minùs collationem Beneficiorum ſibi vindicaret. Quidquid enim, etiam in Provinciis quæ Jure conſuetudinario reguntur, & in quibus ea viget conſuetudo, ut dominus feudi vacantis fructibus ſeu Jure Relevii gaudeat, ſua Majeſtas ultra bonorum feudalium fructus percipit in Eccleſiis vacantibus, non poteſt, niſi ratione antiquæ conſuetudinis, legitimè ſibi vindicare, cui conſuetudini non ſuberant Eccleſiæ nuper Regaliæ ſuppoſitæ. Imò ſi quid olim ratione feudorum ab Eccleſia perſolvi conſueviſſet, id totum ſubſidiis à Clero ad Reges Chriſtianiſſimos collatis abundè compenſatum eſt, & etiam nunc compenſatur, ut Acta prædicti Cleri teſtantur.

4. DISSERT. „ Ita docent Juriſconſulti noſtrates. „ Ruzæus, ſecundâ parte Præfationis, num. 1. *Iſtud*, inquit, „ *illuſtre Jus Regaliorum reperio competere Regibus Francorum,* „ *ratione feudi vacantis: quia mortuo Epiſcopo, ex quo feudum* „ *revertitur ad Principem ratione homagii & juramenti fide-* „ *litatis, quæ præſtantur à ſuccedente in dignitatem, ex conſe-* „ *quenti omnia Beneficia, quæ ex feudo dependent & erecta fue-* „ *runt, redeunt ad Regem. Pro iſtâ opinione facit egregia de-* „ *ciſio Cardinalis Florentini in conſilio* 122. *incipiente : Qui-* „ *dam habens feudum : ubi abſolutè cenſet, quòd ſi de feudo do-* „ *tetur Beneficium, tunc Jus Patronatûs quæritur feudo, &* „ *non perſonæ. Igitur in quem tranſit feudum, tranſeunt & col-*

 „ *lationes*

Art.1. „ *lationes Beneficiorum. Hanc ſententiam ſecutus eſt Felinus.*
§. 4. „ *Sandeus in cap. Cùm venerabilis. in 12. Colum. Extra. De Exceptionibus. Pro hoc eſt textus junctâ Gloſſâ in cap. In Sacris. 16. q. 1. Hoc deducit latè Cardinalis in præallegato loco. Unde dicendum eſt in conſequentiam feudi vacantis, quòd tranſit in Regem Jus conferendi Beneficia data de ſuo patrimonio & feudo, Sede vacante, ſicut tranſit feudum, cui illud Jus adhærere videtur. Argumento l. In rem. §. Si quis rei ſuæ. ff. De rei vendicatione.*

5. RESP. Hæc omnia probant tantùm, Jus Patronatûs Beneficiorum ex bonis feudalibus fundatorum ad dominos feudi pertinere. Verùm hæc doctrina Regaliſtas, omnes Eccleſias Regaliæ ſubjicere conantes, parùm juvat; tum quia, ut diximus, in Eccleſiis pleriſque deficit ille titulus; tum quia, cùm Epiſcopus ex propriâ dignitate atque officio ſit ordinarius Beneficiorum ſuæ Diœceſis collator, non poſſet Regi Chriſtianiſſimo tribui ratione Juris Patronatûs, niſi collatio (imò nec collatio pleno jure, ſpectatâ Juris Patronatûs conditione, & abſque expreſſâ reſervatione) Beneficiorum ex Regio Domanio dotatorum, non autem eorum, quorum reditus conſtant ex decimis, oblationibus, aut aliis, quæ ſpiritualia nonnunquam appellantur, vel etiam ex fructibus bonorum ab aliis, quàm à Regibus, erogatorum.

6. DISSERT. „ *Secundò facit; quia ex quo eſt fundatus in Jure dictorum Regaliorum in certâ parte, videlicet in perceptione temporalitatis Sede vacante, reputatur fundatus in univerſo, quoad collationes Beneficiorum, quæ ſunt in fructu, & connumerantur inter majores fructus Prælaturæ. Gloſſ. in cap. Cùm olim. De Major. & Obedient. Ita formaliter Joannes Andreas in Regulâ Quod alicui. De Regulis Juris, in ſexto.*

Ubi

„ *Ubi dicit; ſufficere quod is ſit fundatus in certâ ſpecie Juris, ad fundandum Jus ſuum in univerſo: & Dominus Abbas in C. primo. Extra. De Religioſis domibus.* Art.1. §. 4.

7. Resp. Falſum eſſe quod, ex quo Rex eſt fundatus in certâ parte Regaliæ, reputetur fundatus in univerſo, convincunt Regum Chriſtianiſſimorum diplomata, & Senatûs Pariſienſis Arreſta, quæ Regaliam in aliquibus Eccleſiis quoad uſumfructum dumtaxat, citra collationem Beneficiorum, in aliquibus quoad certam tantùm redituum partem locum habere declarant, ut videbimus art:4. §. 31.

8. Panormitanus in cap. 1. *de Religioſis domibus*, qui locus à Ruzæo citatur, poſtquàm notavit, Epiſcopum uno Juriſdictionis ordinariæ articulo præſcripto alium præſcripſiſſe cenſeri, ſubjungit n.3. & 4. *ex dictis Innocentii poteſt colligi notabilis limitatio ad omnia prædicta. Dicit enim hunc Textum procedere, quando iſte locus, de quo erat contentio, erat in Diœceſi iſtius Epiſcopi; vel ſaltem non conſtabat quòd erat in Diœceſi alterius, quaſi notabiliter ſentiat, quod ubi Jus commune non fundat intentionem alterius, per exercitium certi Articuli probatur poſſeſſio univerſalis Jurisdictionis; ſecus autem ubi locus pertinet ad alium: quia tunc poſſeſſio non extenditur ad Articulos non poſſeſſos, ut in contrariis. Hoc tamen ultimum limita, ut notat Innocen: in C. Cum dilectus de Capell. Mona. Et hæc faciunt ad quæſtionem quotidianam: Quidam laicus longiſſimo tempore fuit in poſſeſſione præſentandi Rectorem in certâ Eccleſiâ, tanquam Patronus, non poteſt probare ſe verum Patronum: nunquid per exercitium iſtius Juris competentis Patrono probetur quaſi poſſeſſio totius Juris Patronatûs, ut ſic ex præſcriptione iſtius actus, intelligatur præſcriptum totum Jus patronatus? Archid. in C.1. De Jure patronatûs lib.6.*

tenet

Art.1. §. 4. *tenet quòd non: unde dicit difficillimum eſſe probare Patronatum antiquum, quia per illius actus præſentandi exercitium, ſolùm probatur poſſeſſio Juris præſentandi: ſed contrarium, & rectiùs, ſentit Jo: An: In Reg. Quod alicui, de Regu. Ju: lib.6. in Merc.* &c. Itaque diuturnâ poſſeſſione præſentandi præſcriptum cenſetur Jus patronatûs, quia præcipua Patroni functio præcipuumque Jus, eſt præſentatio. Epiſcopus etiam quia ordinariè habet jurisdictionem Eccleſiaſticam, poſſeſſione unius Articuli, alium ejuſdem juriſdictionis poſſediſſe reputatur, dummodò præſumptio contraria non obſtet. Sed niſi diverſi Articuli, naturâ, lege, aut conſuetudine conjuncti ſint, præſcriptio unius, alterius præſcriptionem non inferet. Vide C. *Auditis* & C. *Cum olim* de *Præſcriptionibus*. C. *Cum contingat* de *decimis*. Gloſſ. & Bal. in l.1. §. *ſiquis* ff. de Itin. actuque priva: ab eod. Panorm. ante prædicta citata. Vide etiam §. 5. ubi ſic habetur; *Julianus ait quouſque ingreſſus eſt, eouſque interdictum competere: quod verum eſt.* In Regaliâ verò omnia ſunt extraordinaria; atque adeò ex unâ ejus parte, maximè ſi ſit minus principalis, non concluditur alia. *Cum*, ut ait etiam Philippus Probus q.62. n.2. & 3. *Jus illud* (Regaliæ) *tanquam odioſum non ſit extendendum, etiam à Jure communi exorbitans, Juriſdictionemque Epiſcoporum, quam in Beneficiis Jure ipſo communi habent enervans* &c. *Tum prætereà, quia Jus Regaliæ eſt extraordinarium à Privilegio, conſuetuine, aut immemoriali tempore procedens....Cum Privilegià, conſuetudo, & præſcriptio extra terminos ſuos extenſionem non patiantur, prout latè probamus in ſecundo præludio tract. penſion.*

9. Panormitani mentem illuſtrabit citatus ab eo Joannes Andreæ in Regulâ. *Quod alicui.* De *Regulis Juris*, in ſexto n.10. ubi ait: *Concludam, quod exercitium unius actus competentis*

tentis Patrono erat poſſeſſio patronatûs, quod eſt Regulare, ubi plures actus ab aliquo Jure dependent; de Reli: do. c.1. & hoc ex quo reliqui actus non apparent poſſeſſi per alium, nec Jus commune circa Jus illud fundat intentionem alterius, ut ibi dixi ſuper Gloſſ. penul. Ut igitur qui fundatus eſt in unius Articuli poſſeſſione, reputetur fundatus in aliis, neceſſe eſt, ut *reliqui actus non appareant poſſeſſi per alium, nec jus commune circa jus illud fundet intentionem alterius.* Atqui Jus commune fundat intentionem Eccleſiæ ad fruendum ſuis reditibus, & Collatione Beneficiorum, etiam ſede vacante, quod in promptu eſſet multis Canonibus oſtendere. Rex ergo Chriſtianiſſimus, etiamſi eſſet in poſſeſſione hujus Juris in aliquâ parte, non eſſet reputandus fundatus in aliis. Quid ergo ubi nullius poſſeſſione munitur?

Art. 1. §. 4.

10. DISSERT. „ Idem docet Probus quæſt.1. *Secunda „ Regaliæ ſpecies* (inquit) *dicitur illa, quæ provenit ratione ca„ ſtrorum, Terrarum, & domorum à Rege moventium, Eccle„ ſiiſque Cathedralibus & Metropolitanis ſpectantium, & tunc „ ſede vacante, Rex ratione hujus Regaliæ facit fructus ſuos ex „ temporalitate provenientes, quouſque novus Epiſcopus Regi ho„ magium fecerit: quod tenetur facere ipſe Epiſcopus, niſi alias „ ei per Regem illud fuerit remiſſum. Quod quidem homagium ſit „ ſeu præſtatur pro ſolâ temporalitate.*

11. RESP. En quos fructus Rex ratione Regaliæ ſuos facit; ſcilicet *ex temporalitate* ſeu ex feudis à Rege ad Eccleſias collatis, *provenientes*, ſicut *homagium ſit ſeu præſtatur pro ſolâ temporalitate*, nimirùm à Rege acceptâ. Non ergo fructus bonorum non feudalium eo nomine ſibi vindicare poteſt, non decimas, non oblationes, non beneficiorum collationem pleno Jure, ſed nec fructus ipſos bonorum feudalium in Pro-

 vinciis,

Art. 1. vinciis, quæ jure ſcripto reguntur in quibus dominus feudi
§. 4. vacantis fructus ſuos non facit.

12. DISSERT. „ Protopræſes Magiſter cap. 1. Tract. de „ Regal. Regaliam quatenus ſpectat bona temporalia Eccleſiæ, „ ad Regem pertinere aſſerit in omnibus Eccleſiis Regni ſui; „ primò ratione feudi : *ſiquidem omnis Epiſcopus poſſeſſiones* „ *temporales Eccleſiæ ſuæ ab ejus Majeſtate recognoſcere tenetur*, „ *fidemque & hominium illi præſtare, quamvis morticinii jure do-* „ *nata ſit. Nam morticinii Codicilli manus mortuæ viros quales* „ *ſunt Eccleſiaſtici, ab hominii officio non abſolvunt.* Mirum „ autem eſt, quòd Illuſtriſſimus Præſes tam ſubtiliter tempora- „ lem & Spiritualem Regaliam diſtinxerit : cùm illa, quam „ Spiritualem vocat, in partem veniat temporalis, utpote „ inter fructus computata, qui in manus Regias Jure veniunt, „ quoſque ſuos Rex facit vacante feudo, & durante Cuſtodiâ, „ ut inferiùs demonſtrabimus.

13. RESP. Obſcurus eſt Protopræſidis Magiſtri locus partim hîc, partim ſuprà relatus, ideòque totus ſimul exhibendus, ut ejus ſententia evidentiùs certiùſque perſpici poſſit. Hæc igitur ſunt verba Ægidii Magiſtri in cap. 1. Tractatus de *Regaliis*, qui in Latinum idioma converſus habetur inter Tractatus Illuſtriorum Juris conſultorum tom. 13. par. 2. In fine. *Notandum eſt duplex eſſe Regaliorum genus : primum eſt de bonis temporalibus Eccleſiæ, alterum de ſpiritualibus. Primum competit Regi in omnibus Eccleſiis Cathedralibus ſui Regni citra & ultra Ligerim. Hoc Jure utitur Rex, primò ratione feudi : omnes enim Epiſcopi fidem & obſequium ei exhibere tenentur pro temporalibus Eccleſiæ, etiam ſi amortizata ſint, quoniam amortizatio non liberat homines manus mortuæ, quales ſunt Eccleſiaſtici, à præſtatione hominii, ut ſupra latiùs demonſtratum eſt.*

Secundò

Secundò Rex eo Jure utitur ratione cuſtodiæ Eccleſiæ vacantis, quæ Regi competit Jure communi cap. Generali de Elec. in ſexto. Idedque quoties alicujus Cathedralis Eccleſiæ vacatio contingit in hoc Regno, ſolet Procurator dari bonis, qui auctoritate Regis poſſideat donec Epiſcopus Succeſſor fidem & homagium præſtiterit, quod honoris gratiâ ſacramentum fidelitatis appellatur, de quo poſtea docebitur in conſtitutione Regaliorum, quæ incipit: Dum Epiſcopus: ſicque accipiendum eſt, quod tradit Bal. in proœmio Decretalium, & in c. Quarto. de Judiciis. Quod Rex ſit Patronus omnium Eccleſiarum Cathedralium ſui Regni: quod ſanè multos deduxit in errorem, ut notârunt Canoniſtæ in C. Imperium 10. *diſt. Id intelligendum eſt de cuſtodiâ, & tuitione tantùm, non de collatione Beneficiorum, Archidiaconus in cap. lectis.* 63. *diſt. Panorm. in c. Venerabilem. de elect. In eamque rem extat præclara doctaque actio ad ſenatum habita à Magiſtro Matthæo Chartier, pro Regaliis Cænomani, ultimâ die Januarii,* 1520. &c. *Art.* 1. §. 4.

14. Ægidius tam apertè hîc declarat, Regem Chriſtianiſſimum non habere Jus Regaliæ in omnibus Regni ſui Eccleſiis, quantùm ad collationem Beneficiorum, quæ præcipua ſine dubio Regaliæ pars eſt, ut P. Alexander ejus mentem nullâ potuerit tergiverſatione celare, ac mirari tantùm coactus ſit. *Mirum autem eſt*, inquit, *quòd Illuſtriſſimus Præſes tam ſubtiliter temporalem & ſpiritualem Regaliam diſtinxerit: cùm illa, quam ſpiritualem vocat, in partem veniat temporalis, utpotè inter fructus computata, qui in manus Regias jure veniunt, quoſque ſuos Rex facit vacante feudo, & durante Cuſtodiâ, ut inferiùs demonſtrabimus.*

15. Mirum magis videri debet, quod Theologus Regi magis faveat, minuſque rectè de Beneficiis Eccleſiaſticis ſentiat, quàm Laïcus, qui aliunde, cùm in ſenatu Pariſienſi, à

Art.1. quo judicabantur motæ occaſione Regaliæ lites, primò Patronus ordinarius, deinde per decennium Advocatus Regius, poſtea Præſes Diadematus, ac denique Protopræſes fuerit, Regaliæ naturam & conditionem ignorare nequaquam potuit. An enim Theologo digna eſt illa ſententia, *Regalia ſpiritualis in partem venit temporalis*; quaſi ſpiritualia acceſſoria tantùm eſſent temporalium, ac ſub ipſis contenta.

§. 4.

16. Sed parvi penſa Ægidii Magiſtri autoritate circa præcipuam Regaliæ partem, ſcilicet Beneficiorum Collationem, eam circa uſumfructum redituum recipi vult P. Alexander, ſuæ ſententiæ ac deſiderio hâc in parte conſentaneam falſò exiſtimans. Quî potuiſſet Ægidius neſcire, Regem Chriſtianiſſimum omnium ſui Regni Eccleſiarum reditus tempore vacationis provenientes non facere ſuos; quandoquidem Inſtrumenta in eodem Tractatu exſcripſit, ex quibus id evidentiſſimum fit: ut ſi negare voluiſſet, non ſolùm malam fidem prodidiſſet, ſed & maximum Judicii defectum, non occultatis ſaltem ſilentio teſtimoniis, contrariam veritatem perſpicuè comprobantibus. Verùm fieret tali tantoque Viro injuria, ſi quid hujuſmodi de illo ſentiretur; nec id poſtulant ejus verba, ut diligenter conſideranti veramque illorum ſententiam, non ſuam privatam, in illis quærenti patebit.

17. Primò Ægidius poſt relatam Conſtitutionem, quæ vulgò dicitur; *dum Epiſcopus*, addit; *Cette ordonance eſt notable en pluſieurs points, premierement en ces mots: ubi Dominus Rex habet Regaliam, par leſquels mots eſt expreſſément montrè, que le Roy n'a droit de Regale en tous les Evêchez de ſon Royaume, mais ſeulement en quelques uns* &c. Quæ ſic Latinè reddita ſunt in verſione jam citatâ? *Hujus Conſtitutionis multa ſunt Capita notanda. Primum in his verbis*, UBI DOMINUS REX

REX HABET REGALIAM : *quibus expreſſè ſignificatur Regi non competere Jus Regaliæ in omnibus Epiſcopatibus ſui Regni, ſed tantùm in nonnullis, ut patet ex Conſtitutione Ludovici XII. promulgatâ anno* 1499. *cujus hæc ſunt verba ; Prætereà prohibuimus, ac prohibemus omnibus noſtris Officialibus, ne poſſeſſionem Archiepiſcopatuum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorumve Beneficiorum in quibus Jus Regaliæ aut Cuſtodiæ nobis non competit, invadant, ſub pœnâ Sacrilegii. Deinde ex voluminibus Curiæ rationum libro, cui ſuperſcriptum eſt, qui es in Cælis, apparet Regem non habere Jus Regaliæ in omnibus Epiſcopatibus ſui Regni, cujus libri ſequitur forma, Dominus Rex........ In Provinciâ Auxitanenſi & Arelatenſi, & per conſequens in totâ Linguâ Ocitanâ nihil habet. Hoc libro ſatis liquidò confirmatur quod ſupra dictum eſt. Notandum tamen eſt, ibi agi de Regaliâ temporalium, non ſpiritualium, ut his verbis deſignatur ; de Pictavienſi computatum fuit anno* 306. *Nè autem poſſit intelligi de Regaliâ ſpiritualium, facit quod addit Regi non competere Jus Regaliæ in Epiſcopatu Maclovienſi, Briocenſi, Redonenſi, qui ſunt Britanniæ Epiſcopatus, in quibus notum eſt Regem habere Jus Regaliæ ratione temporalium vacantium quemadmodum habuerunt duces Britanniæ antequàm Ducatus ad Regis Patrimonium redactus eſſet : certumque eſt eorum rationem quotidie iniri apud Curiam rationum Britanniæ* &c. Art. 1. §. 4.

18. Potuitne Illuſtriſſimus Senatus Pariſienſis Princeps apertius ſignificare, non ſolum Collationem inter fructus non ſemper computari, ſed etiam Regem Chriſtianiſſimum non habere ubique Regaliam temporalium, quàm allatis ſupradictis conſtitutionibus, ac præcipuè his verbis Conſtitutionis incipientis ; *Dominus Rex : In Provinciâ Auxitanenſi, & Arelatenſi, & per conſequens in totâ Linguâ Occitanâ nihil habet,*

*Art.*1. circa quæ, *notandum eſt*, inquit, *ibi agi de Regalià temporalium non ſpiritualium, ut his verbis deſignatur*; *de Pictavienſi computatum fuit anno 306*. Certè de temporalibus, non de Beneficiorum Collatione reddebatur ratio in Camerâ Computorum.
§. 4.

19. Sed forſan in loco ab Autore relato Ægidius prædicta retractavit? E contra quæ modò Attulimus, cùm ſint poſteriora & clariora, aliis, utpotè prioribus & obſcuris derogaſſent. Verùm non pugnant inter ſe Protopræſidis dicta, ſi ſanè intelligantur. Eorum obſcuritas non niſi ex æquivocatione oritur. Cùm enim duo diſtinguit Regaliorum genera, primumque ait eſſe *de temporalibus Eccleſiæ*; per Regaliam de temporalibus non ſignificat uſumfructum redituum temporalium, ſed in communi quodvis jus temporale, ut conſtat primò ex his verbis; *Omnes Epiſcopi fidem & obſequium ei* (Regi) *exhibere tenentur pro temporalibus Eccleſiæ, etiam ſi amortizata ſint, quoniam amortizatio non liberat homines manus mortuæ, quales ſunt Eccleſiaſtici, à præſtatione hominii, ut ſuprà latiùs demonſtratum eſt*. His ultimis verbis citat alium ſuum Tractatum de amortizationibus, qui extat ibidem ante hunc de Regaliis: & in cujus capite primo, is eſſe dicitur effectus amortizationis, ut Dominus ei renunciet emolumento, quod ex bonis à ſe traditis ad mutationem poſſeſſorum percepturus eſſet. Cùm autem in aliquibus Provinciis, quoties moritur Vaſſallus, aut in crimen incidit Domini fructus ſuos faciant, uſque dum inveſtitus fuerit Succeſſor; aut etiam bona ipſa interdum in pœnam criminis Fiſco addicantur, cariturì ſunt Domini hujuſmodi commodis, ideòque jacturam illam amortizationis pretio compenſant, quando bona in Eccleſias, quæ nec moriuntur, nec peccant, transferuntur.

feruntur. Itaque tantum abeſt ut poſt amortizationem Rex *Art.*1. bonorum amortizatorum fructus ſuos faciat ; ut ideò amor- §. 4. tizentur, nè faciat ſuos. Fuiſſe autem amortizata, & quidem caro pretio Gallicanarum Eccleſiarum bona, teſtantur acta Cleri Gallicani præſertim tom. 3. ult. edit. part. 4. cap. 9. Cujus titulus eſt. *E exercition de rendre foi & homage Aveus & denombremens.* Immunitas à præſtandis fide, hominio, recognitionibus, & declarationibus.

20. Quamobrem tantùm abeſt ùt prætextu ſervitiorum feudalium Regalia novè induci potuerit in Provincias hactenus liberas, ut eâ ratione illo debuiſſent onere liberari Provinciæ jam illi obnoxiæ, ſublatâ ſcilicet per amortizationem obligatione præſtandorum hujuſmodi ſervitiorum. Ea fortè una eſt ex cauſis ob quas etiam in Eccleſiis Regaliæ obnoxiis, fructus tempore vacationis provenientes novo Epiſcopo donantur.

21. Secundò colligitur eadem Ægidii mens ex eo quòd citat locum ſupra relatum ; *De quo* (Sacramento fidelitatis) *poſtea docebitur in Conſtitutione Regaliorum, quæ incipit : Dum Epiſcopus.* Vidimus autem poſt illam Conſtitutionem addidiſſe Ægidium ; *in his verbis ; Ubi Dominus Rex habet Regaliam, expreſſè ſignificari Regi non competere Jus Regaliæ in omnibus Epiſcopatibus ſui Regni, ſed tantùm in nonnullis ;* Idque probâſſe Conſtitutione Ludovici XII. & ex Regeſtis Curiæ rationum, quæ nonniſi de uſufructu redituum accipi poſſunt, ut animadvertit ipſemet Ægidius. *In totâ Linguâ Occitanâ nihil habet, hoc libro ſatis liquidò confirmatur, quod ſuprà dictum eſt. Notandum tamen eſt ibi agi de Regaliâ temporalium* &c.

22. Tertiò poſtquàm Ægidius citavit Baldum dicentem quòd Rex ſit Patronus omnium Eccleſiarum Cathedralium

ſui

Art. 1. §. 4. ſui Regni, addit; *Quod ſanè multos deduxit in errorem, ut notârunt Canoniſtæ in C. Imperium* 10. *diſt. Id intelligendum eſt de Cuſtodiâ & tuitione tantùm, non de Collatione Beneficiorum, Archidiaconus* &c. Atqui nec Baldus, nèque ullus Canoniſta ſenſit, Principes ratione illius Cuſtodiæ ſeu protectionis, quàm univerſis ſuarum Ditionum Eccleſiis debent, poſſe illarum fructus ſibi vendicare. Nèque illa Cuſtodia eſt, quæ Regaliæ occaſionem præbuit, quippè cum non ſolùm ad omnes Eccleſias pertineat, ſed etiam viventibus Paſtoribus, perinde atque poſt illorum mortem, Eccleſiis præſtanda ſit. Itaque corrigit Protopræſes illorum interpretationem, qui Baldum exponebant, quaſi docuiſſet, Reges eſſe Patronos Eccleſiarum propriè dictos, adeòque poſſe quocumque tempore conferre Beneficia, ſeu ad illa præſentare. Potiori ergo ratione illos emendaſſet, qui exiſtimaſſent, poſſe Reges prætextu Cuſtodiæ ſeu protectionis, fructus Eccleſiarum vacantium ſuos facere; cùm iſtud nè Patronis quidem propriè dictis liceat, ut tradunt Canones & Canoniſtæ, nominatim Guillelmus Durandus in celebre Decretum Concilii Lugdunenſis II. quod incipit; Generali: circa quod verſatur hæc Diſſertatio. Ait enim Durandus circa hoc verbum, *dilabi*, *videtur autem hoc à contrario ſenſu, quod Patroni habebunt pro ſe fructus medio tempore perceptos, quia hîc non prohibetur de fructibus, ſed ſolùm de iis, quæ non pertinent ad fructus, ſed non eſt ita. Imo eos conſervabunt Succeſſori convertendos in utilitatem Eccleſiæ, ut de Off. C. Cum vos. Habent enim Cuſtodire, non conſumere. ff. ut in poſſeſſ. legat. l. Is cui §. Qui Legatorum. Nec valere debet conſuetudo contraria, cum ſit Eccleſiis oneroſa, ut de conſuet. c.* 1.

23. Regaliam ergo temporalem intellexit Ægidius cap. 1. non

non propriè dictam illam tantùm, quæ in percipiendis fructibus Eccleſiarum vacantium poſita eſt, ſed Jus quodcumque Regi competens, ſive utile, ſive honorarium, ſive in officio, ſive in Juriſdictione, ſive in alio quovis conſiſtat: quod poſtea cum diſtributione congruâ ſingularibus Eccleſiis eſt accommodandum; ut ſcilicet in aliquibus habeat verum Jus Patronatùs, in aliis Cuſtodiam illam præcipuam, quæ Regaliæ anſam præbuit, omnibus autem tuitionem ac protectionem debeat, ſive Paſtoribus gaudeant, ſive viduatæ ſint: quod quidem officium, non ſolùm Eccleſiis tanquam Dei peculio præſtare tenentur, ſed & omnibus ſuis ſubditis, ut eos in pace contineant, & ab hoſtibus tutentur. *Art.1. §.4.*

24. DISSERT. „ Illuſtriſſimus Archipræſul Petrus de „ Marca lib. 8. *De Concordiâ Sacerdotii & Imperii* cap. 19. n. „ 1. iiſdem Principiis inſiſtit. *Itaque* (inquit) *permiſſus eſt* „ *deinceps Principibus uſusfructus redituum Eccleſiæ vacan-* „ *tis, contra quam priſcæ Regulæ ſtatuerant. Si quis verò in-* „ *quirat in cauſas tam magnæ immutationis, is reperiet eam eſſe* „ *profectam ex immutatione, quæ facta eſt in conditione & quali-* „ *tate bonorum ab Eccleſiâ poſſeſſorum. Quemadmodum enim in* „ *Republicâ quoddam bonorum genus extat, quod vulgò feudum* „ *vocant, incognitum Romano Juri, ideòque novis Conſtitutio-* „ *nibus & antiquarum legum diſpoſitioni contrariis inductum,* „ *ſic, cùm Eccleſiæ Regum Beneficio donatæ fuiſſent bonis huju-* „ *ſcemodi, neceſſarium prorſus fuit, ut illæ poſſiderent feuda iis* „ *conditionibus, quas in primâ feudorum origine invexit publica* „ *utilitas. Ergo perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ feuda poſſidebant, per* „ *conſequentiam fiebant Vaſſalli Regum, illiſque præſtare tene-* „ *bantur Homagium & Juramentum fidelitatis, itemque certum* „ *Militum numerum juxtà valorem feudorum. Prætereà Regi tra-*

Art. 1. „ *dere tenentur arces & caſtra, quoties id Regis utilitas poſtula-*
§. 4. „ *bit. Unde ſequitur neceſſariò, Regem poſt obitum Epiſcopi, quòd „ eo caſu feudum vacet, illud ad ſe recipere poſſe, ac retinere, do- „ nec novus Epiſcopus Inveſtituram receperit, Homagiumque ac „ Juramentum fidelitatis præſtiterit. Interim tamen Regi compe- „ tit jus quoddam fruendi reditibus, dum cuſtodia durat.*

25. RESP. Ponderanda ſunt Illuſtriſſimi Archipræſulis verba. Non debitus, ſed *permiſſus eſt Principibus uſusfructus redituum Eccleſiæ vacantis.* Non à principio, ſed deinceps: Non ſecundùm Jus antiquum; ſed *contra quam priſcæ Regulæ ſtatuerant. Si quis verò inquirat in cauſas tam magnæ immutationis, is reperiet, eam eſſe profectam ex immutatione quæ facta eſt in conditione & qualitate bonorum ab Eccleſiâ poſſeſſorum.* Supponit ergo feuda non fuiſſe primam Eccleſiarum dotem, ex quâ præcipuè æſtimatur earum libertas, vel onera, ſed adventitiam, quæ Jus Patronatûs non inducit, niſi cum multis conditionibus, quarum illæ ſunt præcipuæ, ut dotis incrementum majorem, aut ſaltem mediam dotis partem conflet, ut videre eſt apud Juris Canonici tractatores, relatos ab Auguſtino Barboſa Jur. Eccl. univer. lib. 3. cap. 12. n. 55. & ſeqq. & apud Melchiorem Lotter. de re Beneficiar. lib. 1. quæſt. 31. n. 22. Ut autem vera Illuſtriſſimi Archipræſulis mens aperiatur, & evidens fiat P. Alexandrum in Autoribus, non tam Germanam illorum Sententiam, quàm ſuam quæſiviſſe, verbis ex principio cap. 19. ſuprà exſcriptis conjungenda ſunt, quæ in num. ult. cap. 18. leguntur. *Ideò autem*, inquit, *antiquas Regulas Canonicas adducere hìc placuit, ut omnes intelligerent, reditus Patrimoniorum Eccleſiæ vacantis, ac ſpolia Epiſcoporum decedentium, nunquam pertinuiſſe ad Principes, quinimò univerſa hæc emolumenta ſervari debuiſſe expendenda*

denda in utilitatem Eccleſiæ, vel pro futuro Succeſſore. Quod adeò placuit vetuſtis illis Epiſcopis Gallicanis, ut jus illud in Canonibus eorum fuerit conſtitutum, in Concilio nempe Reienſi &c. Art. 1. §. 4.

26. At, inquies, hîc feudorum nulla eſt mentio. Certè titulus feudorum non valet ex Domino Marca ad extendendam ad omnes Eccleſias Franciæ Regaliam, cùm Illuſtriſſimus ille Præſul lib. 8. cap. 22. num. 5. variæ feudorum conditioni tribuat, quòd Regalia in omnibus Eccleſiis locum non habeat. Ait enim; *In eâ ſum ſententiâ, ut exiſtimem, uſumfructum redituum Eccleſiaſticorum introductum eſſe poſt conſtitutionem Calliſti editam anno* 1122. *quæ Regibus tribuit poteſtatem exigendi à Prælatis univerſa officia & obſequia, quæ ratione feudorum exhibere tenentur: Quæ ex Regalibus debet, faciat. Unde factum eſt, ut quemadmodum plurimarum hujus Regni Provinciarum conſuetudo Domino feudi addicit uſumfructum, quoties feudum vacat per mortem Vaſſalli, id quod vulgò Relevium vocant, ſic Reges eo feudorum jure, quo ad Regalia, ſive Patrimonia Epiſcopatuum uſi ſint, interim dum eorum Cuſtodiam ad ſe receperant, donec ſedi vacanti præfectus eſſet Epiſcopus, & donec is inveſtituram à Rege accepiſſet, juramentumque fidelitatis præſtitiſſet. Quod jus inprimis introductum eſt in Provincias, in quibus mutatio Domini neceſſitatem imponit ſolvendi commodum aliquod & utile Domino ſuperiori, quod Relevium vocant, ut dixi; cùm è contra in illis quæ huic Juri Relevii obnoxiæ non ſunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quoad uſumfructum Regalium.*

27. Poſtulabat bona fides, quandoquidem Diſſertationis Autor de Regaliæ extenſione Hiſtoricè tantùm acturus erat, in Autoribus quos pro Rege ſuo allegavit, illa etiam loca referre, quæ Libertatem Eccleſiarum aſſerunt, præſertim cum eſſent magis expreſſa; quâ in re illum graviter peccaſſe in te-

Art. 1. ſtimoniis Philippi Probi, Ægidii Magiſtri, & Domini Petri
§. 4. de Marca jam vidimus. Alia in decurſu occurrent exempla. Verùm P. Alexandro, non tam Theologi, quam Advocati Regii partes agere propoſitum erat, nec tam adductis utriuſque partis rationibus Jus explicare, quàm partis ſuæ cauſam veriſimilem efficere contendit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum Cuſtodiæ ſeu defenſionis titulus, quod primum eſt Juris Regaliæ fundamentum, Regibus Chriſtianiſſimis primæ & ſecundæ Dynaſtiæ in Eccleſiis Regni ſui competeret, ac hujusmodi Cuſtodiam & defenſionem exercuerint?

§. PRIMUS.

Primum Argumentum Cuſtodiæ, ſeu defenſionis à Regibus Eccleſiis præſtitæ, Regum circa electiones autoritas.

1. DISSERT. „Illuſtre Cuſtodis ac Defenſoris Eccleſiarum nomen ac munus Reges noſtri conſequuti ſunt, ex quo Chriſtianis Sacris initiati fuêre. Hoc nomine multum ipſis tribuit in Epiſcoporum Electionibus Eccleſia Gallicana : ſtatuitque ut eorum voluntas, aſſenſus, & approbatio requireretur ad electionem Epiſcopi. Eam Auctoritatem Regibus tribuit Concilium Aurelianenſe V. anno 549. celebratum Can. 10.

Ut:

„ *Ut nulli Epiſcopatum Præmiis, aut comparatione liceat adi-* *Art.* 2.
„ *piſci, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri ac Ple-* §. 1.
„ *bis*, &c.

2. RESP. Si ex quo Chriſtianis Sacris initiati fuêre Reges Franciæ defenſorum Eccleſiarum munus conſecuti ſunt, & competens defenſionis præmium eſt redituum perceptio, ac Beneficiorum diſtributio, ſede vacante, cur non ſtatim afſertur aliquis ejus juris uſus ſub Clodoveo primo Rege Chriſtiano, vel ſub ejus filiis, ſed probatur tantùm eorum aſſenſum in electionibus Epiſcoporum fuiſſe requiſitum? Signum eſt deeſſe argumenta concludentia, & ab ipſâmet re, de qua agitur, ductâ, cùm ab indiciis non cohærentibus nec propriis veriſimilitudo conquiritur.

3. Sed nonne congruum fuiſſet, ac Regiâ Majeſtate dignum defenſionis præmium, ſi propter illam Regi conceſſum fuiſſet, ut cum voluntate ejus eligerentur Epiſcopi? Unde habet Autor aſſignatam prætereà fructuum perceptionem, & Beneficiorum Diſtributionem? An non invenirentur in antiquis Conciliis Gallicanis hujus Juris veſtigia, ſicut extant monimenta requirendi Regum aſſenſus in eligendis Epiſcopis, quo probare Autor nititur, illum uſumfructum, & Beneficiorum Collationem pènes Reges fuiſſe.

4. Quanquam, ut verum fatear, non arbitror ab Eccleſiâ primùm datam fuiſſe Principibus poteſtatem aliquam circa electiones, ſed cùm ii ſibi eam ſumpſiſſent, Eccleſiam non repugnâſſe, niſi dum gravis interveniebat abuſus. Clodoveus Rex, qui primus Chriſtianam Religionem amplexus eſt, nihil in Epiſcoporum electionibus ſibi Juris vendicavit. Nec enim id ſiluiſſent Scriptores, præſertim Gregorius Turonenſis, qui de ſubſequentibus Regibus id tam accuratè notavit.

Art. 2. Ac licet meminerit Licinii, qui tempore Clodovei Turonæ
§. 1. ordinatus eſt Epiſcopus, obſervetque Principem illum, cùm Licinius jam Epiſcopus eſſet, Turonos veniſſe, non innuit tamen, eum ad ejus electionem operam aliquam contuliſſe, quod certè prætermitti omninò non debuiſſet, ſiquidem jus tam eximium vel ad Regem pertinuiſſet, ex quo Chriſtianis Sacris initiatus fuit, vel ei ab Eccleſiâ tributum fuiſſet. Contigit enim ea ordinatio poſt ſuſceptam à Clodoveo, fidem; cùm ejus Baptiſmum narret Gregorius lib. 2. cap. 31. Licinii autem ordinationem cap. 39. deſcribat his verbis; *Migrante Euſtochio Turonorum Epiſcopo, octavus poſt Sanctum Martinum Licinius Turonicis Epiſcopus ordinatur .... Hujus tempore Clodoveus Rex Turonos venit.*

5. Potuiſſet fortè Clodoveus, vel ad Jus ſuum non advertere, vel illud negligere, ſi una tantùm occurriſſet illius exercendi occaſio. Verùm cùm à ſuſcepto Baptiſmate annos, ut aliqui aſſerunt, duo de viginti, vel, ut alii volunt, quindecim vixerit, aliæ ſine dubio in illo intervallo celebratæ ſunt Epiſcoporum ordinationes. Una narratur in Galliâ Chriſtianâ in Epiſcopis Sueſſionenſibus his verbis nullam Regii aſſenſus mentionem facientibus; *J. Principius obiit VII. Kal. Octobris circa annum 506.* (quo tempore Chriſtianus erat Clodoveus, Baptizatus ſcilicet anno 496.) *S. Lupus Divo Principio Patre & Deceſſore genitus, Nepos fuit B. Remigii à quo inauguratus. Interfuit Concilio Aurelianenſi I. anno 511.*

6. Quâ igitur occaſione Reges Franciæ Præſulum electionibus intervenire cœperunt? Poſtulantibus ſcilicet Clericis ambitioſis, aut eorum Parentibus, Regum potentiam & Autoritatem oblatis muneribus ſibi Conciliantibus. Primum ejuſ-

modi

modi ambitionis exemplum notat Gregorius Turonenſis Hiſt. Franc. lib. 3. cap. 2. *Licinio autem*, inquit, *Urbis Turonicæ defuncto Epiſcopo, Dinifius Cathedram Pontificalem aſcendit.* (nulla fit adhuc Regii aſſenſus mentio) *Apud Arvernos verò poſt obitum B. Aprunculi, S. Eufraſius duodecimus Epiſcopus habebatur. Hic quatuor annos poſt Clodovei obitum vixit, vigeſimo quinto Epiſcopatûs ſui anno tranſiens. Cùmque Populus S. Quintianum, qui de Rutheno ejectus fuerat, elegiſſet, Alchima, & Placidina Uxor, ſororque Apollinaris ..... Apollinarem ad Regem* (Theodoricum Clodovei Filium) *dirigunt, qui abiens* OBLATIS MULTIS MUNERIBUS IN EPISCOPATU SUCCESSIT, *quo quatuor abutens menſibus migravit à ſæculo.* Art. 2. §. 1.

7. Muneribus ineſcatis Regibus, citò radices egit peſſima conſuetudo, ut non modò illi electionis participes eſſent, ſed etiam eâ occaſione Simoniam ſæpiſſimè perpetrarent. *Jam tunc* (inquit idem Gregorius Turonenſis in Patrum vitâ cap. 3. de Ordinatione S. Galli, qui anno 533. Concilio Aurelianenſi II. per legatum interfuit, verba faciens) *germen illud iniquum ceperat pullulare, ut Sacerdotium aut venderetur à Regibus, aut compararetur à Clericis.* Multa profert variis in locis ejus generis exempla Clericorum, vel etiam Laïcorum, favorem Principum oblatis muneribus ambientium. Ita libro 8. cap. 22. refert de quodam Deſiderio Laïco; *Laban Heloſenſis Epiſcopus hoc anno* (586.) *obiit, cui Deſiderius ex Laico Succeſſit. Cùm jurejurando enim Rex* (Childebertus Auſtraſianus) *pollicitus fuerat, ſe nunquam ex Laicis Epiſcopum ordinaturum. Sed quid pectora humana non cogat auri Sacra fames?* Aliquando reſpuebantur munera, ut favor familiaribus, quamvìs Laïcis, præſtaretur. Pergit enim Gregorius;

Art.2. gorius; *Bertchramnus verò* (Epiſcopus Burdegalenſis) *re-*
§. 1. *greſſus ex Synodo, à febre corripitur. Arceſſitoque Vualdone Diacono, qui & ipſe in Baptiſmo Bertchramnus vocitatus eſt, ſummam ei Sacerdotii deputat; omneſque conditiones tam Teſtamenti, quàm bene meritorum ſuorum ipſi commendat. Quo diſcedente hic ſpiritum exhalavit. Regreſſus Diaconus cum muneribus, & conſenſu Civium ad Regem properat. Sed nihil obtinuit. Tunc Rex datâ præceptione, juſſit Gundegeſilum Sanctonicum Comitem cognomento Dodonem Epiſcopum Ordinari. Geſtumque eſt ita.*

8. Quoniam autem non ſperabat Eccleſia obtinere poſſe, ut Reges ab electionibus penitus abſtinerent, conata eſt tantùm Simoniam extirpare, ac Jus eligendi habentibus libertatem ſuffragiorum vindicare. *Nulli* (inquit Concilium Aurelianenſe V.) *Epiſcopatum præmiis aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis juxta electionem Cleri ac Plebis.* Sed fortè voces illæ, *cum voluntate Regis*, poſtmodùm adjectæ ſunt. Teſtatur enim Doctiſſimus P. Sirmondus illas abeſſe à Codicibus Foſſatenſi, Bellovacenſi, & Tiliano. Sive autem Concilium Aurelianenſe V. Ordinationes Epiſcoporum cum voluntate Regis fieri voluerit, ſive de illâ voluntate nihil ſtatuerit, certum eſt Eccleſiam pro conſervandâ electionum libertate etiam adverſus Reges contendiſſe, ſi quando conſenſus vertebatur in Imperium, ut patet ex Concilio III. Pariſienſi octo poſt Aurelianenſe quintum annis celebrato cujus paulò infrà referemus Canonem.

9. DISSERT. „ Id Regibus ratione defenſionis & tuitio-
„ nis Eccleſiarum datum, & in grati animi ſignificationem,
„ ob munificentiam quam in eaſdem exercebant, ſcitè obſervat
„ Illuſtriſſimus Archipræſul Petrus de Marca, lib. 8. de Con-
„ cord,

„ cord. Sacerd. & Imper. cap. 9. n. 4. *Illud quoque*, inquit, *Art.* 2.
„ *Epiſcoporum Libertati in adminiſtratione Eccleſiæ profuturum* §. 1.
„ *putârunt, cùm Regis conſenſu promotus expectare debeat faciliorem, & procliviorem publicam tuitionem. Imò verò ipſius quoque electionis negotium, quod potentium Patrocinia perturbabant* (*ut docet Concilium Avernenſe Can.* 2. *an.* 535.) *Liberius futurum videbatur. Adde quod ipſa quoque Regum munificentia in dandis Eccleſiæ agris, ut factum à Clodoveo teſtatur Synodus Aurelianenſis I. Can.* 5. *& concedendis immunitatibus, iſtam ab Epiſcopis exigebat grati animi ſignificationem. Neque diſſimulanda eſt potior ratio, tum apud Reges, ut illud Beneficium per Canonum interpretationem expoſcerent, tum apud Epiſcopos; ut illud ſponte largirentur. Adhibitis quippè in Regum Conſilia, & Regni cum reliquis Proceribus adminiſtrationem Epiſcopis, juxtà monitum quod S. Remigius Remenſis Epiſcopus dederat Clodoveo Regi in epiſt. ad ejus Majeſtatem ſcripta :* Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, & ad eorum Conſilia ſemper recurrere : *Æquum erat ut invitò & repugnante Principe non aſſumerentur ad eam dignitatem, aut incogniti, aut ſuſpecti, ſed potiùs qui eſſent illi vitæ meritis, prudentiâ, ac fide, undequàque probati.*

10. RESP. *Publicam tuitionem* intelligit hîc Illuſtriſſimus Archipræſul, quæ præſtabatur Epiſcopis in adminiſtratione Eccleſiæ, generalem ſcilicet illam, quam debent Principes non ſolùm Eccleſiis, ſed etiam univerſis ſubditis, ut manifeſtè declarant hæc ejus verba ; *Illud quoque Epiſcoporum libertati in adminiſtratione Eccleſiæ profuturum putârunt, cùm Regis conſenſu promotus expectare debeat faciliorem & procliviorem* PUBLICAM TUITIONEM. Si ergò honorarium Cuſtodiæ ac defenſionis eſt uſusfructus omnium redituum, & diſ-

 penſatio

Art. 2. §. 1. penſatio Beneficiorum omnium Curam Animarum non habentium, cùm Principes tam viventibus Epiſcopis, quàm ipſis defunctis Eccleſias tueantur, poterunt quovis tempore illa ſine cujuſquam injuriâ exigere, adeòque ſemper Epiſcoporum omnium vice fungi.

11. Quouſque autem ſe Regum circa electiones Epiſcoporum Jus extenderet, explicant ultima prædicti Archipræſulis verba; *Æquum erat, ut invito & repugnante Principe non aſſumerentur ad eam dignitatem, aut incogniti, aut ſuſpecti, ſed qui eſſent illi vitæ meritis, prudentiâ ac fide, undequàque probati.*

Porrò ſi Autori videbatur alicujus ponderis eſſe Autoritas Domini Petri de Marca, cur ejus Sententiam circa punctum de quo agitur, minimè retulit. Illuſtriſſimus enim ille Archipræſul in opuſc. de Regaliâ Gallicè ſcripto, & in 2. tom. Actorum Cleri Gallicani parte 2. tit. 6. exſcripto, hæc ipſa verba ſcripſit; *On trouvera bien dans Gregoire de Tours, que les Rois nommoient quelques fois les Evêques pour les faire elire enſuite par le Clerge & le peuple:* MAIS CELA NE TOUCHE POINT LA REGALE, quæ ſic Latinè ſonant; „Invenies quidem apud Gregorium Turonenſem, Reges „Epiſcopos aliquandò nominaſſe à Clero & Populo poſteà „eligendos; SED HOC AD REGALIAM NEQUA„QUAM PERTINET. Vide quæ Art. 1. §. 4. num. 25. retulimus ex eodem Scriptore lib. 8. de Concord. cap. 18. n. ult. ſcilicet *reditus Patrimoniorum Eccleſiæ vacantis nunquam pertinuiſſe ad Principes*, quod probat variis teſtimoniis Conciliorum Gallicanorum.

DISSERT. „Secundum hanc diſciplinam S. Medardus „anno 520. ut Fortunatus Pictavienſis in ejus vitâ teſtatur,

Regis

„ Regis & Optimatum aſſenſu Veromandenſis Epiſcopus ele- *Art.* 2.
„ ctus fuerat. Nicetius Treverenſis Epiſcopus anno 526. ordi- §. 1.
„ natus *dato conſenſu Populi* ET DECRETO REGIS: ut
„ Gregorius Turonenſis in vitâ Patrum ſcribit cap. 17. Unde
„ Aurelianenſis Concilii Patres morem ab ipſis Chriſtianæ
„ Monarchiæ exordiis introductum confirmârunt edito Ca-
„ none, novam conſuetudinem non invexerunt. Anno 550.
„ qui Synodum Aurelianenſem V. proximè ſecutus eſt, *Nice-*
„ *tius pleno Regis & Populi* SUFFRAGIO, Epiſcopus Lug-
„ dunenſis creatus eſt, teſte Gregorio Turonenſi in vitâ Pa-
„ trum. *Euphronius* Regis *Clotarii* PRÆCEPTIONE Tu-
„ ronenſium factus eſt Epiſcopus, ut refert idem Auctor lib.
„ 4. Hiſt. cap. 15. Vualdo à Beudegalenſibus electus, repul-
„ ſam paſſus à Rege eſt. *Tunc* REX DATA PRÆCEPTIO-
„ NE *juſſit Gundegiſilum Santonicum Comitem*, *cognomine*
„ *Dodonem Epiſcopum ordinari: Geſtumque eſt ita.* (Ex Gre-
„ gorio Turonenſi lib. 8. cap. 23.) *Sulpitius in ipſa Urbe Bi-*
„ *turigum ad Sacerdotium* GUNTRAMNO REGE FA-
„ VENTE electus eſt, ut refert idem Autor. Emerius Ec-
„ cleſiæ Santonicæ à Clotario præfectus eſt, qui juſſit ut abſ-
„ que Metropolitani Conſilio benediceretur, qui non erat
„ præſens. (Ex eodem, lib. 4. cap. 26.) Heraclium, poſt-
„ quàm Emerius à Leontio Burdegalenſi Metropolitano in
„ Concilio depulſus eſſet, quaſi Canonicè non electus, ab
„ Epiſcopis ſubſtitutum, & ad ſe miſſum, ut ejus electio-
„ nem judicio ſuo probaret, repudiavit, Emerium ſedi ſuæ
„ reſtituit, mulctam ab Epiſcopis exegit anno 563. ut refert
„ idem Autor. Clotarius II. in Edicto dato in Concilii Pari-
„ riſienſis V. confirmationem anno 614. ex Concilio Pontifi-
„ cum & Optimatum, de Epiſcoporum electionibus ſta-

 „ tuens,

Art.2. „ tuens, jubet, *ut ſi perſona condigna fuerit*, PER ORDI-
§. 1. „ NATIONEM PRINCIPIS *ordinetur.* Anno 670.
„ Præfectus Urbis Arvernæ factus eſt Epiſcopus DECRETO
„ REGIS *Populi petitionibus annuente*, ut vitæ ejus Autor
„ teſtatur anno 676. Rotomagenſes B. Anſbertum Epiſcopum
„ elegerunt, MISSA PETITIONE AD REGEM,
„ CUM EJUS PERMISSU, ET AUCTORITATE.
„ Id ipſum conſtat ex formulis Marculfi; quarum una, ſci-
„ licet quinta libri primi, inſcribitur, *Præceptum de Epiſco-*
„ *patu*: in qua Rex ita ſcribit: *Et quia cognovimus Sanctæ*
„ *recordationis Domnum illum, Urbis illius Antiſtitem, evoca-*
„ *tione divinâ ab hâc luce migrâſſe: de cujus ſucceſſore ſolicitu-*
„ *dine congruâ, unà cum Pontificibus vel Proceribus noſtris ple-*
„ *nius tractantes, decrevimus Inluſtri Viro, aut Venerabili illi,*
„ *in ipſâ Urbe Pontificalem in Dei nomine committere Dignitatem.*
„ Et formula 6. quæ inſcribitur: Indiculus Regis ad Epiſco-
„ pum, ut alium benedicat; ita Rex loquitur: *Inluſtri Viro*
„ *illi, aut Venerabili Viro illi, ad præfatam Urbem Pontifica-*
„ *lem regulariter Chriſto Auſpice committere decrevimus dignita-*
„ *tem. Et ideò petimus, ut cùm ad vos pervenerit, ipſum, ut*
„ *ordo poſtulat, benedici veſtra Sanctitas non moretur; & jun-*
„ *ctis vobis cum veſtris Provincialibus, ipſum in ſuprà ſcriptà*
„ *Urbe conſecrare Chriſto Auſpice debeatis. Agat ergò Almitas*
„ *veſtra ut noſtræ voluntatem devotionis incunctantèr debeatis*
„ *implere.* Regiam illam Nominationem fieri regularitèr, id eſt
„ juxta Regulas Canonicas & Eccleſiæ diſciplinam, perſuaſum
„ habebant.

12. RESP. Quis negat, priſcos Galliæ Reges circa Epi-
ſcoporum electiones auctoritatem exercuiſſe, modò majorem,
modò minorem pro variâ temporum & perſonarum conditio-
ne?

ne? Sed, ut notavit D. Marca jamjam citatus, hoc ad Rega- *Art.2.*
liam nequaquàm pertinebat. Non moleſtè ferebat Eccleſia, §. 1.
quòd Reges ad electiones Epiſcoporum concurrerent, dum illorum opera eò tantùm ſpectabat, ut qui digni eſſent reliquis anteponerentur: quod de Rege Guntramno innuit Gregorius Turonenſis lib. *6*. cap. *29*. *Remigius Biturigum Epiſcopus*, inquit, *obiit .... Poſt hæc Sulpitius in ipſâ Urbe, ad Sacerdotium, Guntramno Rege favente præeligitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur: Non eſt Principatûs noſtri conſuetudo, Sacerdotium venundare ſub precio; ſed nec veſtrum, eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamiâ notemur, & vos Mago Simoni comparemini: ſed juxta Dei præſcientiam Sulpitius vobis erit Epiſcopus.*

13. Sed quis patientèr audiat Theologum licita cum illicitis miſcentem, Regia Jura colligere ex duorum Principum exemplo, quorum alter Eccleſiæ Canones perfregit, alter, ut eam violationem defenderet, crudelitatem Chriſtiano Principe indigniſſimam exercuit? Ejus generis eſt factum Clotarii & Chariberti, quod hîc commemorat Diſſertationis Autor, in hoc tamen errans, quòd ea etiam, quæ à Chariberto geſta ſunt, Clotario tribuat. Referenda ſunt verba lib. 4. cap. *26*. Gregorii Turonenſis à P. Alexandro citati: *Hujus Regis* (Chariberti) *tempore apud Urbem Sanctonicam Leontius* (Archiepiſcopus Burdegalenſis) *congregatis Provinciæ ſuæ Epiſcopis, Emerium ab Epiſcopatu depulit, aſſerens non Canonicè eum fuiſſe hoc honore donatum. Decretum enim Regis Clotarii habuerat, ut abſque Metropolitano Conſilio benediceretur, qui non erat præſens. Quo ejecto conſenſum fecêre in Heraclium tunc Burdegalenſis Urbis Presbyterum. Quod Regi Chariberto ſubſcri-*

Art.2. §. 1. *ptum propriis manibus per nuncupatum Presbyterum tranſmiſerunt. Qui veniens Turonis, Rem geſtam B. Eufronio pandit, deprecans, ut hoc conſenſum ſubſcribere dignaretur. Quod vir Dei manifeſtè reſpuit. Igitùr poſtquam Presbyter Pariſiacæ Urbis portas ingreſſus Regis præſentiam, hæc effatus eſt: Salve Rex Glorioſe. Sedes enim Apoſtolica Eminentiæ tuæ ſalutem mittit uberrimam. Cui ille: Numquid, ait, Turonicam adiſti urbem, ut Papæ illius nobis ſalutem deferas? Pater, inquit Presbyter, tuus Leontius cum Provincialibus ſuis ſalutem tibi mittit, indicans Æmulum (ſic enim vocare conſueverant Emerium in infantiâ ſuâ) ejectum ab Epiſcopatu, pro eò quòd prætermiſſâ Canonum Sanctione Urbis Sanctonicæ Epiſcopatum ambivit. Ideòque conſenſum ad te direxerunt, ut alius in loco ejus ſubſtituatur: quo fiat, ut dum transgreſſores Canonum regularitèr arguuntur, Regni Veſtri potentiâ ævis prolixioribus propagetur. Hæc eo dicente frendens Rex eum à ſuis conſpectibus extrahi juſſit, & plauſtro ſpinis ſuppleto imponi deſuper, & in exilium protrudi præcepit dicens: putasne, quod non eſt ſuper quiſquam de filiis Chlotarii, qui Patris facta cuſtodiat, quòd ſic Epiſcopum, quem ejus voluntas elegit, abſque noſtro judicio projecerunt. Et ſtatim directis viris Religioſis, Epiſcopum in loco reſtituit, dirigens etiam quoſdam de Camerariis ſuis, qui exactis à Leontio Epiſcopo mille aureis, reliquos juxta poſſibilitatem condemnarent Epiſcopos. Et ſic Patris eſt ultus injuriam.*

14. Quare autem diſſimulet Autor, Eccleſiam Gallicanam infelici experientiâ cognoviſſe quàm periculoſum ſit, Principes, alioſque Laïcos, præſertim potentes in adminiſtrandorum Eccleſiæ negotiorum conſortium admittere; ac libertatem ſuam occaſione honoris Regi delati paulatim violatam pro viribus defendiſſe. Illuſtre hujus rei teſtimonium ſubminiſtrat Con-

Concilium Pariſienſe III. anno 557. celebratum can.8. cujus hæc ſunt verba ; *Et quia in aliquibus rebus conſuetudo priſca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit ut juxta antiquam conſuetudinem Canonum decreta ſerventur. Nullus civibus invitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem Populi, & Clericorum electio pleniſſimâ quæſierit voluntate, non Principis imperio, nèque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum comprovincialium, ingeratur. Quòd ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen pervadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à comprovincialibus loci ipſius Epiſcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoſcunt.* Art.2. §. 1.
Nec futuris tantùm providet malis, ſed, & præteritis remedium adhibendi rationem præſcribit. Sequitur enim ; *Si quis de comprovincialibus recipere contra interdicta præſumpſerit, ſit à fratribus omnibus ſegregatus, & ab ipſorum omnium charitate ſemotus. Nam de anteactis ordinationibus Pontificum ita convenit, ut conjuncti Metropolitanus cum ſuis Comprovincialibus Epiſcopis, vel quos vicinos Epiſcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit, juxta antiqua ſtatuta Canonum, omnia communi Conſilio, & ſententiâ decernantur.*

5. DISSERT. „ Hæc verò Regiæ cuſtodiæ ac defenſio-
„ nis, quam Regis Chriſtianiſſimi in omnibus Regni ſui Ec-
„ cleſiis exercebant, illuſtria eſſe veſtigia ac monumenta quis
„ inficiari poteſt ?

6. RESP. Poteſt quilibet inficiari, ſi rem attentè ſincerèque perſpiciat. Potentiæ Regum argumenta ſunt, exempla relata; nec aliud probant, quàm voluiſſe Reges Chriſtianiſſimos, ut Epiſcopi ſibi minus grati non præficerentur; aut etiam ut illi promoverentur, quibus ipſi favebant : Eccleſiam Principum voluntati ſeſe accommodâſſe, aliquandò ſpontè, ut

*Art.*2. ut eorum gratiam ſibi conciliaret, aliquando invitam, quia
§. 2. reſiſtere tutum non erat. Vide infra §. 5.

7. Cæterum, ſi opera in electionibus præſtita, argumentum eſſet Cuſtodiæ ac defenſionis, concludendum eſſet, Clerum ac Populum Cuſtodes ac defenſores Eccleſiarum fuiſſe; quandoquidem illorum erant, & præcipuæ partes in eligendis Epiſcopis, & Jus ſacris Canonibus & ſummorum Pontificum Conſtitutionibus magis conſentaneum; atque adeò ſecundum Autoris Dialecticam ad Clerum & Populum potiùs quàm ad Reges pertinuiſſet vacantium Eccleſiarum fructûs percipere ac Præbendas conferre.

§. SECUNDUS.

De ſecundo Eccleſiarum defenſionis ſigno, autoritate videlicet Regis circa promotionem ad Clericatum.

1. DISSERT. „ Ob eandem Cuſtodiam ac Defenſio„ nem Antiſtites Sanctiſſimi in inferiorum Sacer„ dotiorum Collationibus Regiæ Autoritati pluri„ mum tribuerunt, ipſeque inprimis S. Remi„ gius, qui nonnullis obmurmurantibus, quod Clericum „ quemdam volente Clodoveo Presbyterum ordinâſſet, illi„ que Beneficium; ſine quo nemo tunc ordinabatur, contu„ liſſet, reſpondit: *Ego Claudium Presbyterum feci non corruptus „ præmio, ſed Præcellentiſſimi Regis teſtimonio, qui erat non ſo„ lùm Prædicator Fidei Catholicæ, ſed defenſor. Scribitis Cano„ nicum non fuiſſe, quod juſſit: ſummo fungamini Sacerdotio:*

RE-

„REGIONUM PRÆSUL, CUSTOS PATRIÆ, *Art.2.*
„GENTIUM TRIUMPHATOR INJUNXIT. §.2.
„(Apud Ducheſnium, Tom. 1. Hiſtor. Francor. pag.
„850.)

2. RESP. Num quia aliqui Epiſcopi non ſolùm Potentum, ſed etiam Amicorum, vel Conſanguineorum precibus inducuntur ad conferendos certis perſonis ordines, id Cuſtodiæ ac Defenſionis Juri adſcribendum eſt? At, inquit P. Alexander, Antiſtites Sanctiſſimi Regiam autoritatem hâc in parte agnoverunt. Numèro ſingulari uti debuit, ſiquidem unum tantùm citat S. Remigium, Virum ob converſam ad fidem Catholicam Francorum Gentem, Celeberrimum. Sed expendendum eſt, quod ex eo refertur, exemplum. S. Remigii autoritati quatuor Epiſcoporum, qui ejus factum improbârunt, autoritatem poſſemus opponere. Scripſit enim S. Remigius iſtam Epiſtolam Heraclio, Leoni, Theòdoſio, & Synonimo Remigio, à quibus acriter fuerat reprehenſus occaſione Sacrilegii cujuſdam Claudii, quem ad Sacerdotium promoverat. Licet autem quinam fuerint tres Epiſcopi poſtremò recenſiti conjecturâ non potuerimus aſſequi, ut perſonarum fieret comparatio; primus ſcilicet Heraclius inter Archiepiſcopos Senonenſes cum titulo Sancti recenſetur, & varia ejus pia opera referuntur tom. 1. Galliæ Chriſtianæ.

3. Sed omiſſâ perſonarum inter ſe collatione, rem ipſam expendamus. Primò non agitur in hâc Epiſtolâ de promotione Claudii ad Sacerdotium, niſi ex occaſione: Sic enim poſt Salutationem exorditur S. Remigius; *Pro Claudio fudi ſimplicem precem, quem vos non Presbyterum ſcribitis, ut in me indignationem veſtri pectoris proderetis. Illum non abnego graviter deliquiſſe.* Et infra; *Rogavi ut Claudius Sacrilegii perpetrator*

Art. 2. *trator pœnitentiæ ſervaretur* , & cætera , quæ ſignificant ,
§. 2. non de ordinatione , ſed de crimine ac pœnitentiâ Claudii fuiſſe quæſtionem. Obiter tamen de ejus ordinatione dicit S. Remigius ; *Ego Claudium Presbyterum feci , non corruptus præmio , ſed præcellentiſſimi Regis teſtimonio , qui erat non ſolùm Prædicator Fidei Catholicæ , ſed defenſor :* Ubi vides , ipſum , Epiſcopis fortè querentibus, quòd talem Virum ad Presbyteratum provexiſſet , non reſpondere , Regem ita juſſiſſe , ſed eum Claudii meritum teſtatum fuiſſe. Sequitur quidem ; *Sribitis Canonicum non fuiſſe , quod juſſit. Summo fungamini Sacerdotio : Regionum Præſul , Cuſtos Patriæ , Gentium Triumphator injunxit. Tanto in me prorupiſtis felle , ut nec Epiſcopatus veſtri detuleritis Auctori.* Sed hæc ad pœnitentiam , non ad ordinationem Claudii referri videntur. Continuò enim ſic pergit S. Remigius ; *Rogavi , ut Claudius Sacrilegii , perpetrator pœnitentiæ ſervaretur. Legimus namque , legimus,quòd excidium Cæleſti denuntiatione prædictum evaſerint per pœnitentiam Ninivitæ* , & cætera , quæ probant recipiendos ad pœnitentiam peccatores.

4. Quòd ſiquis omninò contendat , juſſionem Clodovei ad ordinationem Claudii ſpectare ; Quid hinc inferet , niſi Sanctos etiam Viros Potentum teſtimonio , commendatione atque , ſi vis , etiam auctoritate aliquando induci ad imponendas perſonis minùs dignis manus ? Prorſus autem ineptum eſt hinc colligere Jus Regaliæ. Primò, quia non agitur hîc de aliquo bonorum Eccleſiaſticorum uſufructu , nec de aliquâ Beneficii collatione. Nondum enim facta fuerat tunc temporis Beneficiorum diſtinctio ; ac licet veſtigium quoddam & veluti præludium Beneficii in eo ſenſu , quo nunc intelligitur , obſervetur in Concilio Agathenſi paulò antea celebrato , non tamen

men tam citò facta eſt inter Clericos illa bonorum diviſio, ut quiſque partem ſuam ab aliis diſtinctam adminiſtraret; imò nec niſi multis poſt ſæculis in Eccleſiis Cathedralibus, circa quarum tantùm Præbendas Regalia poſteà cœpit exerceri. Secundò, non vacabat ſedes Epiſcopalis, per cujus vacationem dumtaxat locum habet Regalia. Tertiò, argumentum Autoris nimis & ultra ejus intentionem, atque adeò nihil probaret. Sequeretur enim, Reges, Jure Regaliæ, poſſe non ſolùm Beneficia conferre, ſed etiam Epiſcopos cogere ad conferendos Ordines perſonis minùs dignis; imò & contra Canones. Objiciebatur enim S. Remigio, nec ipſe diffitetur, voluntatem Regis fuiſſe contrariam Canonibus: *Scribitis Canonicum non fuiſſe quod juſſit. Summo fungamini Sacerdotio* &c. *Art. 2. §. 2.*

5. Cæterum ſi ſtrictè explicanda eſſent, quæ P. Alexander ex prætenſâ S. Remigii Epiſtolâ exſcripſit, dicendum eſſet Reges Chriſtianiſſimos jus habere, non ſolùm defendendæ, ſed etiam prædicandæ fidei; Imò ſui Regni Epiſcopos eſſe, ſi hæc vox, PRESUL, quam majuſculis litteris notat, de Epiſcopatu propriè intelligatur.

6. Adde quod Clodoveus in illâ Epiſtolâ non dicitur Eccleſiarum, ſed fidei Catholicæ defenſor: qui titulus non Jus aliquod ſpeciale Regi confert, ſed Chriſtianorum Regum officium, quo laudabiliter fungebatur Clodoveus, ſignificat. Unde ſicut abſurdum eſſet, Principibus Beneficia Eccleſiaſtica tribuere, eo nomine quòd fidem ac Dei cultum defendere teneantur, niſi fortè cùm pro fide ac Religione gerendum eſſet bellum, cujus cauſâ non jura ſpiritualia, ſed ſubſidia temporalia illis eſſent conferenda: ita ridiculum eſt, non ſolùm temporales reditus Eccleſiarum, præſertim quandò nullæ faciendæ ſunt expenſæ, ſed etiam Jura Spiritualia, qualis eſt abſoluta

*Art.*2. Beneficiorum collatio, Regibus adſcribere, eo titulo quòd
§. 3. ſi quis Eccleſiarum bona injuſtè invadere conetur, illi, ut Eccleſiis Jus ſuum reddatur, autoritatem ſuam interponere teneantur.

§. TERTIUS.

De tertio Regiæ tuitionis argumento, ſcilicet Convocatione, & Confirmatione Conciliorum.

1. DISSERT. „ Regiæ tuitionis munus Eccleſiis impenſum confirmat Conciliorum convocatio, & „ confirmatio à Chriſtianiſſimis Principibus facta.

2. RESP. Difficulter admodùm intelligitur quomodò Regiæ tuitionis munus confirmet Conciliorum convocatio, à Principibus facta præſertim, ſi ex auctoritate fieri ſupponatur. Videtur enim potiùs Eccleſiaſticæ libertatis imminutio, quàm Eccleſiæ tuitio, cùm ex Rerum in Conciliis tractandarum conditione conſtet, ab Eccleſiæ Præpoſitis, ad quos negotiorum Spiritualium & Eccleſiaſticorum adminiſtratio pertinet, illa eſſe convocanda. Neſcio an probaret P. Alexander, quòd Rex Chriſtianiſſimus tanquam Ordinis Prædicatorum Protector, convocationem Capitulorum ſibi tribueret, ac pro Regiæ protectionis honorario Conventuum reditus & Religioſorum abſolutam inſtitutionem, poſt mortem, aut Ceſſionem Superiorum Provincialium vel Localium, ſibi vendicaret. Non enim credo reſponſurum P. Alexandrum, ſuos Conventus eorumque bona omninò extra Regiam tuitionem ac protectionem exiſtere.

3. Confirmatio Conciliorum paulò minùs à tuitionis ratione abeſſe videtur. Ideò quippe Principes Concilia confirmare,

mare, licet fortè voce rei ſignificandæ minùs aptâ, dicuntur, quia legibus ſuis pœnas adverſus Canonum Temeratores ſanciunt. Sed id commune eſt omnium Chriſtianorum Principum officium, nec niſi ad protectionem illam generalem ſeu auxilium pertinet, quod Eccleſiæ, fidei ac Religioni debent, cujus condigna retributio eſt Regnum Cælorum, non fructus Eccleſiarum vacantium & Beneficiorum collatio. Art. 1. §. 3.

4. DISSERT. „ Cujus rei cùm plurima proferri poſſint „ exempla ex Conciliis ſub primâ & ſecundâ Regum noſtro- „ rum dynaſtiâ celebratis, duo ſufficient: Unum Concilii „ Aurelianenſis primi, Anno 511. alterum Pariſienſis V. Anno „ 614. Et Aurelianenſe quidem in ipſâ ſuorum Decretorum „ Præfatione ſe à Clodoveo congregatum profitetur, & Chri- „ ſtianiſſimum Regem rerum decernendarum capita Patribus „ propoſuiſſe. *Sacerdotes quos ad Concilium venire juſſiſtis*, &c. „ *Secundum voluntatis veſtræ conſultationem & titulos quos de-* „ *diſtis, eâ, quæ nobis viſum eſt, definitione reſpondimus.* Suo- „ rum etiam confirmationem Decretorum Gallicani Patres ab „ ejus Majeſtate rogârunt: *Ita ut* (inquiunt) *ſi ea, quæ nos ſtatui-* „ *mus, etiam veſtro recta eſſe judicio comprobantur, tanti con-* „ *ſenſus Regis ac Domini majori Auctoritate ſervandam tantorum* „ *firmet ſententiam Sacerdotum.*

5. RESP. Si eodem affectu ducerentur moderni Galliæ ſcriptores, quo antiqui Epiſcopi, magis eſſent de promovendâ Religione ac procurando Eccleſiæ bono ſolliciti, quàm de ponderandis ſcrupuloſè antiquorum monumentorum verbis ad amplificandam Regum in Eccleſiam Autoritatem; nec prætermitterent, aut vanis cavillationibus labefactarent, quæ libertati Eccleſiaſticæ favent. Nonnullas difficultates à Concilio ſolvendas, ac definiendas optaverat Clodoveus. Quamobrem

Art. 2. obrem congregatum eſt Concilium Aurelianenſe I. Anno 511.
§. 3. Hinc colligunt nonnulli Scriptores Gallicani Reges jus habere convocandorum Conciliorum præſcribendarumque rerum ab eis tractandarum. Sed licet Patres honorificentiſſimis verbis uſi ſint Regem alloquentes; innuerunt tamen, ſe id Majeſtati Regiæ, non Autoritati, quæ Principibus competat in Res Eccleſiaſticas, dare. Ajunt quidem; *Sacerdotes ad Concilium venire juſſiſtis:* Sed quam illi juſſionem appellabant, Rex ſine dubio pro ſuâ erga Epiſcopos Reverentiâ & erga res ſacras Religione, preces vocâſſet. Ita appellârunt Patres ſecundi Concilii Turonenſis, Clodovei partes in convocando Concilio Aurelianenſi magis propriè exprimentes; *In Synodo Aurelianenſi*, inquiunt, cap. 21. *quam invictiſſimus Rex Clodoveus fieri ſupplicavit.*

6. Conſultos autem à Clodovæo Epiſcopos, non verò ita præſcripta illis puncta tractanda, ut extra illa excurrere non liceret, indicant illa verba Epiſcoporum Congregatorum; *Secundum voluntatis veſtræ Conſultationem, & Titulos, quos dediſtis, eâ, quæ nobis viſum eſt, definitione reſpondimus.*

7. Confirmationem Clodovæi poſtulârunt Epiſcopi. Sed quid hinc inferat P. Alexander ad adſtruendum Jus Regaliæ? An ideò Reges reditibus Eccleſiarum vacantium frui debent & Beneficia conferre, quia Concilia confirmant? Sed quid per illam confirmationem intelligit? Num Canones ab Epiſcopis conſtituti robore coram Deo carent, niſi Principes illis firmitatem adjiciant? Num ad Principes Laïcos tranſmiſſa eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi B. Petro à Chriſto tradita? Poſſunt quidem, imò tenentur Reges, ut jam ſuprà notavimus, poteſtate ſibi à ſupremo Rege conceſſâ uti, ad procurandam ejus gloriam & Eccleſiæ Mandatorum executionem. Sed unde

unde habet Diſſertationis Autor, hujus officii honorarium in Regaliâ eſſe repoſitum? Art.2. §.3.

8. Accedit quod confirmatio pro ſimplici aſſenſu vel conſenſu, qui etiam ab inferioribus præſtari poteſt, nonnunquam à Scriptoribus Eccleſiaſticis ſolet uſurpari. Ita licet ſummus Pontifex Epiſcopis Gallicanis ſuperior ſit, ab illis tamen confirmationem, id eſt conſenſionem, vel etiam obedientiam poſtulavit. S. Martinus Papa hujus nominis primus, illis Acta Concilii Lateranenſis, in quo damnatus fuerat error Monothelitarum, mittens; *Atque Synodali conventione*, inquit Epiſt. ad Amandum Trajectenſem Epiſcopum, *omnium Fratrum, & Coepiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem encyclicæ nobis directæ ſcripta, unà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent,* CONFIRMANTES ATQUE CONSENTIENTES *eis, quæ pro Orthodoxâ fide & deſtructione Hæreticorum Veſaniæ nuper exortæ à nobis ſtatuta ſunt.* Ita licet Epiſcopi Hiſpani & ejus Regni Concilium Nationale Concilio Generali abſque ullâ dubitatione ſubſint, Concilii tamen Toletani decimi quarti Patres, c.2. enunciant, Acta ſextæ Synodi Generalis, tertiæ Conſtantinopolitanæ, à Leone II. ad ſe miſſa fuiſſe, ut ea confirmarent; *Ut*, inquiunt, *prædicta inſtituta Synodalia, quæ miſerat, noſtri etiam vigoris* MANERENT AUCTORITATE SUFFULTA. Et c. 4. *Placuit proinde illo tunc tempore Apologeticæ Defenſionis noſtræ reſponſis ſatisfacientes Romano Pontifici, ea ipſa geſta* FIRMARE, *noſtræque fidei ſenſum puriſſimâ verborum enodatione depromere.*

9. DISSERT. „Concilium verò Pariſienſe V. à Clota„rio II. ſe congregatum pariter teſtatur. *Cùm in Dei nomine ſecun-*

Art. 2. „*ſecundum priſcorum Sanctorum Patrum Conſtitutionem in Ur-*
§. 3. „*be Pariſiis ex evocatione Glorioſi Principis Domini Clotachari*
„*Regis in Synodali Concilio conveniſſemus*, &c. Concilium
„pariter edicto ſuo Rex Chriſtianiſſimus confirmavit : *Qui-*
„*cumque verò* (inquit) *hanc deliberationem, quam cum Pon-*
„*tificibus, vel tam magnis Viris Optimatibus, aut fidelibus no-*
„*ſtris in Synodali Concilio inſtituimus, temerare præſumpſerit,*
„*in ipſum Capitali Sententiâ judicetur.* Uno Patrocinii Jure ac
„tuitionis Eccleſiæ, quam ſimul cum Religione Chriſtianâ
„ſuſceperunt, id præſtitiſſe Reges Chriſtianiſſimos conſtat,
„ut Regiâ auctoritate cum Sacerdotali concurrente, faciliùs
„diſciplina ſanciretur, & Canones executioni mandarentur.
„Ad Eccleſiæ poſſeſſiones & bona temporalia, quæ Reges con-
„tulerant, hujus Cuſtodiæ ac Defenſionis Regiæ pertinuiſſe
„Beneficium, ſeu vivente, ſeu moriente Epiſcopo, & ſede va-
„cante, perperam quis negaret.

10. RESP. Si Eccleſiæ Jura æque ac Regis Dignitatem tueri voluiſſet P. Alexander, non citaſſet tantùm Concilium Aurelianenſe I. ac V. Pariſienſe, ſed obſervâſſet, variam fuiſſe hâc in re Conciliorum praxim. Notâſſet Concilium Arvernenſe Anno 535. habitum, non juſſionis Regiæ, ſed conſenſus verbo uſum fuiſſe : *Cùm in nomine Domini congregante Sancto Spiritu, conſentiente Domino noſtro glorioſiſſimo, piiſſimoque Rege Theodeberto, in Arvernâ Urbe Sancta Synodus conveniſſet.* Non ſiluiſſet Concilium Aurelianenſe III. celebratum Anno 538. & IV. congregatum in eâdem Urbe, Anno 541. Lugdunenſe II. Anno 567. nullam etiam Regii conſenſus mentionem feciſſe : Pariſienſe III. Regis partes *invitationem* appellâſſe : diverſas autem illas voces, rem eandem ſignificare, Regium ſcilicet conſenſum vel etiam invitationem.

Sanè

Sanè dum ſubditi Regem, quamvis de Rebus ad ejus poteſta- *Art.* 2.
tem non pertinentibus alloquuntur, verbis plus æquo ſignifi- §. 3.
cantibus, potiùs quàm minùs honorificis uti ſolent, ideoque illorum verba juxta rei de quâ agitur conditionem ſunt interpretanda. Aliter enim accipiendæ eſſent voces, *Juſſio*, *Præceptum*, *Mandatum*, & ſimiles; vel *Conſenſus*, *Licentia* &c. ſi de cœtibus merè politicis ageretur; aliter ubi de Conciliis Eccleſiaſticis pro explicandâ fide ac ſtatuendâ diſciplinâ eſſet ſermo.

11. *Si ad Eccleſiæ poſſeſſiones & bona temporalia, quæ Reges contulerant, Cuſtodiæ ac Defenſionis Regiæ pertinebat Beneficium, ſeu vivente, ſeu moriente Epiſcopo, & ſede vacante,* cur ſede vacante tantùm uſusfructus bonorum & Collatio Beneficiorum ad Regem pertineret? Num congregandi ſunt exercitus ad defendendas Eccleſias viduatas? Num illarum reditus Sacri eſſe, vel Beneficia inter Res Spirituales numerari, Epiſcopo moriente deſinunt, ut ad Laïcos transferri faciliùs poſſint? Num quandò Canones Bona Eccleſiaſtica vocârunt Bona Dei, Patrimonia Pauperum &c. tempus vacantis ſedis exceperunt, tumque ad Fiſcum permiſerunt devolvi? Num minori lumine opus eſt, vel minori poteſtate ſpirituali ad conſtituendos in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, Miniſtros, dum abeſt præfectus à Spiritu Sancto Oeconomus, ſeu Epiſcopus, quàm dùm Chriſti familiæ invigilat, ac providet?

12. At, inquies, viventi Epiſcopo debentur fructus & Collatio Beneficiorum. Quare debentur Epiſcopo fructus niſi quia munia Epiſcopalia obit? Quare ipſe confert Beneficia, niſi quia, cùm ipſe ſit præpoſitus familiæ, ad ejus officium ſpectat Miniſtros inferiores ad optimum Eccleſiæ, cui præeſt, regimen neceſſarios conſtituere? Num autem defuncto Epiſ-

Art. 2. §. 3. copo ad Regem devolvitur Juriſdictio Epiſcopalis, & Diœceſis adminiſtratio? Num quia vacante ſede Rex fructus Eccleſiæ cuſtodit, ipſi concedenda eſt Collatio Beneficiorum; quia verò confert pleno Jure Beneficia, quod eſt Epiſcoporum officium, omnes Eccleſiæ fructus ſuæ Majeſtati debentur? Nonne Capitulum, quod Juriſdictioni Epiſcopi ſuccedit, & ad quod, juxta Sacros Canones, pertinet etiam bonorum temporalium, Eccleſiæ vacantis adminiſtratio, fructus ac Collationem Beneficiorum potiori Jure ſibi vendicaret?

§. QUARTUS.

De Canonibus ab Illuſtriſſimo Epiſcopo Appamienſi citatis, ad probandum Regaliam non fuiſſe in uſu ſub primâ Regum Francorum Dynaſtiâ.

1. DISSERT. „ Anonymus Regii Juris Oppugnator „ in Tractatu de Regaliâ edito Coloniæ an. 1680. „ cap. 6. pag. 34.

2. RESP. Diſſimulavit P. Alexander, ut jam ſuprà notatum eſt, Tractatum, quem variis in locis perſtringit, editum fuiſſe mandato Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Appamienſis, atque adeò fuiſſe vel proprium vel ſaltem adoptivum ejus partum; quò ei autoritatem detraheret, eumque non ſolidis argumentis impugnans, ſed quaſi reſponſione ferè indignum contemnens refelliſſe videretur. Itaque paulò poſt *Larvatum Autorem* vocat, quaſi liber cuidam Autori falſè fuiſſet adſcriptus, vel Mandatum Reverendiſſimi Epiſ-

Epiſcopi Appamienſis falſò ei præfixum fuiſſet. Tantùm verò *Art.2.* abeſt, ut eum à ſe abdicaverit Illuſtriſſimus Antiſtes, ut *§.4.* etiam tanquam proprium typis excuſum publicè diſtribui fecerit. Sed cujuſcumque ſit Tractatus, videndum eſt, an doctrina in eo contra Regaliæ extenſionem tradita, Patris Alexandri Machinis fuerit everſa vel validè concuſſa.

3. DISSERT. „ Fruſtrà opponit Canonem ſeptimum „ Pariſienſis Concilii V. quo Sancitum eſt, ut defuncti Epiſ„ copi, aut Clerici cujuſcumque res ante cognitum Teſta„ mentum nemo contingat, ſub pœnâ excommunicationis. „ *Defuncto*, inquit, *Epiſcopo*, *Presbytero*, *vel Diacono*, *vel* „ *quoquam junioris Ordinis Clerico*, *non per præceptum*, (Re„ gium ſcilicet) *neque per Judicem*, *nec per qualemcumque* „ *Perſonam Res Eccleſiæ, vel eorum propriæ*, *quouſque aut Teſta*„ *mentum*, *aut qualemcumque Obligationem fecerit*, *cognoſca*„ *tur*, *à nullo penitùs ſupraſcriptæ res contingantur* : *ſed ab* „ *Archidiacono vel Clero in omnibus defenſentur & conſerventur.* „ *Quòd ſi quis immemor definitionis hujus*, *temerè aliquid exindè* „ *auferre præſumpſerit*, *aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus* „ *fuerit*, *& de dominatione Eccleſiæ abſtulerit, ut Necator Pau*„ *perum communione privetur.*

4. RESP. Quid illo Canone validiùs ad probandum, Reges Chriſtianiſſimos tunc temporis non habuiſſe cuſtodiam illam bonorum Eccleſiaſticorum, quæ longè poſt occaſionem præbuit inducendæ in aliquas Eccleſias Regaliæ ? Quandoquidem prohibet ne *Res Eccleſiæ*, *vel Epiſcoporum propriæ contingantur* : *ſed ab Archidiacono*, *vel Clero in omnibus defenſentur*, *& conſerventur*, & expreſſè *Præceptum* (Regium ſcilicet, ut explicat etiam ipſe Diſſertationis Autor) & *Judicem* excludit ; ne quis Regis vel Judicis Autoritate ſe à pœ-

Art. 2. nâ excommunicationis tutum fore conſideret, vel Archidia-
§. 4. conum, aut Clerum nomine Regis Cuſtodiam, & Defenſionem habere ſuſpicaretur. Quâ igitur machinâ hoc teſtimonium impetit Regaliæ Patronus?

5. DISSERT. „ Perperam (inquam) ex iſto Canone „ colligit larvatus Autor, Chriſtianiſſimos Reges bonorum „ Eccleſiaſticorum Cuſtodiam non habuiſſe, nec fructus va- „ cationis tempore provenientes ſuos facere potuiſſe. Nam de „ fructibus vacante Sede colligendis Concilium non ſtatuit, „ ſed de bonis ab Epiſcopo, Presbytero, aut alio Clerico re- „ lictis, qualia erant Suppellex, ſive Sacra ſive Prophana, an- „ nona, greges, ſervi, pecuniæ & quæcumque à Sacratis „ Viris legari poterant. Quæ ne diriperentur, & ſuprema mo- „ rientium voluntas fraudaretur, vel expoliarentur Eccleſiæ, „ à Concilio cautum eſt, ut hujuſmodi bona mobilia con- „ ſervarentur, & defenderentur in omnibus ab Archidiacono, „ vel Clero. Mos enim pravus jam inolere cœperat, ut Ab- „ batibus, Presbyteris Parochialibus, aliiſque Clericis obeun- „ tibus, Epiſcopi ipſi, vel Archidiaconi bona ab ipſis dereli- „ cta prehenderent, ſpecie procurandi Eccleſiæ compendia, „ & utilitatem; cui malo medetur Canon VIII. ſimiliter E- „ piſcopis ab hâc luce migrantibus, bona ab ipſis relicta Clerici „ aut Laïci occupabant; quòd ne fiat, illa Cuſtodiæ ac De- „ fenſioni Archidiaconi, vel Cleri Patres credita eſſe volunt „ Canone ſeptimo, ut ſi quod à Præſule Teſtamentum condi- „ tum ſit, aut qualiſcumque obligatio facta, executioni accu- „ ratè mandetur.

6. RESP. Egregia interpretatio! Quaſi verò agri, prata, & alia bona, quæ Juriſperiti vocant immobilia, Regiâ magis indiguerint Autoritate ac Potentiâ, ut conſervarentur futuro

turo Epiſcopo, quàm Supellex ſive Sacra ſive Prophana; *Art.1.*
annona, greges, ſervi; pecuniæ: quaſi non iſta ſint ini- §. 4.
quorum uſurpationi, ac direptioni magis expoſita, ac minus ſit periculi, ne annona, greges, pecuniæ auferantur, quàm ne domus evertantur, agri labefactentur, vites eruantur.

7. At, inquies, bona mobilia ab Archidiacono vel Clero conſervanda erant tantùm, *quouſque aut Teſtamentum, aut qualemcumque Obligationem feciſſet* (Epiſcopus) *cognoſceretur*: quaſi verò interim tutiùs *ab Archidiacono, vel Clero defenſarentur, & conſervarentur*, quàm *per Præceptum* (Regium ſcilicet) vel *per Judicem*; aut non poſſent ab eiſdem poſt cognitum Teſtamentum perinde atque anteà defenſari & conſervari. Contra quos tuenda erant bona poſt cognitum Teſtamentum? *Epiſcopis*, ut ait P. Alexander, *ab hâc luce migrantibus, bona ab ipſis relicta Clerici aut Laïci occupabant; quòd ne fieret, illa Cuſtodiæ ac Defenſioni Archidiaconi vel Cleri Patres* (Concilii V. Pariſienſis) *credita eſſe volunt Canone VII.* Num poſt cognitum Epiſcopi Teſtamentum periculum erat, ne ejus vel Eccleſiæ bona ab aliis quàm *à Clericis aut Laicis occuparentur?* De toto ergo vacationis tempore intelligendum eſt Concilium Pariſienſe, præcipiens, ut bona Eccleſiarum vacantium *ab Archidiacono vel Clero in omnibus defenſentur.* Verba enim illa, *quouſque aut Teſtamentum, aut qualemcumque Obligationem fecerit, cognoſcatur, non taxativa*, ut loquuntur Juriſconſulti, ſed *demonſtrativa* ſunt; & eam Canonis partem, quam immediatè præcedunt, ſpecialius afficiunt, ſcilicet, *à nullo penitùs ſupradictæ res contingantur*; quia nimirùm antequam lectum eſſet Epiſcopi Teſtamentum metuendum erat, ne ejus Parentes, prætextu bonorum

*Art.*2. §. 4. Patrimonialium, aut Alii ratione crediti, donationis, vel legati bona Eccleſiæ, ſimul cum bonis Epiſcopi propriis raperent, vetuerunt Patres Pariſienſes ne res ab Epiſcopis relictæ ſive propriæ ipſorum, ſive ad Eccleſiam ſpectantes, à quoquam contrectarentur, donec ex Teſtamenti lectione conſtitiſſet quid cujuſque eſſet, quod non tam novi Juris Conſtitutio, quàm veteris interpretatio fuit. Quia enim Sacris Canonibus, ac præcipuè 25. Chalcedonenſi, ſtatutum erat, ut Res Eccleſiæ viduatæ futuro Succeſſori reſervarentur, illiusque Statuti vim eludere aliqui conabantur prætextu Rerum Patrimonialium, vel aliis coloribus, Concilium Pariſienſe juſſit, ut res univerſæ ab Archidiacono, vel Clero, penes quos ſupponit extitiſſe rerum Eccleſiæ viduatæ cuſtodiam, conſervarentur.

8. Nota hîc obiter quantùm diſtaret eo tempore Juriſprudentia Gallorum ab eâ, quæ modò inducitur. Tunc enim *ab Archidiacono vel Clero in omnibus defenſabantur & conſervabantur* non ſolùm *Res Eccleſiæ*, ſed etiam Epiſcoporum propriæ, *ut ſi quod à Præſule Teſtamentum conditum fuiſſet, aut qualiſcunque obligatio facta, executioni accuratè mandaretur*: idque vi Decreti Eccleſiaſtici. Nunc autem omnium & mobilium, & immobilium, Sacrarum & Prophanarum Rerum Cuſtodes ac Defenſores eſſe Regii Officiales, aut Reges ipſi dicuntur.

9. Sed hæc verba Concilii, *aut auſu temerario in res ipſas ingreſſus fuerit*, quæ adduntur poſt iſta, *temerè aliquid exinde auferre præſumpſerit*, clarè indicant penes Reges Chriſtianiſſimos non fuiſſe bonorum immobilium cuſtodiam illam ſpecialem, ob quam eis liceret aliquos fructus ſuos facere. Nam de ſuppellectile, annonâ, gregibus, ſervis, pecuniis aptè dicitur

citur quòd *auferantur* : de bonis autem immobilibus, quales ſunt domus, agri &c. quòd quis *in ipſa ingrediatur*. De mobilibus ergo prohibet Concilium ſub pœnâ Excommunicationis, ne quis *aliquid exinde auferre præſumat* : de immobilibus, ne quis *auſu temerario in res ipſas ingrediatur* ; De utriſque, *ne de dominatione Eccleſiæ auferat*. Art. 2. §. 4.

10. DISSERT. „ Sed de fructibus vel reditibus vacatio„ nis tempore provenientibus nihil ſtatuit Synodus, quod Re„ gali Cuſtodiæ repugnet, aut Juri percipiendi fructus Regi„ bus Chriſtianiſſimis ratione hujuſmodi cuſtodiæ vel defen„ ſionis competenti per modum Honorarii cujuſdam, aut Be„ neficiorum Collationi, quam ſede vacante fortè faciebant, „ aut facere poterant. Quis enim id factitantes Principes *Neca*„ *tores Pauperum* juſtè dixiſſet, & Communione privandos, „ cùm nihil Eccleſiæ dominationi auferrent ?

11. RESP. Si, ut mox diximus, non Reges Chriſtianiſſimi, ſed Archidiaconi, aut alii Clerici erant defenſores & conſervatores bonorum mobilium & immobilium, quo *Jure percepiſſent* fructus Reges Chriſtianiſſimi ratione hujuſmodi cuſtodiæ vel defenſionis. An *Honorarium* eis *competebat ratione cuſtodiæ vel defenſionis* ab aliis præſtitæ ? Quo Jure contuliſſent Beneficia, ſi jam in Galliâ inſtituta fuiſſent, eo ſenſu quo nunc intelliguntur ?

12. Sed cùm P. Alexander hujus Canonis, & aliorum infrà referendorum Auctoritate convictus fateri cogatur, bona, ſaltem mobilia fuiſſe ab Archidiaconis, & Clero defenſa & conſervata, cujus erant fructus ſeu reditus à gregibus & ſervis provenientes ? An Regis ? Quo titulo ? Proveniebant enim ex rebus, quarum non erat cuſtos. Ad Archidiaconum ? Habebat ergo Jus Regaliæ, ſiquidem ratione cuſtodiæ faciebat fructus.

Art.2. fructus ſuos? Ad Eccleſiam, vel futurum Epiſcopum? Uſus-
§. 4. fructus ergo non eſt cuſtodiæ honorarium.

13. Meritò à Diſſertatore in Beneficiorum collatione factum à Jure diſtinguitur, & de facto dubitatur, utrum fuerint à Principibus collata: *quam*, inquit, (Beneficiorum Collationem) *ſede vacante fortè faciebant* (Reges Chriſtianiſſimi) *aut facere poterant*; Sed meliùs utrumque fuiſſet prætermiſſum. Adeò enim aliena eſt à tempore Concilii Pariſienſis V. Anno 614. celebrati, Beneficiorum Collatio à Principibus pleno Jure Titulo Cuſtodiæ Eccleſiarum vacantium facta, ut abſurdum ſit notare, eam ab illo Concilio relictam fuiſſe intactam. Nam præterquàm quòd, ut ſuprà diximus, nondum Beneficia plenè ac perfectè fuerant in Galliâ inſtituta, ceu monſtrum habita fuiſſet hujuſmodi collatio à perſonâ laïcâ facta. Itaque *id factitantes Principes Necatores Pauperum dicti non ſunt*, quia reverâ non factitarunt. Hæc nuncupatio illis congruiſſet, ſi uſum-fructum bonorum Eccleſiarum vacantium ſibi vendicaſſent, cùm non minus poſt Epiſcopi mortem, quàm per ejus vitam ſit Patrimonium pauperum, nec à Laïcis uſurpari poſſit, propriâ ſaltem autoritate, ac ſine conſenſu Eccleſiæ, cum periculo, ne pauperes fame vel miſeriâ pereant. Quin etiam ſi Clerici bona temporalia à Beneficiis ſuis dependentia perire, vel deteriora fieri ſinerent, Necatores Pauperum poſſent appellari juxta Canonem ſextum Arelatenſis Concilii V. *Ut Clericis non liceat facultates, quas ab Epiſcopo in uſu accipiunt, deteriorare. Quòd ſi fecerint, ſi junior fuerit, diſciplinâ corrigatur: ſi verò ſenior, ut Necator Pauperum habeatur.*

14. Non recordatus eſt hîc P. Alexander ſui illius Axiomatis Juris art. 1. §. 1. propoſiti; *Collatio Beneficiorum computatur*

tur in fructu, cùm ait, quòd Reges Beneficiorum Collatio- Art.2.
nem uſurpantes *nihil Eccleſiæ dominationi auferrent*; ſiquidem §.4.
his ultimis verbis intelligit juxta ſenſum Canonis Concilii Pariſienſis ſuprà relati, ex quo deſumpta ſunt, Eccleſiam nullâ re utili privandam, ablatâ ſibi Beneficiorum Collatione. Contrarium docet celebris Gloſſa in cap. *Cùm olim*, ſecundum interpretationem Regaliſtarum, quæ fuit fundamentum & origo illius Axiomatis toties ab Autore recantati. Ait enim; *Collatio Beneficiorum inter bona Epiſcopalia, & fructus computatur, & magnum fieret præjudicium Epiſcopo Succeſſori per talem Collationem; & ideò non poteſt Capitulum conferre nec diſtrahere tales fructus, ſicut nec alios.* Si autem ideò Reges Beneficia conferentes nihil Eccleſiæ dominationi ablaturi dicuntur, quia uterentur Jure ſuo, inanis eſt petitio principii, id tanquam certum ſupponens, quod tanquam falſiſſimum negatur, & onus probandi contrarium Autori incumbit.

15. At ſaltem, inquies, hujuſmodi fructus ad dominationem Eccleſiæ pertinere impropriè dicuntur, & eorum ſubtractio nequaquam pauperibus necem inferret. Dominatio Eccleſiæ, ut jam innuimus, non ſumitur in eo Canone in ſtricto illo Juriſconſultorum, Dominium definientium, ſenſu; ſed prout ſignificat quodlibet Jus, utilitatem, aut commodum, quo dum ſpoliatur, ei fit injuria. Quòd ſi Collatio Beneficiorum, juxta Gallorum axioma, ita eſſet in fructu, ut, nullâ ejus factâ ſpeciali mentione, ſub eodem nomine comprehenſa intelligeretur, eſſet veluti fructuum propriè dictorum acceſſoria; atque adeò nihil mirum eſſet, ſi non ejus, ſed fructuum propriè dictorum habitâ ratione, Necatores Pauperum dicti fuiſſent, qui utrumque uſurpaſſent, ſcilicet uſum-fructum bonorum & collationem Beneficiorum.

Art. 2. §. 4. 16. DISSERT. „ Sanè Gallicanos Patres, qui tantâ cum „ Rege Oeconomiâ agebant, quanta hoc in Concilio elucet, id „ facturos nemo ſapientum ſibi perſuaſerit. Præterea, Præ„ cepta dari à Regibus ſolita, ſive de reditibus vacante ſede „ provenientibus, donec Epiſcopus eorum aſſenſu & mandato „ conſecratus eſſet, ſive de Beneficiorum collatione, non „ abſurdè conjecero tam ex illo Canone, qui ſupponit Reges „ Præcepto ſive ſacrâ Juſſione recepiſſe ad ſe poſſeſſiones Eccle„ ſiæ vacantis pro ſuo Jure cuſtodiendas: quod Concilium „ abſolutè non prohibet, ſed tantùm, ne id fiat ante reſera„ tionem Teſtamenti, &c.

17. RESP. Non abſurdè quidem conjicit Diſſertationis Autor ex Canone Concilii Pariſienſis, *Præcepta dari à Regibus ſolita, de reditibus vacante ſede provenientibus, donec Epiſcopus eorum aſſenſu & mandato conſecratus eſſet.* At certò & non conjecturâ tantùm ex eodem Canone colligitur, illa Præcepta fuiſſe injuſta. Si enim *Gallicanos Patres, qui tantâ cum Rege Oeconomiâ agebant, quanta hoc in Concilio elucet, nemo ſapientum ſibi perſuaſerit*, Jura Regia violare voluiſſe: & tamen ſub pœnâ excommunicationis vetuerunt, *ne per Præceptum* (Regium ſcilicet) *res Eccleſiæ vel* Epiſcoporum *propria quouſque Teſtamentum cognitum fuiſſet*, à quoquam *penitùs contingerentur*: nonne concludendum neceſſariò eſt, Regem hujuſmodi Præcepta concedendi facultatem non habuiſſe? Alioquin enim non magnâ Oeconomiâ, ſed gravi injuriâ cum Rege Patres egiſſent.

18. Hujus rationis vim infringere ſibi videtur Diſſertationis Autor his verbis; *ſupponit* (Canon ſupradictus) *Reges Præcepto ſive ſacrâ Juſſione recepiſſe ad ſe poſſeſſiones Eccleſiæ vacantis pro ſuo Jure cuſtodiendas: quod Concilium abſolutè non prohibet,*

ſed

ſed tantùm, ne id fiat ante reſerationem Teſtamenti. At primò *Art.2.*
Reſponſione illâ viam ſibi occludit, ne, niſi ſibi contradicens §. 4.
ſuſtinere inferius poſſit, ſolum Regem, ejuſque Officiales competentes eſſe Juris Regaliæ Judices, quandoquidem ſupponit, *Concilium prohibuiſſe, ne ante reſerationem Teſtamenti* (Epiſcopi defuncti) *Reges Præcepto ſive ſacrâ Juſſione reciperent ad ſe poſſeſſiones Eccleſiæ vacantis pro ſuo Jure Cuſtodiæ.* Si Jus Regaliæ, Jus Regium Regiæque Coronæ coævum & inſitum fuiſſet, ad Regium Tribunal unicè ſpectans; quomodo Gallicani Patres, *qui tantâ cum Rege Oeconomiâ agebant*, illius juri limites præfigere aut potuiſſent, aut tentâſſent? Et ſiquidem ea illis fuiſſet facultas pro tempore Teſtamenti reſerationem antecedente, cur non etiam pro reliquo tempore? An quia bona Epiſcopi propria, erant cum Eccleſiæ bonis adhuc confuſa? Quaſi verò Rex haberet jus cuſtodiendi bona Eccleſiæ, non autem bona omninò profana: aut tantæ dignitatis eſſent bona profana, ut, ſi cum Eccleſiaſticis miſta eſſent, Rex neutra contingere poſſet, licet Jure Coronæ ipſi Eccleſiaſticorum Cuſtodia competeret.

19. Præterea, ſi bona Eccleſiæ Regiâ Cuſtodiâ indigebant, tunc certè major erat ea neceſſitas, quando majus erat periculum, ne diriperentur, ſcilicet ſtatim poſt Epiſcopi mortem. Nam, ut ſuprà dixit Autor, *Epiſcopis ab hâc luce migrantibus, bona ab ipſis relicta Clerici aut Laïci occupabant: quod tamen, ne fiat, illa cuſtodiæ ac defenſioni Archidiaconi vel Cleri Patres credita eſſe volunt, Can.7.* non autem Cuſtodiæ Regis. Quidnam in Regiæ Coronæ ratione ac conditione diſtingui poteſt, quod ſuadeat, Regem poſſe ſibi bonorum Eccleſiæ cuſtodiam vindicare, dum à profanis ſunt diſtincta, quo tempore Sacrilegi magis verentur ea uſurpare; non poſſe autem, cùm

 præ-

Art. 2. §. 4. prætextu bonorum profanorum, quibuſcum miſta ſunt, facilius tum ab Epiſcopi defuncti conſanguineis, tum ab aliis diripi queunt? Cur Archidiaconus vel Clerus ſufficiet cuſtodiendis & Eccleſiaſticis & Epiſcopi propriis bonis, dum in majori verſantur periculo; Non ſufficiet autem, ſed adhibenda erit Regia poteſtas, ut defendantur, cùm illorum rapina minus eſt metuenda? Expendamus alias Autoris conjecturas.

20. DISSERT. „Tum ex exceptione quam Clotarius „Edicto ſuo inſeruit: *Præceptiones noſtræ per omnia impleantur* &c. Quæ deſunt. Metuens ſcilicet ne verba illa Canonis laudati; *Non per præceptum* &c. adverſus Jura Regia „traherentur Auctoritati ſuæ Succeſſorumque Regum his verbis conſultum eſſe voluit, addiditque: *Quidquid Parentes noſtri, anteriores Principes, & Nos per juſtitiam viſi ſumus conceſſiſſe, & confirmaſſe, in omnibus debeat confirmari.* „Clotarii verò Edictum Synodus incerti loci paulò poſt celebrata, can. 1. & Remenſis an. 625. can. 3. comprobarunt; „& poſtremâ communione privari ſtatuit eos, qui Edictum illud violaverint vel contempſerint.

21. Hæc legens credideris, præceptiones, quas Clotarius per omnia impleri vult in Edicto, quod Concilium Pariſienſe quintum confirmavit, idem eſſe atque præcepta, quorum prætextu bona Eccleſiæ vel Epiſcoporum defunctorum contingi vetuerat Concilium, quaſi Rex ille intellexiſſet, exequendas eſſe præceptiones ſuas circa diſpoſitionem fructuum Eccleſiarum vacantium. Sed & præceptum & præceptio nihil aliud ſignificant, quàm Diploma Regium, ſeu Chartam Regiam, & in favorem Eccleſiæ, niſi aliquid addatur, quo in aliam ſignificationem deriventur, plerùmque accipiuntur à Scriptoribus Eccleſiaſticis, ut videre eſt in Gloſſario Caroli du

du Freſne. Quo igitur fundamento nititur Autoris conjectura, ut Clotarii præceptiones interpretetur de Diplomatibus bona Eccleſiarum vacantium aliis quàm futuris Succeſſoribus, aut Eccleſiis ipſis, adjudicantibus, cùm nihil præcedat aut ſequatur, quod illam huic verbo ſententiam ineſſe inſinuet; ac verba ſequentia è contrà innuant, vocem illam, Diplomata in favorem Eccleſiæ data denotare; *Quidquid Parentes noſtri, anteriores Principes vel nos per juſtitiam viſi ſumus conceſſiſſe & confirmaſſe, in omnibus debeat confirmari.* Voces enim illæ; *Parentes noſtri anteriores Principes*, indicant agi de donationibus perpetuis bonorum, non autem de uſufructu ad tempus dato. Quâ enim ratione Clotarius Anno Regni ſui 31. quo datum eſt iſtud Edictum, dona fructuum Eccleſiarum vacantium à Parentibus ſuis anterioribus Principibus facta confirmâſſet? An tamdiù vacaverant Eccleſiæ? An non ſolùm fructus, ſed & bona ipſa Eccleſiæ juſtè poterant dare Principes? An verendum erat, ne tam diuturna poſſeſſio turbaretur? Si quid *per juſtitiam* conceſſerant parentes Clotarii, an contra juſtitiam ab Eccleſiâ revocatum fuiſſet? Præſtat ergo *præceptiones & conceſſiones per juſtitiam* in Eccleſiæ favorem factas intelligere. Art. 1. §. 4.

22. Idem inferre licet ex confirmatione Edicti Clotariani factâ *à Synodo incerti loci paulò poſt celebratâ, Can.* 1. *& Remenſi Anno* 725. *Can.* 3. quas citat Pater Alexander, quaſi confirmantes Edictum Regium, prout ipſe illud interpretatur. Eſt enim Synodi incerti loci Canon primus, qui ſequitur; *Ut conſtitutiones illæ, quæ Pariſiis ſunt decretæ, hoc eſt tam à Dominis Sacerdotibus, quàm à Domino Clothacario Rege, juxta priſcas Patrum Conſtitutiones in omnibus conſerventur: quia in nullo fidei Catholicæ, vel Eccleſiaſticæ Regulæ contrariæ ſunt in-*

Art.2.ventæ. Num præceptiones de dandis Autoritate Regiâ bonis
§. 4. Eccleſiæ, vel etiam eorum uſu-fructu, fuiſſent *juxta priſcas Patrum Conſtitutiones?* An non potiùs *Eccleſiaſticæ Regulæ contrariæ fuiſſent inventæ?*

23. Concilium Remenſe, ut Diſſertator obſervat, poſtremâ communione privari *ſtatuit eos, qui Edictum illud violaverint, vel contempſerint:* Sed an ejus mens fuerit, illos excommunicare, qui *præceptiones* Regum bona Eccleſiaſtica dantium violarent, judicet Lector, expenſis Concilii verbis: *Judices, qui ſuper Auctoritate, & Edicto Dominico, Canonum ſtatuta contemnunt, vel Edictum illud Dominicum, quod Pariſiis factum eſt, violaverint, aut contempſerint, placuit eos communione privari.* Tantùm ſcilicet cordi erat Epiſcopis, ut donationes Regiæ de bonis Eccleſiaſticis à *Judicibus* non violarentur, aut contemnerentur, ut ſolliciti eſſent, eas iteratis Canonibus confirmare, adjectâ etiam excommunicationis pœnâ. Sed cur à Concilio non à Rege indicta fuiſſet pœna contra *Judices Edictum Dominicum contemnentes?* An quia in hoc etiam *Canonum Statuta contempſiſſent?* Ecquinam Canones Edictum illud in eo capite, ſcilicet diſtractionis bonorum Eccleſiaſticorum à Rege factæ, confirmaverant? Et, ſi Canones illud non confirmâſſent, an adeò imbellis erat Principum Autoritas, ut contemnentes ſe Judices, id eſt proprios Miniſtros ſeu Officiales cohibere non poſſent, niſi implorato armorum ſpiritualium ſubſidio?

24. DISSERT. „ Eodem explicandi ſenſu Canon ſextus „ Concilii Aurelianenſis II. Anno 536. & Concilii Regenſis „ in Provinciâ Anno 639. Canon etiam ſextus, ab eodem „ Anonymo Regii Juris Oppugnatore prolati, quibus ſancitum eſt, ut defuncto Epiſcopo, vicinus Antiſtes ad ejus „ exe-

„ exequias celebrandas accedat, bona ab ipſo relicta inſpiciat, *Art.2.*
„ deſcribat, recenſeat, *Domumque Eccleſiæ deſcriptam, ido-* §. 4.
„ *neis perſonis cuſtodiendam ſub integrâ diligentiâ derelinquat.*
„ Hæc enim deſcriptio neceſſaria prorſus erat, ne bonis Patri-
„ monialibus Epiſcopi, ſi quæ habuerat, cum bonis Eccleſiæ
„ permixtis, Res Eccleſiæ ab hæredibus ipſius, aut iis qui-
„ bus propria bona obligaſſet, pariter occuparentur, aut vi,
„ aut Sententiâ Judicis, aut à Regiis Miniſtris Regaliorum re-
„ ceptoribus. Ideò Pariſienſe Concilium hæc duo appoſitè
„ diſtinxit, per *Præceptum*, & per *Judicem*: quia Sententiâ
„ Judicis prehendi poterant propria Epiſcopi defuncti bona in
„ favorem hæredum, aut creditorum: ſed ſolo *Præcepto*,
„ id eſt Regiâ Juſſione & Auctoritate. (Id namque ſignificare
„ *Præcepti* nomen per ſe ſumptum Formulæ Marculphi pro-
„ bant, ubi *Præceptum de Epiſcopatu*, *Præceptum de Clericatu*
„ legimus inter Diplomatum formulas Regiorum.) Solo
„ (inquam) *Præcepto* poſſeſſiones Eccleſiæ vacantis prehen-
„ di poterant, ac detineri, quouſque novus Epiſcopus inau-
„ guratus eſſet de conſenſu Regis, eaſque ab ejus Majeſtate
„ recepiſſet.

25. RESP. Sufficerent, quæ circa Concilium Pariſienſe dicta ſunt num. 4,6. & ſeqq. ad confutandam fictitiam Autoris interpretationem, etiamſi Canones Conciliorum Regenſis, & Aurelianenſis II. apertiùs illi interpretationi non repugnarent. At illorum verba adeò evidenter prætenſam Cuſtodiam Regiam bonorum Eccleſiæ excludunt, ut mirum ſit, P. Alexandrum illa obſcurare tentâſſe. *Ut Epiſcopus*, (inquit Concilium Aurelianenſe,) *qui ad ſepeliendum Epiſcopum venerit, evocatis Presbyteris in unum, domum Eccleſiæ adeat, deſcriptamque idoneis perſonis cuſtodiendam ſub integrâ diligentiâ dere-*

Art.2. *derelinquat.* Num ſi Rex bonorum Eccleſiæ vacantis Cuſtos
§. 4. fuiſſet, Epiſcopus, qui ad ſepeliendum Epiſcopum veniſſet, vi hujus Canonis Domum Eccleſiæ adire permiſſus eſſet ad illam deſcribendam, ſeu, ut loquuntur Pragmatici, ad conficiendum Inventarium? Num confecto Inventario bona ſeu deſcriptam domum ipſe idoneis perſonis cuſtodiendam dereliquiſſet? An non ad Regiorum Officialium Juriſdictionem ſpectâſſet Cura Inventarii conficiendi, & conſtituendi Sequeſtri ſeu Depoſitarii.

26. At fortè Concilium Aurelianenſe id pro tempore, Teſtamenti reſerationem præcedente, ſtatuit, quemadmodùm de Pariſienſi ſuprà objiciebatur. Hanc cavillationem diſpellit ipſa Canonis forma, quem ad exemplum Canonis Concilii Regenſis factum eſſe, qui utrumque legit & invicem confert, ſtatim animadvertit. Canon autem Regenſis hos limites adeò manifeſtè excludit, ut cœcus ſit, qui attendens id non videat. Non enim uſque ad Teſtamentum defuncti Epiſcopi reſeratum, ſed uſque ad Succeſſoris Ordinationem Cuſtodiam à vicino Epiſcopo præſcriptam locum habere præcipit. *Stabili*, inquiunt, *definitione conſultum eſt, ut de cætero obſervaretur, ne quis ad eam Eccleſiam, quæ Epiſcopum perdidiſſet, niſi vicinæ Eccleſiæ Epiſcopus exequiarum tempore accederet, qui Viſitatoris vice tamen ſtatim Eccleſiæ ipſius Curam diſtrictiſſimè gereret;* NE QUID ANTE ORDINATIONEM *diſcordantium in novitatibus Clericorum ſubverſioni liceret. Itaque cùm tale aliquid accidit, vicinis vicinarum Eccleſiarum inſpectio, recenſio deſcriptioque mandatur.*

27. Porrò ſi, ut ait P. Alexander, *hæc deſcriptio neceſſaria prorſus erat, ne bonis patrimonialibus Epiſcopi, cum bonis Eccleſiæ permixtis, res Eccleſiæ ab hæredibus ipſius, aut iis qui-*

bus

bus propria bona obligâſſet, pariter occuparentur, aut vi, aut ſententiâ Judicis: Nonne tunc temporis, ut ſuprà innuimus, ad illorum Cuſtodiam magis erat neceſſaria Regia Autoritas? Cur ergò non à Rege, ſed à Concilio illorum ſecuritati conſulitur? Quâ ratione hæc Cura non Miniſtris Regiis committitur, ſed Epiſcopis vicinis? Cur ſaltem cum Sacerdotibus non concurrunt Officiales Regii, ut iſti bona Epiſcopi propria hæredibus, donatariis, aut creditoribus aſſerant, illi bonorum Eccleſiæ ſecuritati provideant. *Art. 2. §. 4.*

28. Graviter nihilominus pronuntiat P. Alexander, quòd *Sententiâ Judicis prehendi poterant propria Epiſcopi defuncti bona in favorem hæredum, aut creditorum: Præcepto, id eſt Regiâ Juſſione, & Auctoritate poſſeſſiones Eccleſiæ vacantis prehendi poterant & detineri.* Hæc & ſimilia tam conſtanter affirmat, ut crederes, ipſum res omnibus notas, aut à ſe invictiſſimè demonſtratas, enunciare; cùm & falſiſſimæ ſint, & neque probabilibus rationibus probatæ, ſed fucatis quibuſdam & fallacibus argumentis, ut ex illorum examine conſtat, interdùm obductæ. Quin etiam aliquandò rationes quas comminiſcitur tales ſunt, ut neque fucum facere, neque ſapientem quemquam fallere queant. Quis enim non animadvertat, verbi gratiâ, quàm abſurda ſit iſta ejus ratiocinatio: *Ideò Pariſienſe Concilium hæc duo appoſitè diſtinxit, per Præceptum, & per Judicem: quia Sententiâ Judicis prehendi potuiſſent propria Epiſcopi defuncti bona; & Præcepto, id eſt Regiâ Juſſione & Auctoritate poſſeſſiones Eccleſiæ vacantis.* Si tam ſubitò è Lectoris memoriâ excidiſſet Canon Concilii Pariſienſis in hoc ipſo §. relati, ſperare potuiſſet Diſſertator, ſe ignaris perſuaſurum, *ideò Pariſienſe Concilium hæc duo diſtinxiſſe, per Præceptum, & per Judicem: quia Sententiâ Judicis prehendi*

Art. 2. §. 4. *hendi poterant Epiſcopi bona, Præcepto poſſeſſiones Eccleſiæ.* At verò Concilium hæc duo diſtinxiſſe, ut utrumque excluderet, adeòque injuſtum eſſe ſignificaret, verba ipſa dubitare non ſinunt: *Non per Præceptum*, inquit, *neque per Judicem, neque per qualemcumque perſonam, Res Eccleſiæ vel eorum propriæ, quouſque aut Teſtamentum, aut qualemcumque obligationem fecerit, cognoſcatur, à nullo penitùs ſupraſcripta res contingantur.*

29. Neque illud Sophiſma excuſes, ex eo, quòd Autor anteà ex limitatione prohibitionis ad tempus reſerati Teſtamenti arguit, ſecùs ſe rem habere poſt reſeratum Teſtamentum. Nam præterquàm, quòd jam detecta eſt illius conjecturæ falſitas, nihil etiam, ſi vera eſſet, ad Sophiſmatis defenſionem faceret, cùm Diſſertator hujuſmodi limites hîc tranſiliat, & utrumque tempus complectatur. Nam poſt Teſtamenti cognitionem Sententiâ Judicis non prehendebantur propria Epiſcopi defuncti bona in favorem hæredum, ſed ipſis hæredibus tradebantur. Adde quòd inferiùs §.16. n.6. & ſeqq. ex Concilio Troſleiano ac Valentino Decretum Concilii Regenſis etiam de fructibus tempore vacationis provenientibus, accipiendum eſſe oſtendemus.

30. DISSERT. „Quis autem, amabò, ex facto Injurioſi Turonenſis Epiſcopi, qui Clotario jubenti ut omnes „Regni ſui Eccleſiæ tertiam partem redituum Fiſco ſolverent, „Apoſtolicâ Libertate reſtitit: ex facto S. Germani Pariſienſis Epiſcopi, qui Sigebertum Regem ob quædam Eccleſiæ „bona, in modicâ licet quantitate, occupata excommunicavit: ex infauſtâ morte Chilperici Regis, qui bona Eccleſiæ diripiebat: ex Clodovei II. exemplo qui aliquibus Sandionyſianæ Baſilicæ bonis direptis in amentiam incidit: quis „(in-

„ (inquam) ex hujuſmodi factis & exemplis colligat, Regaliam ſub primâ Regum noſtrorum Dynaſtiâ in uſu non fuiſſe? „ Sic tamen ratiocinatur Autor Anonymus. *Art.2. §. 4.*

31. RESP. Melius ratiocinari Illuſtriſſimum Epiſcopum Appamienſem, cùm ex factis narratis colligit, Regaliam ſub primâ Regum Francorum Dynaſtiâ in uſu non fuiſſe, quàm Autorem Diſſertationis, dum contrarium ex aliis factis concludit, judicabit, qui utriuſque rationes conferet, & utræ propiùs ad rem pertineant expendet. Innuit prædictus Præſul, aut qui ejus mandato Tractatum de Regaliâ ſcripſit, in fine capitis quinti libri primi, ſe Hiſtoriam Franciæ ab illius Monarchiæ inſtitutione luſtrâſſe, ut Regaliæ originem, ac progreſſum obſervaret, & in eâ notâſſe, quæ fuerit mens & diſciplina Eccleſiæ circa redituum & Beneficiorum in Eccleſiis vacantibus diſpenſationem, quâque ratione ſe Reges Chriſtianiſſimi habuerint circa illam diſpenſationem. Capite autem ſexto illam Eccleſiæ diſciplinam, & Regum Chriſtianiſſimorum agendi rationem ſub primâ Dynaſtiâ examinat, animadvertitque, initio Monarchiæ nondum inſtituta fuiſſe Beneficia; atque adeò vacantibus Sedibus non potuiſſe à Rege conferri: quantùm autem ad fructus, uſurpatos quidem aliquando fuiſſe à Principibus reditus bonorum Eccleſiaſticorum, vel bona ipſa Eccleſiarum; ſed injuſtam fuiſſe illam uſurpationem, & aliquando cæleſti ultione vindicatam: nullibi verò extare veſtigium aliquod reſervationis fructuum bonorum ſede vacante, à Principibus factæ circa bona, quæ Eccleſiis elargiebantur: nec fieri diſtinctionem inter Eccleſias vacantes & non vacantes; quâ occaſione allegantur Teſtamentum S. Remigii, Concilia Aurelianenſia I. & II. Concilium Regenſe, & Concilium Pariſienſe V. & proferuntur exem-

Art. 2. §. 4. exempla Clotarii, Sigeberti, Chilperici, & Clodovei II. Neceſſaria quidem non erant ejuſmodi exempla; (non enim negantis, ſed affirmantis eſt probare) non erant tamen inutilia, ut paulò poſt videbimus.

31. Reſpondet Diſſertator, exempla adducta non pertinere ad Regaliam. Id quidem veriſſimum eſt; nec poterant afferri quæ ad hujuſmodi Juris Regii ſpeciem ſpectarent, quia tunc erat inauditum & ab Eccleſiaſticâ Diſciplinâ remotiſſimum. Sed cùm exempla circa Regaliæ ſpeciem inveniri non poſſent, adducta ſunt quæ ad genus attinebant; ſcilicet perceptionem bonorum Eccleſiaſticorum à Principibus. Patris Alexandri erat pro ſuâ Hiſtoriæ & Canonum peritiâ, ſi qua fuerant circa Regaliæ ſpeciem ab Illuſtriſſimo Appamienſi vel ignorata vel ſuppreſſa, proferre. Nec enim illi, utpote temporibus illis tredecim fermè ſæculis juniori, dum id ſine teſte affirmat, credendum eſt.

32. DISSERT. „ Sed quamvis Reges noſtros primæ Stirpis Jus Regaliæ non exercuiſſe daremus, prout illud Reges „ tertiæ Dynaſtiæ ante & poſt Lugdunenſis Concilii tempora „ exercuerunt, non ſequeretur, quòd Jus idem non habuerint; „ cùm illius titulum ac fundamentum Juris, ſcilicet Cuſtodiam „ ac Defenſionem Eccleſiarum, Merovingianis Regibus fir„ miſſima vindicent documenta.

33. RESP. Senſit Diſſertator, ſe cordato cuiquam non ſuaſurum, Reges primæ Stirpis Jus Regaliæ exercuiſſe. Unde omiſſo facto, ad Jus confugit. Sed efficax certè præjudicium eſt, quòd Juris tam præſtantis, &, ſi Autori crederemus, tam intimè Dignitati Regiæ inhærentis, nullum tamdiù fuerit exercitium. At, inquit, *illius titulum ac fundamentum Juris, ſcilicet Cuſtodiam ac Defenſionem Eccleſiarum Merovingianis*

nis Regibus firmiſſima vindicant documenta. Hoc ipſum Sententiam P. Alexandri validiùs impugnat. Si enim Cuſtodia ac Defenſio Eccleſiarum Merovingianis Regibus competebat; & tamen ipſi Jus Regaliæ non exercuerunt, validum certè argumentum eſt, Cuſtodiam illam ac Defenſionem Eccleſiarum non eſſe Legitimum Regaliæ titulum, neque ſolidum illius extendendæ ad omnes Eccleſias contra prohibitionem Concilii Generalis Lugdunenſis fundamentum. Sequitur ad minus neceſſariâ conſecutione, Reges primæ Dynaſtiæ Conſiliarios habuiſſe meliùs erga Eccleſiam affectos, quàm qui Regi hodie regnanti ſuaſerunt, aut etiamnum Autores ſunt, ut ſervitutem majori Eccleſiarum Regni ſui parti imponat, à quâ primi illi Monarchæ penitùs in toto Regno abſtinuerunt. Verùm haud facilè in animum induxerim meum, Principes illos ita Coronæ ſuæ Regiæ Jurium negligentes fuiſſe, ac Succeſſorum ſuorum, ut cum proprio damno, Regaliam tam ſibi honorificam, & commodam exercere non curarent. Art. 2 §. 4.

35. Ab hâc opinione me removerent exempla Regum quorum meminit Tractatus Illuſtriſſimi Epiſcopi Appamienſis, & ob eam ſaltem rationem non inutiliter prolata fuiſſe arbitror. Quis enim judicet, Reges bona Eccleſiæ iniquè rapientes, abſtenturos à percipiendis legitimè fructibus Eccleſiarum vacantium, ſi Juris illius vel minimum putâſſent ſe habere fundamentum? Quò firmiora igitur ſunt *documenta*, quæ *Cuſtodiam ac Defenſionem Eccleſiarum Merovingianis Regibus vindicant*, eò fortiùs convincunt, illam non eſſe legitimum *titulum ac fundamentum Juris Regaliæ.* Quomodò enim conſervata eſſent per tot ſæcula, documenta Jus Cuſtodiæ teſtantia, deleta verò fuiſſent veſtigia omnia Juris addicendorum Fiſco fructuum Eccleſiarum vacantium, prætextu ejuſdem Cuſtodiæ?

 §. QUIN-

Art. 2. §. 5.

§. QUINTUS.

De Teſtimonio Marculphi.

1. DISSERT. „Quibus addendæ Formulæ Marculphi, Regiæ tuitionis Eccleſiarum teſtes, ſcilicet tertia quæ inſcribitur : *Emunitas Regia* : quâ „Rex Eccleſiæ villas à ſuorum Officialium Juſtitiâ, aliiſque oneribus liberat.

2. RESP. Notat Stephanus Baluzius in Notis ad Marculphum verb. *Marculphus*, quòd variæ ſunt *eruditorum Hominum Sententiæ de ætate Marculphi. Quidam enim vixiſſe putant ſub finem primæ Stirpis Regum Francorum, alii Carolo Magno regnante.* Videri poteſt ea opinionum varietas in Scriptoribus ab eodem Baluzio citatis, & in aliis, ut Hieronymo Bigonio in notis ad Marculphum præfat. & in verb. *Reverent. P. Landrico*; In Galliâ Chriſtianâ ſub Epiſcopis Pariſienſibus num. 28. Illud certum eſt, Marculphum circa id tempus ſcripſiſſe Formulas, quo Majores Domûs vice Regiâ omnia Regni negotia pertractabant, ſeu ſub Legitimorum Regum nomine verè ipſi regnabant, quandoquidem pluriès Majorum Domûs facit mentionem : quo tempore magnam extitiſſe rerum Eccleſiaſticarum confuſionem ac integram ferè ruinam perhibent Hiſtoriæ Gallicanæ. Quamobrem, quod in illius Scriptoris Formulis Eccleſiæ juribus adverſatur, tenuis eſt Autoritatis. Verumtamem mihi quæ hîc adducuntur Formulæ Marculphi teſtes videntur adverſus Regaliam : mirorque, quòd etiam Patri Alexandro tales viſæ non ſint. Nam ſi tempore Marculphi Reges Chriſtianiſſimi Bene-

Beneficia Eccleſiarum vacantium contuliſſent, aut reditus Art. 2. illarum percepiſſent, quâ ratione ille Scriptor, qui Formu- §. 5. las quaſcunque literarum Regiarum collegit, nullam edidiſſet vel Beneficiorum collationis, vel conſtitutionis œconomi ad colligendos, & in Fiſcum deferendos fructus, aut illorum remiſſionis, donationis, vel alîus generis diſpoſitionis? Recenſet ille quàm accuratiſſimè Formulas teſtantes Regem Electionibus Epiſcoporum conſenſum præbere ſolitum; Beneficia verò pleno jure contuliſſe, aut fructus vacantium Eccleſiarum ſuos feciſſe nuſquàm ſignificat. Quid, quòd, ut diximus, illæ ipſæ literæ, quæ à Patre Alexandro ſunt exſcriptæ, Regaliæ uſui è regione ſunt oppoſitæ; manifeſtèque confirmant, Regiam illam tuitionem ac defenſionem non ejuſmodi fuiſſe, quæ fructus Eccleſiarum vacantium, quibus ex Juriſprudentiâ Patris Alexandri continetur collatio Beneficiorum, Regibus vindicaret? Sunt enim hujus tenoris.

3. DISSERT. „*Ad petitionem Apoſtolici Viri Domini illius, illius urbis Epiſcopi, tale pro æternâ retributione Beneficium viſi fuimus indulſiſſe, ut in Villabus Eccleſiæ, quas moderno tempore, aut noſtro, aut cujuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in jure ipſius Sancti loci voluerit divina pietas ampliare, nullus Judex publicus, ad cauſas audiendas, aut freda undique exigendum, quocumque tempore non præſumat ingredi. Sed hoc ipſe Pontifex, vel Succeſſores ejus, propter nomen Dei, ſub integro emunitatis nomine valeant dominari, jubemus..... Nec Manſiones, nec paratas, vel fidejuſſores tollere non præſumatis, ſed quicquid exinde aut de ingenuis, aut de ſervientibus, cæteriſque nationibus, quæ ſunt infra agros, vel fines, ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ commanentes, Fiſcus aut de fredis, aut undecunque*

que

Art. 2. §. 5. „ *que potuerat ſperare, ex noſtrâ indulgentiâ pro futurâ ſalute in* „ *luminaribus ipſius Eccleſiæ per manum Agentium eorum proſi-* „ *ciat in perpetuum.*

4. RESP. Eò tendunt omninò hæ literæ, ut Eccleſiarum bona ſint ab omni onere libera, atque ab omni injuriâ tuta, maximè verò adverſus Officiales ipſos Regios; *Nullus Judex publicus ad cauſas audiendas aut freda undique exigendum, quocumque tempore non præſumat ingredi.* Notanda ſunt hæc verba; *Quocumque tempore*, quæ, cum generalia ſint, generalitèr ſunt explicanda, juxta vulgare illud Juriſconſultorum effatum; *Ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus.* Si tempore ſedis vacantis uſus-fructus bonorum Eccleſiaſticorum ad Regem Chriſtianiſſimum pertinuiſſet, an non illud excepiſſet in literis ad perpetuam immunitatem Eccleſiarum datis?

5. Nec niſi merâ cavillatione reſponderi poſſet, tempus vacationis fuiſſe tacitè exceptum his verbis, Pontificis tantùm & Succeſſorum ejus, non autem temporis vacationis, mentionem facientibus: *Sed hoc ipſe Pontifex, vel Succeſſores ejus propter nomen Dei ſub integro emunitatis nomine valeant dominari.* Nam præterquàm, quòd duo extrema medium complecti cenſentur, præſertim cùm ex ſacris Canonibus reditus Eccleſiæ viduatæ Succeſſuro Epiſcopo ſint reſervandi; Clerus in adminiſtrandâ Eccleſiâ Epiſcopo defuncto ſuccedit, donec alius præfectus fuerit.

6. Tantùm abeſt ut Reges illi, tuitionis ac defenſionis præmium ab Eccleſiâ expectarent, ut etiam jura, quæ alias ſibi debita fuiſſent, puta à perſonis bona illius excolentibus, Eccleſiæ in perpetuum remitterent: *Sed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de ſervientibus, cæteriſque nationibus, quæ ſunt infra agros, vel fines, ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ com-*

commanentes, Fiſcus aut de fredis, aut undecumque potuerat ſperare, ex noſtrâ indulgentiâ, pro futurâ ſalute, in luminaribus ipſius Eccleſiæ per manum Agentium eorum proficiat in perpetuum. Art.2. §.5.
Cùm autem, ut diximus, fructus Eccleſiarum vacantium juxta ſacros Canones futuro Epiſcopo reſervandi ſint, ejus Agens cenſeri poteſt œconomus, qui eos recipere jubetur à Concilio Calchedonenſi Can.25.

7. DISSERT. „ Et 14. de Mundeburde Regis & Principis, inſcriptâ, in quâ Rex ita loquitur: *Nos Apoſtolicum, „ & Venerabilem illum Epiſcopum, aut Abbatem Eccleſiæ, vel „ Monaſterii in honore illius Sancti conſtructi, cum omnibus rebus „ vel hominibus aut gaſindis, vel amicis, ſeu undecumque ipſe le- „ gitimo reddibit mittio, juxta ejus petitionem, propter malo- „ rum hominum inlicitas infeſtationes, ſub ſermonem* TUI- „ TIONIS NOSTRÆ *viſi fuimus recepiſſe, ut ſub Munde- „ burde vel* DEFENSIONE *inluſtris illius Majoris Domus no- „ ſtri, cum omnibus rebus præfatæ Eccleſiæ aut Monaſterii, quie- „ tus debeat reſidere, & ſub ipſo viro illo, inluſtris vir ille, cau- „ ſas ipſius Pontificis, aut Abbatis, vel Eccleſiæ aut Monaſterii, „ qui per eum ſperare videntur, vel undecunque legitimo reddibit „ mittio, tantùm in Palatio noſtro ſequi deberet,* &c. Munde- „ burdium Germanis ſcriptoribus tutela eſt ſeu defenſio ac tui- „ tio. Unde *Charta de Mundeburde* vocabatur, quâ Princeps „ Epiſcopo aut Abbati tuitionem & defenſionem ſuam imper- „ tiebatur; ne à quibuslibet infeſtarentur, atque etiam, ut „ eorum cauſæ in Palatio tantùm judicarentur, concedebat. „ Porrò cùm ingentia commoda & plurimus honos Eccleſiis ex „ Auguſtâ defenſione & cuſtodiâ accederent, ſeſe ei certatim „ committebant. *Sermo Regis* tuitio iſta dicebatur, quo docu- „ mento Regii ſermonis auctoritas, & fiducia quam in illo

Art.2. „ ſubditi omnes habebant, liquidò demonſtratur. Ex antiquis §. 5. „ illis Mundeburdii chartis originem traxerunt literæ, quas „ etiamnum quibuſdam Regni ſui Eccleſiis Reges Chriſtia- „ niſſimi concedunt, quæ vernaculè dicuntur : *Lettres de* „ *garde gardienne.*

8. RESP. Præter illa quæ circa ſuperiorem formulam dicta ſunt, obſervari poteſt, nullam apud Marculphum reperiri Formulam Regiæ tuitionis ſeu Defenſionis ſpecialis Eccleſiarum pro tempore vacationis; licet tunc temporis magis eſſet neceſſaria *propter malorum hominum inlicitas infeſtationes.* Unde colligere licet, quod modò dicebamus, intra extrema Epiſcopi & ejus Succeſſoris, comprehendi etiam vacationis intervallum, ut eâdem ſecuritate ac libertate ſemper fruerentur Eccleſiæ: & nuſquam non gratuitum eſſet Chriſtianiſſimorum Principum erga illas officium.

9. Etenim cùm Eccleſiarum vacatio longè minori tempore duret quàm Epiſcoporum vita, quis putet exactum pro breviori Cuſtodiâ præmium quàm maximum, integrum ſcilicet Cuſtoditarum rerum uſum-fructum; longioris verò temporis tuitionem omni honorario caruiſſe. Nec dicas, uſumfructum tempore vacationis honorarium fuiſſe integræ Cuſtodiæ, nempe tam vivente quàm defuncto Epiſcopo, præſtitæ. Id enim neceſſariò fuiſſet exprimendum in literis Regiis, cùm contrarium ex illarum verbis, utpotè ab Eccleſiis quidquam exigere indiſtinctè prohibentibus, etiam Regiis Officialibus, nemo non eſſet intellecturus.

10. Quæ apud Choppinum, & alios Scriptores Gallicanos extant exempla literarum illarum Regiarum, quas illic vocant *de Garde Gardienne*, nullum præbent fundamentum ſuſpicandi, Reges illos Eccleſiis, aut Monaſteriis concedentes,

tes,

tes, uſum-fructum ac collationem Beneficiorum vel loco-rum Monachalium ſibi, pro tempore, quo deficeret Prælatus, reſervâſſe; ſed tantùm Chriſtianiſſimos Principes Eccleſias hoc autoritatis ſuæ ſigno communiviſſe, ut mali eorum potentiam ac vindictam reformidantes, ab uſurpandis illarum bonis abſtinerent. *Art.* 2. §. 6.

§. SEXTUS.

De Teſtimonio Hincmari.

1. DISSERT. „Jus Cuſtodiæ ac Defenſionis bonorum Eccleſiaſticorum, ſede præſertim vacante, „Reges Chriſtianiſſimos Secundæ Dynaſtiæ exer-„cuiſſe docet Hincmarus Archiepiſcopus Remen-„ſis Epiſt. 12. ad Ludovicum III. Francorum Regem, totius „Synodi apud S. Macram celebratæ nomine ſcriptâ: *Ut*, in-„quit, *ſicut Sacræ Leges & Regulæ præcipiunt, Archiepiſco-„pis & Epiſcopis conlimitanearum Diœceſeon Electionem conce-„dere dignemini, ut undecumque ſecundum formam Regularem „electionis, talem eligant Epiſcopi, qui & Sanctæ Eccleſiæ „utilis, & Regno proficuus, & vobis devotus ac fidelis coöpe-„rator exiſtat: & conſentientibus Clero ac Plebe eum vobis „adducant, ut ſecundum Miniſterium veſtrum* RES ET FA-„CULTATES ECCLESIÆ, QUAS AD DEFEN-„DENDUM ET TUENDUM VOBIS DOMINUS „COMMENDAVIT, SUÆ DISPOSITIONI COM-„MITTATIS; *& cum conſenſu ac literis veſtris eum ad Me-„tropolitanum Epiſcopum, ac Coëpiſcopos ipſius Diœceſeos, qui „eum ordinare debent, tranſmittatis.*

 2. RESP.

Art. 2. §. 6. 2. RESP. Hincmarus tam apertè teſtatur, Reges non habere uſum-fructum Eccleſiarum vacantium, ut neſciam quomodò ejus teſtimonio uti auſus ſit Diſſertationis Autor, ad adſtruendam contrariam ſententiam. Loca Hincmari Regaliæ adverſa mox referemus, & contra vanas P. Alexandri interpretationes defendemus. Interim tantùm notandum eſt, locum hîc adductum, nullam uſus-fructus mentionem facere, ſed tantùm defenſionis & tuitionis. Verùm P. Alexander hinc ſententiam, Hincmari menti è regione, ut mox videbimus, oppoſitam, vitioſâ conſequentiâ infert. Sic enim ratiocinatur.

3. DISSERT. „Hanc fuiſſe Gallicanæ Eccleſiæ diſci„plinam, ut Rex Jure Cuſtodiæ ac Defenſionis, (quod idem „eſt ac Regaliæ Jus, ſecundum Concilium Lugdunenſe II.) „vacantis Eccleſiæ bona ad ſe reciperet, eaque electi Epiſcopi „diſpoſitioni committeret, eumque cum ſuæ Majeſtatis aſ„ſenſu ac literis ad Metropolitanum conſecrandum remitteret, „ex iſto Hincmari loco evidens eſt.

4. RESP. Nota rurſus, Concilinm Lugdunenſe II. intelligendum eſſe de Regaliâ. Verùm quidem eſt, Reges Francorum, Eccleſiarum vacantium bona cuſtodiſſe ac defendiſſe tempore Hincmari: ſed falſiſſimum eſt, quod Diſſertationis Autor tanquam ſuæ ratiocinationis minorem propoſitionem aſſumit; nempe Cuſtodiam illam ac defenſionem idem eſſe ac Regaliæ Jus, prout nunc illud jus intelligitur, ut colligitur ex illâ ipſâ Epiſt.; ſcilicet 12. quæ hic citatur. Etenim indicat cauſam cùr Ludovicus III. Rex, Balbi filius, ad quem ſcribit, differret aſſenſum præſtare electioni Epiſcopi Bellovacenſis, nimirum quia volebat & alium Epiſcopum præfici, & interim de bonis Eccleſiæ diſponere. Quid igitur Hincmarus

rus de utrâque illâ cauſâ ſentit? An pertinere ad Regem ele- *Art.2.*
ctionem Epiſcoporum, & interim uſum-fructum redituum §. 6.
Eccleſiarum? En expreſſam Hincmari ibidem num. 3. mentem circa primum; *Nam ſi quod à quibuſdam dicitur, ut audivi, quando petitam apud Vos electionem conceditis, illum debent Epiſcopi, & Clerus, ac Plebs eligere, quem vos vultis & quem jubetis, (quæ non eſt Divinæ Legis electio, ſed humanæ poteſtatis extorſio), ſi ita eſt, ut dici à quibuſdam audivi, ille malignus Spiritus, qui per ſerpentem primos parentes noſtros in Paradiſo decepit, & inde illos ejecit, per tales adulatores in aures veſtras hæc ſibilat. quia hoc in Scripturis tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti non continetur, neque in Catholicorum dictis vel Sacris Canonibus, nec etiam in Legibus à Chriſtianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc Scriptum vel Decretum invenitur, ſed talia dicta infernus evomuit* &c. Cùmque Odactus, quem Rex ad Eccleſiam Bellovacenſem promoveri cupiebat, illam invaſiſſet, prædictus Archiepiſcopus Remenſis eum excommunicatione perculit, ut videre eſt in eodem Tom. 2. Opuſc. ejuſdem Præſulis Remenſis ſub num. 52.

5. De ſecundo autem ſic ſcribit num. 4. *Sunt qui dicunt, quia Res Eccleſiaſticæ Epiſcoporum in veſtrâ ſint poteſtate, ut cuicumque volueritis eas donetis. Quod ſi ita eſt, ille malignus Spiritus, qui, ut ſuperiùs præmiſſum eſt, primos parentes noſtros perdidit, perditionem veſtram in aures veſtras ſuſurrat.* Recurret forſan P. Alexander ad ſuum effugium, reſpondens, hæc de bonis ipſis, non autem de uſu-fructu eſſe accipienda. Sed fugienti viam præcludit idem Hincmarus, qui in præcitatâ Sententiâ Excommunicationis contra Odacrum Bellovacenſis Eccleſiæ invaſorem num. 3. ſic habet; *Idem*

Art. 2. §. 6. *Sanctum magnumque Concilium* (Chalchedonenſe) *decrevit, ut reditus viduatæ Eccleſiæ penes Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ integrè conſerventur, quos prædictus invaſor Odacrus ſine ullâ Divinæ legis reverentiâ uſurpare præſumpſit* &c.

6. Si qua in his ſupereſſet difficultas, aliis Hincmari locis eam elucidare in promptu eſſet. Nam cap. 41. Epiſtolæ nonæ, quam non ignoravit P. Alexander, quandoquidem illius locum exſcribit. §. 14. expreſſè affirmat, quòd *facultates Eccleſiæ viduatæ poſt mortem Epiſcopi penes Oeconomum integrè conſervari jubentur futuro Succeſſori ejus Epiſcopo*; & Epiſt. 29. quæ eſt ad Carolum Calvum, id non ſolùm de bonis ipſis, ſed & de reditibus accipiendum explicat, *ut à magnâ Synodo Chalchedonenſi etiam poſt mortem Epiſcopi, reditus Eccleſiæ viduatæ penes Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ* (non ergo penes Oeconomum Regium) *integrè conſervari jubeantur*; non autem in Fiſcum deferri permittantur. Hæc verba tam perſpicua ſunt, ut quantumvis P. Alexander nitatur tenebras illis offundere in dicto §. 14. eorum ſententiam lectores nequeat celare, ac facillimum cuique ſit, ut ibi videbimus, injectum pulverem exſufflare.

7. DISSERT. „Jus illud Cuſtodiæ ac Defenſionis profectitium non eſſe, ſed inſitum & Coronæ Regum Chriſtianiſſimorum adhærens, conſtat ex illis verbis, *ſecundum Miniſterium Veſtrum*: Nec ab hominibus, ſed à Deo ipſis „commiſſum, hæc verba probant: *Quas ad defendendum & „tuendum verbis Dominus commendavit.*

8. RESP. Officium aptiùs quàm Jus vocaretur, quod Principes Eccleſias defendant & tueantur. Verùm Autor non Eccleſiæ bonum & dignitatem attendens, ſed commodum Regi ex uſu-fructu bonorum Eccleſiaſticorum, & ex Beneficiorum

ciorum collatione proveniens, defenſionem illam & tuitionem, quam falſò paſſim aſſerit juſtum eſſe illius commodi titulum, Juris nomine mavult nuncupare. Omiſſis nunc aliis probationibus hujus nuncupationis, adducere ſufficiet autoritatem Concilii apud Sanctam Macram, & conſequenter Hincmari Archiepiſcopi Remenſis, qui illud citat, in eo præſederat, & decreta, ut puto, condiderat, quandoquidem eam in ſuas partes conatur, licet immeritò, trahere P. Alexander; *Pro honore*, inquiunt Patres apud S. Macram congregati cap. 1. *& defenſione ac quiete Sanctæ Eccleſiæ, ac Rectorum & Miniſtrorum ipſius, & leges promulgando, ac militando à Rege Regum eſt eis Curæ onus impoſitum.* Quod P. Alexander Jus *inſitum, & Coronæ Regum Chriſtianiſſimorum adhærens*. Concilium apud S. Macram *à Rege Regum eis* (Regibus) *Curæ onus impoſitum appellat*. Quid mirum? Concilium Jura Eccleſiæ ſpectabat; P. Alexander Advocati Regii partes agit. Art. 1. §. 6.

9. DISSERT. „Jus illud Auguſtum Cuſtodiæ Regibus „Chriſtianiſſimis competere, Adrianus II. agnovit Epiſt. 16. „ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem datâ, quâ „Laudunenſis Epiſcopi Romam ituri Eccleſiam ipſi com„mendat, & illius cuſtodem ſecùndum Regem conſtituit: „*Epiſcopatum ejus*, inquit, *Sanctitati tuæ ſpecialiter, poſt* „*Regem ſervandum committimus*.

10. RESP. *Si Jus illud Auguſtum Cuſtodiæ Regibus Chriſtianiſſimis competit, ſi profectitium non eſt, ſed inſitum & Coronæ Regum Chriſtianiſſimorum adhærens*; quo jure Hadrianus II. Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem Eccleſiæ Laudunenſis *Cuſtodem ſecundùm Regem conſtituit*, ſeu *poſt Regem?* Nonne ad Regem pertinuiſſet, *Cuſtodem ſecundùm ſe*, ſeu

poſt

Art. 2. §. 7. *poſt ſe conſtituere?* Nonne ſaltem expectandus Hadriano fuiſſet Regis conſenſus ad committendam alteri Eccleſiæ Laudunenſis Cuſtodiam? Num Papa & Rex ſimul ſunt Eccleſiarum Cuſtodes? Non habebat Adrianus Eccleſiam Laudunenſem tanquam vacantem: Sed cum Epiſcopum Laudunenſem Romam venire juſſiſſet, providit, ne qua bonis ejus Eccleſiæ inferretur injuria; Regem orans, ut tanquam bonorum omnium in Regno ſuo exiſtentium Protector impediret, ne iſta diriperentur; & Hincmarum Remenſem monens, ut eidem bonorum ſecuritati conſuleret, poſt Regem, cujus nimirum autoritas erat efficacior ad deterrendos improbos. At certè nemo judicavit ratione hujus Cuſtodiæ vel Regem vel Metropolitanum Eccleſiæ Laudunenſis fructus ſuos jure facere potuiſſe.

§. SEPTIMUS.

De Viſitatore Eccleſiarum à Rege deſignando.

1. DISSERT. „ Ex eo Jure profectum eſt, ut Reges, „ ſecundum illius ævi diſciplinam, Epiſcopum „ deſignarent, qui Viſitatoris nomine vacantis „ Eccleſiæ curam gereret: aut certè Metropolitano eum indicarent, quem velut Majeſtati ſuæ gratum in „ eo munere inſtitueret. Id conſtat ex Epiſtola Hincmari Me- „ tropolitani ad Carolum Regem, ut Clero, & Plebi Silva- „ nectenſi novi Epiſcopi electionem permittat, & Viſitatorem „ deſignet, qui præſit electioni. *Dignetur mihi Dominatio ve- „ ſtra*, inquit, *literis ſuis ſignificare, quem vultis de Coëpiſco- „ pis noſtris, ut ei ex more literas Canonicas dirigam, & Viſitatoris*

„ *toris Officio fungens in eâdem Eccleſiâ Electionem Canonicam* Art. 2.
„ *faciat : & aut per ſe, aut per literas ſuas, Vicario ſuo defe-* §. 7.
„ *rente, eamdem Electionem cum Decreto Canonico ſingulorum ma-*
„ *nibus roborato ad me referat, ut per me ipſa Electio ad Domina-*
„ *tionis veſtræ diſcretionem perveniat.*

2. „ Idem probat ejuſdem Hincmari Epiſtola ad Hade-
„ bertum Silvanectenſem Epiſcopum, ut Viſitatoris Officio
„ fungatur in Eccleſiâ Bellovacenſi poſt obitum Odonis Præ-
„ ſulis : *Officio*, inquit, *Viſitatoris conſenſu Domini noſtri*
„ *Ludovici Regis, noſtræ Humilitatis Metropolitanâ delegatione*
„ *ſuſcepto, ad eamdem Eccleſiam quantocyùs ſtudeas properare,*
„ &c.

3. „ Idem probat excuſatio Remenſium, qui ante Viſita-
„ toris adventum, poſt obitum Hincmari, Epiſcopum ele-
„ giſſe dicebantur, ad Hildeboldum II. Sueſſionenſem & cæ-
„ teros Provinciæ Remenſis Epiſcopos : *Et ſicut hactenùs ab-*
„ *ſtitimus ab ullius certæ perſonæ electione, ita deinceps, donec*
„ *Pietas Divina, & Regia Clementia nobis conceſſerit Viſitatorem,*
„ *abſtinere pro certo noveritis.*

4. „ Idem teſtatur Flodoardus in Remenſis Eccleſiæ Hiſto-
„ riâ, lib. 3. cap. 23. ubi literas ad Ragenelmum, ſeu Rage-
„ nolium Epiſcopum Noviomenſem ab Hincmaro datas com-
„ memorat. *Pro Viſitatione Morinenſis Eccleſiæ, poſt obitum*
„ *Hunfridi Epiſcopi, juxta diſpoſitionem Regis.*

5. Resp. Si *ex eo Jure, ſcilicet Cuſtodiæ, Regibus Chri-ſtianiſſimis competente*, de quo in §. præcedenti, *profectum eſt, ut Reges Epiſcopum deſignarent, qui Viſitatoris nomine vacantis Eccleſiæ curam gereret* : Cùm Viſitatoris Officium eſſet non ſolùm temporalium conſervationi invigilare, ſed etiam Spiritualium munia obire, concludendum erit Reges ſupremam

Art.2. etiam in ſpiritualibus poteſtatem habuiſſe ; ſed hujus Conclu-
§.7. ſionis falſitatem, & rei ipſius injuſtitiam ſibi maximo vitio vertendas præſentiens P. Alexander, illam temperavit, addens; Reges ſaltem Viſitatorem Metropolitano indicâſſe; *Quem velut Majeſtati ſuæ gratum in eo munere inſtitueret*: quibus verbis præſentationem Principi, utpotè Patrono, non plenam autoritatem, quaſi Eccleſiæ Capiti tribuit. At etiam hujuſmodi Juris præſentationis alias probationes vellem afferri.

6. Etenim cùm ſub ultimis primæ Dynaſtiæ Regibus, maxima fuiſſet in Galliâ rerum Eccleſiaſticarum confuſio & labefactatio, adeò ut Carolus Martellus; qui diù ſine Regio nomine regnaverat, Epiſcopatus & Abbatias Laïcis, præſertim Militibus, concederet, ad conciliandos ſibi per hujuſmodi Sacrilegas largitiones bellorum adjutores: non ita facilè fuit ſub Principibus ſequentibus, etiam erga Religionem & Eccleſiam optimè affectis, Canonicam Libertatem recuperare, & collapſam reſtaurare diſciplinam. Quid igitur mirum, ſi tempore Caroli Calvi, qui Ludovici Patris, Caroli Magni Avi, & Pipini Proavi, à prædicto Martello deſcendentium, pium ergà Eccleſiam Zelum non ita imitabatur, Antiſtites cogerentur ejus voluntati frequentiſſimè ſeſe accommodare? Imò tunc temporis magna libertas reputabatur priſcæ ſervitutis imminutio; quodque alias omni conatu propulſatum fuiſſet, tanquam ingens favor poſtulabatur. Quamobrem iniquè ſe habent erga Eccleſiam Scriptores, qui in Regia Jura referunt, quidquid illis temporibus geſtum legitur, etiamſi Clerus annuerit, vel etiam optaverit, graviorum ſcilicet malorum pondere oppreſſus.

7. Fatebantur ipſimet Reges, Eccleſiarum injurias repa-

rare

rare conantes, ea, quæ præſtabant, minora eſſe, quàm *Art.2.*
quæ Sacri Canones exigerunt. Id teſtatur Præfatio ad Capi- §. 7.
tula in Concilio Vernenſi an. 755. edita; *Quia emergentibus cauſis quibuſdam non congruis, temporeque inquieto ſupervenien-te, contigit nonnulla ex hâc re negligentiâ faciente fuiſſe intermiſſa, ideòque gloriſiſſimus atque Deo Religioſus illuſter Vir Pipinus Rex Francorum univerſos penè Galliarum Epiſcopos aggregare fecit ad Concilium Vernis Palatium publicum*, RECUPERARE ALIQUANTISPER CUPIENS INSTITUTA CANONICA. ET QUIA FACULTAS MODO NON SUPPETIT AD INTEGRUM, TAMEN ALIQUA EX PARTE VULT ESSE CORRECTUM, QUOD ECCLESIÆ DEI VALDE COGNOSCITUR ESSE CONTRARIUM.

8. Verùmtamen Hincmarum ſuâ, non Regis, cujus voluntatem explorabat, autoritate, Viſitatorem delegâſſe, ipſemet ſignificat in iis Epiſtolis, quæ referuntur à P. Labbeo Concil. tom. 8. col. 1867. & ſeqq. *Dilecto fratre*, inquit Hincmarus Epiſt. ibi ſecundâ, quæ eſt ad Hedenulphum Laudunenſem Epiſcopum, *ac venerabili Conſacerdote noſtro Joanne Eccleſiæ Cameracenſis defuncto, hortor ac moneo dilectionem tuam, Frater Cariſſime, ut ejuſdem Eccleſiæ Officio Viſitatoris noſtræ Humilitatis Metropolitanâ delegatione ſuſcepto, ad eamdem Eccleſiam quantociùs ſtudeas properare, ac aſſiduis hortationibus Clerum Plebemque Eccleſiæ publicè admonere feſtines, ut remoto privato ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi præficiendum expetant ac eligant Sacerdotem, qui & tanto Miniſterio dignus valeat reperiri, & à venerandis Canonibus nullatenùs reſpuatur.* Nulla fit in totâ illâ Epiſtolâ mentio Regis. Subjungit quidem P. Labbeus in alterâ Hincmari Epiſtolâ ad

Art. 2. §. 7. Hadebertum Silvanectenſem Epiſcopum ſcriptâ, ut Viſitatoris Officio fungeretur in electione Epiſcopi Bellovacenſis, haberi hæc verba; *Officio Viſitatoris, conſenſu Domini noſtri Ludovici Regis* &c. Sed in reliquis eandem eſſe utriuſque formam, ut ſcilicet Metropolitanus deleget Viſitatorem. Unde ſequitur, Regem ad ſummum conſenſum ſuum Viſitatoris Deputationi, ſicut Antiſtites electioni præſtitiſſe.

9. Vidimus ſuprà, Concilium Regenſe, & Concilium Aurelianenſe II. ſtatuiſſe, ut Epiſcopus Eccleſiæ vacanti vicinus, poſt ejus Paſtoris mortem, Viſitatoris munus obiret. Alia poſſent afferri exempla, quibus certiſſimè confirmatur, Viſitatoris Officium, etiam quantùm ad bona temporalia non à Principibus, ſed ab Eccleſiâ pendere: ſed prædicta ſufficiant, maximè cum nonnulla inferiùs citaturi ſimus, ex quibus illa confirmabuntur.

§. OCTAVUS.

Exemplum Cuſtodiæ à Carolo Calvo commiſſæ.

1. DISSERT. „Vacantium Eccleſiarum Cuſtodia, „Defenſio & Adminiſtratio quoad temporalia, „adeò Regii Juris erat, ut Carolo Calvo profe„ctionem in Italiam adornante Anno 877. neceſſe „fuerit ſtatuere, quâ ratione hujuſmodi Cuſtodia & Proviſio, „abſente Rege, ſuppleretur. Epiſcopis & Metropolitanis „hæc demandata Provincia eſt, qui unà cum Comite Eccle„ſiam cuſtodirent, dum Epiſcopi obitus ad Regis notitiam „deferretur; ut diſcimus ex Capitulari Cariſiacenſi. cap. 8. „ubi Rex ad Epiſcopos, & Optimates: *Si antequam redeamus*,

„ mus, inquit, *aliqui Honores aperti fuerint, conſiderandum* Art. 2.
„ *quid exindè agatur.* Ipſi vero reſpondent : *Si antequam ju-* §. 8.
„ *vante Domino revertamini, aliquis Archiepiſcopus defunctus*
„ *fuerit, vicinus Epiſcopus ipſius Diœceſeos, cum Comite ipſam*
„ *Sedem prævideat, uſque dum obitus ipſius Archiepiſcopi ad ve-*
„ *ſtram notitiam perveniat, ſi aliquis Epiſcopus interim obierit,*
„ *Archiepiſcopus ipſi Sedi Viſitatorem ſecundùm Sacros Canones*
„ *deputet, qui unà cum Comite* (ſeu Provinciæ Præfecto)
„ *ipſam Eccleſiam, ne prædetur, cuſtodiat, uſque dum ipſius*
„ *Epiſcopi obitus ad veſtram notitiam perveniat. Si Abbas vel*
„ *Abbatiſſa obierit, Epiſcopus in cujus Parochiâ Monaſterium*
„ *illud eſt, unà cum Comite illud Monaſterium cuſtodiat, uſque*
„ *dum veſtra juſſio inde fiat.* His Legibus Gallicana Eccleſia
„ tunc temporis regebatur ; quæ Jus Cuſtodiæ, ſeu Rega-
„ liæ in Eccleſiis vacantibus, Regibus Chriſtianiſſimis conve-
„ nire ſupponebant.

2. RESP. Optimus & Sacris Canonibus conſentaneus eſt Ordo, ut Eccleſiæ Metropolitanæ vacanti vicinus Epiſcopus, Cathedrali autem ejus Provinciæ Archiepiſcopus Viſitatorem deputet, Monaſterio verò Epiſcopus, in cujus eſt Parochiâ. Id propriè cum Capitulari Cariſiacenſi *ſecundùm Canones* dici poteſt. Quòd autem Archiepiſcopo, vel Epiſcopo adjungatur Comes, Officium eſt Principum, qui auctoritatem, quam à ſupremo Rege acceperunt, in ejus Eccleſiæ auxilium impendere tenentur. Sed pro illius auxilii mercede, quod Eccleſia ipſa poſtulaverat, eò quòd improbi Cenſuras Eccleſiaſticas parum formidare jam cœpiſſent, neque Rex, neque Epiſcopi ſentiebant, concedendum ſuæ Majeſtati integrum rerum cuſtoditarum uſum-fructum, & Præbendarum liberam collationem. Iniqua nimis fuiſſet conditio & pretium

Art. 2. operas præſtitas excedens: debuiſſet ſaltem merces inter Epi-
§. 8. ſcopum & Comitem, ſeu inter Eccleſiam & Regem dividi. Animadvertis, Lector, Autorem à ſuâ æquivocatione nuſquam recedere, ſed totam, aut ferè totam Diſſertationis ſuæ molem ſuperſtruere corrupto illi fundamento, ſcilicet, quòd generalis illa Cuſtodia, quam Principes Eccleſiæ debent, tam vivente quàm defuncto Epiſcopo idem ſit ac Regalia, quæ occaſione, ſeu prætextu ſpecialioris cuſtodiæ in aliquas Eccleſias inducta eſt.

3. Conquereretur forſan P. Alexander, nos in autoritate Capitularis Cariſiacenſis diſſimulare illa verba, ***Antequàm redeamus, uſque dum obitus ipſius Archiepiſcopi ad veſtram notitiam perveniat: uſque dum veſtra juſſio inde fiat***, quæ innuere videntur, totam cuſtodiendi autoritatem eſſe penes ipſum Regem, Epiſcopos autem ejus eſſe Commiſſarios, non minùs quàm Comites. Verùm hæc verba innuunt tantùm, non præfici Eccleſiis Paſtores, inſcio Rege, vel abſque illius aſſenſu. Cùm autem ſtatuatur, quòd interim ***Archiepiſcopus ipſi Sedi Viſitatorem ſecundùm Sacros Canones deputet***; Sacri autem Canones, ut jam vidimus, illam deputationem, non ſæcularis, ſed Eccleſiaſticæ poteſtatis eſſe teſtentur: quis Archiepiſcopos & Epiſcopos in deputandis Eccleſiarum vacantium Viſitatoribus, Principum Commiſſarios appellare, illorumque Juriſdictionem à Rege delegatam aſſerere non erubeſcat? Certè verba ipſa Capitularis indicant præcipuam Autoritatem in Eccleſiâ reſidere, quandoquidem non ſolùm deputatio Viſitatoris Archiepiſcopo ſolidè adſcribitur; Idque ***ſecundùm Sacros Canones***; ſed etiam ex ipſâ loquendi formâ indicatur, Epiſcopum deputatum, eſſe verum Viſitatorem; Comitem autem ejus tantùm Adjutorem: ***ſi aliquis Epiſcopus***

pus interim obierit, Archiepiſcopus ipſi Sedi VISITATO- *Art.2.*
REM *ſecundùm Sacros Cānones deputet, qui unà cum Comite* §. 9.
ipſam ECCLESIAM, NE PRÆDETUR, CUSTO-
DIAT.

§. NONUS.

De Regia Cuſtodia Eccleſiarum tempore Caroli Simplicis.

1. DISSERT. „ Jus Cuſtodiæ ac Defenſionis Metro-„ politanarum & Cathedralium Eccleſiarum Re-„ gni ſui, Chriſtianiſſimi Reges non minori curâ „ & ardore, quàm ipſam Coronam, cui adnexum „ eſt, conſervârunt : adeò ut extremis Carolinæ Stirpis tem-„ poribus, & initio tertiæ Regum Familiæ, Jure Regio ci-„ vilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, Epiſcopatus „ tamen in tutelâ & protectione Regum manſerint. Chroni-„ con Andegavenſe de Neuſtriâ Hugoni Abbati conceſſâ ſub „ Carolo ſimplici Rege ita loquitur : *Iſte itaque tractus cùm* „ *ei datus eſſet ad integrum cum Civitatibus & Comitatibus &* „ *Abbatiis, Caſtellisque, præter Epiſcopatus ſolos, qui in Re-* „ *giâ Dominicatâ retenti ſunt.* Rigordus in Philippi Auguſti „ vitâ : *Igitur Reges Francorum prædictas Eccleſias in ſuâ liber-* „ *tate ſemper cuſtodire cupientes, quibuſcumque Principibus Ter-* „ *ras cuſtodiendas tradidiſſent, tamen Eccleſias ſub Poteſtate* „ *ſuâ & Protectione retinere decreverunt, ne Principes quibus* „ *terra cuſtodienda delegabatur, Eccleſias, vel Clericos ibidem* „ *Domino ſervientes aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactioni-* „ *bus gravare præſumerent.*

2. RESP.

Art.2. 2. RESP. Quòd Carolus ſimplex Eccleſias Hugoni con-
§. 9. cedere noluerit, ſiquidem id præſtitit, ne illarum reditus ab illo Comite, qui quòd plures Abbatias, quamvis Laïcus poſſideret, Abbas cognominatus eſt, uſurparentur; laude dignus eſt, quia officio Principibus omnibus à Deo impoſito fecit ſatis. Sin verò id fecit, ut illarum reditus ipſe perciperet, non eſt cur in Exemplum proponatur, cum injuriam Eccleſiæ inferri ſolitam non abſtulerit, ſed commutaverit. Quâlibet ratione id fecerit, non ideò Eccleſiarum illarum uſum-fructum, & Beneficiorum collationem habuit, niſi juxta falſum illud principium æquivocatione obtectum, quòd cuſtodia Eccleſiarum Principibus à Deo injuncta, idem ſit quod Regalia: quamvis illa Cuſtodia non magis de tempore vacantis ſedis, quàm viventis Epiſcopi accipiatur.

3. Verùm Carolum ſimplicem propriæ neceſſitati potiùs ſatisfacere, quàm ſuo officio & utilitati Eccleſiæ providere voluiſſe, conjicere licet ex temporis conditione. Hic enim Rex potentes paſſus eſt adverſarios, à quibus etiam captus eſt, ac diu detentus. Tumque non ſolùm confuſa erat Reſpublica, ſed etiam, ut plerumque ſolet, illa perturbatio maximorum in Eccleſiâ Gallicanâ malorum erat occaſio; præſertim ut Eccleſiarum bona à Laïcis potentibus diriperentur; quod inſinuat etiam ipſe Diſſertator cùm ait; *Ut extremis Carolinæ Stirpis temporibus & initio tertiæ Regum Familiæ, Jure Regio civilibus bellis imminuto, omnibus occupatis*, &c.

4. Sanè teſtimonium Chronici Andegavenſis ſignificat, Carolum Simplicem Hugoni non ſolùm Cuſtodiam Eccleſiarum Abbatialium, & earum, mortuis Prælatis, uſum-fructum conceſſiſſe, ſed & Dominium ipſum ſicut & Civitatum, & Caſtrorum; *Iſte itaque tractus inquit, cùm ei datus eſſet ad integrum*,

tegrum, cum Civitatibus & Comitatibus, Caſtelliſque. Unde inferendum videtur, Carolum in eodem ſenſu *Epiſcopatus qui in Regiâ Dominicatâ* erant *retinuiſſe*, ut ſcilicet etiam ſi non vacarent, eorum uſus-fructus uſurparet. Ac reverâ nulla fit ibi Cuſtodiæ, defenſionis, vel alicujus ſimilis officii mentio. Unde magis ac magis detegitur & Cauſæ à P. Alexandro defenſæ, & ipſius defendendæ modi injuſtitia, cùm in ejus patrocinium adhibentur tam iniqua tamque odioſa, & cum Eccleſiæ juribus pugnantia exempla. *Art. 2. §. 10.*

5. Diverſæ rationis eſt factum Philippi Auguſti ex Rigordo deſumti. Neſcio utrum hoc loco illud P. Alexander retulerit, ut aliquatenus iniquum Caroli ſimplicis exemplum obtegeret. Nec enim Philippus Auguſtus ad primam Dynaſtiam pertinet, vel ad ſecundam, de quibus Autor tractat in hoc articulo, ſed ad tertiam, de quâ in ſequenti. Eſt autem maximum inter trium Dynaſtiarum tempora diſcrimen. Nam ſub primâ, & ſecundâ nullus fuit Regaliæ uſus in eo ſenſu, in quo de illâ modò diſputatur. Sub Philippo autem Auguſto, qui ſeptimus ordine fuit tertiæ ſtirpis Rex, imo ſub ejus Patre Ludovico VII. Regaliæ prima exempla notantur. Verùm, ut articulo ſequenti videbimus, uſus ille in aliquibus tantùm Eccleſiis locum habebat, eique Cuſtodia ſpecialis ac Defenſio adverſus iniquos Principes ac Potentes, fortè occaſionem præbuerat, quoad fructus bonorum non feudalium. Sed & hic Rigordi locus ad tempus vacantis ſedis nequaquam eſt limitandus, neque occaſione protectionis de quâ loquitur, pii Principes proprium, ſed Eccleſiæ [redacted] commodum quærebant; *Eccleſias* inquit Rigordus, *ſub Poteſtate ſuâ & Protectione retinere decreverunt,* (Reges Francorum) *ne Principes, quibus terra Cuſtodienda delegabatur, Eccleſias vel Clericos ibidem Domino ſervien-*

Art. 2. *tes aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus gravare*
§. 10. *præſumerent.* Itaque diſtinguenda ubique ſunt duo Cuſtodiæ genera, quæ paſſim à P. Alexandro confunduntur, neque cum illo falſò ſupponendum, Cuſtodiam, cujus cujuſmodi eſſet, cum uſu-fructu redituum & Collatione Præbendarum ſemper fuiſſe conjunctam.

§. DECIMUS.

De Chorepiſcopis in Eccleſiis Vacantibus conſtitui ſolitis, & de protectione vacationis.

B. DISSERT. „ Cùm Reges Chriſtianiſſimi Cuſtodiæ „ Jus in Eccleſiis Regni ſui haberent, & hujuſmo- „ di Cuſtodiæ ac Defenſionis titulo earum bona, „ vacante ſede, ad ſe reciperent, ſervarentque, „ donec electus Epiſcopus eorum Majeſtati ſe ſiſteret, con- „ ceſſionem poſſeſſionum ad ipſas pertinentium ab illa impetra- „ turus, credere par eſt ipſos fructus vacationis tempore pro- „ venientes, ſuos feciſſe, vel ex iis aliquid delibaſſe ad Cu- „ ſtodiæ impenſas, & honorarii nomine: cùm ſuis ſumpti- „ bus eam curare non tenerentur. Id autem facilè colligitur „ ex Epiſtola Hincmari ad Leonem IV. Pontificem Maxi- „ mum, quâ apud ejus Sanctitatem querebatur, quòd Prin- „ cipes Eccleſiarum vacationem in diuturnum tempus ex in- „ duſtria protraherent, ut diutiùs Eccleſiaſticis reditibus frue- „ rentur: & propterea Chorepiſcopos mittebant, qui fun- „ ctiones Epiſcopales interim obirent, ne novi Epiſcopi ele- „ ctio, & conſecratio urgeretur, quâ peractâ, poſſeſſiones „ omnes Epiſcopatus electo concedebant. Hujus Epiſtolæ,

„ quæ excidit, argumentum recenſet Flodoardus lib. 3. Hi- *Art.2.*
„ ſtor. Remenſis cap. 10. *Scripſit autem*, inquit, *ad Leonem* §. 10.
„ *Papam ſexies, vel ſepties. In hâc verò Epiſtolâ de his quos*
„ *temeritas Chorepiſcopalis ordinare; vel quòd Spiritum Sanctum*
„ *conſignando tradere præſumebat, requiſivit. Et quòd terrena*
„ *Poteſtas hâc materiâ ſæpe offenderet, ut videlicet Epiſcopo quo-*
„ *libet defuncto, per Chorepiſcopum ſolis Pontificibus debitum*
„ *Miniſterium perageretur, & res ac facultates Eccleſiæ Secu-*
„ *larium uſibus expenderentur, ſicut & in noſtra Eccleſia jam*
„ *ſecundò actum fuiſſet.* Ideò tot Decreta in Synodis iſtius ſæ-
„ culi contra Chorepiſcopos edita ſunt. Porro vacationem
„ Eccleſiarum ex induſtria Principes ita non protraxiſſent, ni-
„ ſi Jus habuiſſent ratione Cuſtodiæ percipiendi reditus ac fru-
„ ctus eâ durante, provenientes.

2. Resp. Non tot, & à tam remotis, imò ſibi contrariis locis ducta argumenta cumulâſſet Diſſertator, ſi ſolida reperire potuiſſet. At certè quo major eſt militum numerus, ſi imbelles ſint & ignavi, eò magis periclitatur exercitus. Quid ſi etiam infenſi & ex Hoſtium partibus collecti? Hujuſmodi ſunt pleraque P. Alexandri argumenta. Probat hoc loco, Reges Francorum habuiſſe uſum-fructum Eccleſiarum vacantium; quia Hincmarus conqueritur, *terrenam poteſtatem hâc materiâ ſæpe offendiſſe: & res ac facultates Eccleſiæ Secularium uſibus expendi.* Hæc autoritas contrarium potius probat, ſcilicet Reges injuſtè bona Eccleſiarum uſurpâſſe.

3. Injuriam ſuis Regibus facit P. Alexander, cùm putat, eos quaſi Villicos aut Vinearum Cuſtodes bona Eccleſiarum vacantium ad ſe recepiſſe, unde concludit, *credere par eſſe ipſos fructus vacationis tempore provenientes, ſuos feciſſe, vel ex iis aliquid delibâſſe ad Cuſtodiæ impenſas, & honorarii nomine:*

Art.2. *cum ſuis ſumptibus eam curare non tenerentur* : cùm Hincmarus de Cuſtodiâ illâ intelligendus ſit, quam ſæpè diximus Regibus tanquam Dei Miniſtris incumbere, ut autoritate ſibi ab eo traditâ malos ab uſurpandis Eccleſiæ bonis ac juribus deterreant, ac pro quâ ipſis nunquam vel raro faciendæ ſunt expenſæ. Quòd ſi juxta P. Alexandri mentem, Cuſtodiam aliam ſpecialiorem ac ſumptus aliquos exigentem acciperemus, certè compenſatio cum aliquâ eſſet proportione facienda, ut ipſemet fateri videtur, cùm ait; *Credere par eſſe Reges fructus ſuos feciſſe, vel ex iis aliquid delibâſſe ad Cuſtodiæ impenſas.* Atque illa fortaſſè prima occaſio Regaliæ fuit, quantùm ad perceptionem fructuum non feudalium in aliquibus Eccleſis : quia ſcilicet ut Principes inferiores à bonorum Eccleſiaſticorum rapina impedirentur, expenſis interdum opus erat, ad quas Reges teneri non videbantur : ideòque illas ex fructibus Eccleſiarum ſumebant. Cùm ergo nunc ſolis Principibus ſupremis jus belli reſervatum ſit, nullæque Regibus Chriſtianiſſimis ad defendendas Eccleſias faciendæ ſint expenſæ : quo titulo univerſos fructus, ac præterea collationes Beneficiorum ſibi tribuerent, in illis præſertim Eccleſiis, in quibus id ſibi ex antiquâ conſuetudine non competit? An quia illarum bona per Oeconomos adminiſtrant? Atqui novum eſt illud adminiſtrationis genus; cùm ex plurimis monumentis conſtet, Eccleſiarum, quæ Regaliæ non ſubjacebant, vacantium Curam, etiam quantùm ad temporalia, penes Capitula fuiſſe, quoüſque Miniſtri Regii Regaliam ad univerſas Eccleſias extendere moliti ſunt. Adde quod in illis Eccleſiis, Oeconomus à Rege conſtitutus ſemper novo Epiſcopo, dati & accepti rationem reddere, ac quod ſupereſſet conſignare, non ex liberalitate Regiâ, ſed ex juſtitiâ teneretur.

§. 11.

4. Quæ

4. Quæ illis temporibus contra Chorepiſcopos ſtatuerunt Concilia indiſtinctè à P. Alexandro citata, ſicut quod ex Flodardo refertur; adverſari potiùs ipſi, quàm favere comperientur, ſi proferantur. Non enim illa in communi tantùm citâſſet, ſi vel vocem aliquam intentioni ſuæ accommodatam in illis inveniſſet; quippè qui argumenta à tam remotis, ut diximus, ac ſæpè ſibi contrariis locis acceſſat. Art.2. §. 11.

§. UNDECIMUS.

De Capitularium, & de Concilii Troſleiani Autoritate.

1. DISSERT. „Jus illud non convellunt, quæ ex libro ſexto Capitularium cap. 321. ſive 427. Edit. „Baluz. quod ex Concilio Troſleiano, cap. 4. deſumptum eſt, objicit nuperus Regii Juris Oppugnator cap. 6. ſui de Regalia Tractatûs. Nam id unum edicit: *Ut nullus Laïcus Homo, vel Imperator vel Rex, & aliquis Præfectorum, vel Comitum, ſeculari poteſtate fultus ſibi per violentiam rapiat, aut à Rege competere audeat, vel quocunque modo invadere præſumat Monaſterium, aut prædia, vel quaſcunque res de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis, vel Abbatiſſæ, & incipiat vice Abbatis regere, & habere ſub ſe Monachos, & pecuniam poſſidere quæ fuit Chriſti ſanguine comparata.* Et cap. 392. *Iniquum eſt & Sacrilegii inſtar, quæ pro ſalute & requie animarum ſuarum unuſquiſque Venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quibus maximè ſervari convenerat, auferri, & in aliud transferri.* Et

Art.2. „ cap. 393. *Laïcis, quamvis Religioſis, nulla de Eccleſiaſticis* §. 11. „ *facultatibus aliquid diſponendi legitur unquàm attributa facul-* „ *tas.* Invaſionem, direptionem, violentam occupatio- „ nem, ſubreptitiam impetrationem prædiorum, aut alia- „ rum facultatum Eccleſiaſticarum, ſive fiduciariam Mona- „ ſteriorum poſſeſſionem Laïcis quibuſcumque, etiam Regi- „ bus, Chriſtianiſſimi Principes prohibuerunt, ac Sacrilegii „ damnârunt; non fructuum, durante vacatione, prove- „ nientium perceptionem ac diſpenſationem, quæ ratione „ Cuſtodiæ ac Defenſionis eorum debita erat Majeſtati, ut „ colligitur ex Can. *Tributum*, cauſa 23. q. 8. *De exterioribus* „ *Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt pro pace & quiete,* „ *qua nos tueri & defenſare debent, Imperatoribus perſolven-* „ *dum eſt.*

2. RESP. Ubique Autor principium petit, ſupponens, Reges Jure Cuſtodiæ fructus Eccleſiaram vacantium ſuos feciſſe: quod cùm falſum eſſe jam probaverimus, perperam inde concludit, hujuſmodi uſum-fructum non contineri ſub nomine *invaſionis, direptionis, violentæ occupationis.* Sed quid reſpondet ad pronuntiatum illud, nullâ temporis vacationis exceptione circumſcriptum, quod refertur ex cap. 393. lib. 6. Capitular; *Laïcis quamvis Religioſis, nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur unquam attributa facultas?* Nonne vacationis Eccleſiarum tempus erat excipiendum, cùm apertè videretur excludi verbis illis, *Nulla unquam facultas*?

3. Si alia teſtimonia ex Capitularibus in Tractatu Appamienſi lib. 1. cap. 7. relata, minùs patent, minùſque Regaliæ ſpeciem impugnare Patri Alexandro videntur: proferat ipſe quæ propiùs ad illam accedant, eique ſuffragentur. Autor

tor enim prædicti Tractatûs declarat. lib. 1. cap. 7. (pro quo *Art.2.*
à P. Alexandro citatur caput ſextum) quòd cùm locis à ſe ad- §. 11.
ductis, & pluribus aliis, ſecuritati bonorum Eccleſiaſticorum conſulatur, nuſquam Capitularia probant quòd Principes uſum-fructum illorum bonorum juſtè ſibi vendicent, ſive plenis, ſive vacantibus ſedibus. Illi Declarationi reſpondendum erat objectis Capitulis, Regibus Chriſtianiſſimis uſum-fructum Eccleſiarum, Paſtore deſtitutarum, adſcribentibus, aut ſaltem huic juri magis faventibus, quàm adverſentur alia. Concilium Troſleianum uſum illum damnâſſe, illiuſque Decretum, quod infra §. 16. ab Autore Diſſertatiónis refertur, & Decretum Concilii Regenſis, ad tempus ante reſerationem Teſtamenti Epiſcopi defuncti, aut ad bona mobilia non poſſe reſtringi, ibi demonſtrabimus.

4. Opponit Canonem *Tributum* 23. quæſt. 8. *De exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete, quâ nos tueri & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt.* Verùm telum hoc ferit mittentem potiùs quàm ſcopum propoſitum. Primò hæc verba, *de exterioribus Eccleſiæ,* non poſſunt de Beneficiorum collatione pleno Jure facienda intelligi. Secundò *quod conſtitutum antiquitus eſt*, non poteſt dici Jus Coronæ Regiæ inſitum, ſed ex communi partium conſenſu pactum. Tertiò Imperatoribus perſolvendum eſt: non ergo debent ipſi fructus recipere, ac ſuos facere, ſed illos tueri & defenſare, eoque nomine, *quod conſtitutum antiquitus eſt Imperatoribus, perſolvendum eſt.* Oſtendat ergo P. Alexander *quod conſtitutum antiquitus ſit pro pace & quiete* quâ Reges Chriſtianiſſimi Eccleſias *tueri, & defenſare debent:* Ipſiſque *de exterioribus Eccleſiæ* perſolvendum conſentiemus.

5. Tantùm abeſt ut Canonem, *Tributum* reformidemus, ut po-

*Art.*2. ut potiùs illum aliis Canonibus corroborandum ducamus ;
§. 11. quo certum ſit, Cuſtodes Eccleſiarum nihil ab illis ratione Cuſtodiæ exigere poſſe, niſi quod ipſis conſtitutum eſt. Hoc igitur adhuc confirmatur autoritate Concilii Remenſis Anno 1148. ab Eugenio III. celebrati Can. 6. *Autoritate quoque Apoſtolicâ*, inquit Pontifex, *prohibemus, ut nullus Advocatus, præter Jus & Beneficium antiquitus conſtitutum, ſibi aliquid accipere vel uſurpare præſumat* &c.

6. Concilii Lateranenſis IV. an 1215. Caput 45. ſic concluditur : *Cùm igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri : prohibemus expreſſè, ne Patroni vel Advocati, ſeu Vicedomini, ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quàm reperiatur in Jure permiſſum : & ſi contra præſumpſerint, diſtrictiſſimè per ſeveritatem Canonicam compeſcantur.*

7. Conſonat Lucius III. cap. *Præterea. de Jure Patronatus ; præſenti decreto ſtatuimus, eos, ſive Advocati, ſive Patroni, vel Vicedomini, ſive Cuſtodes vel guardias habentes, ſeu quocunque alio nomine cenſeantur, à gravaminibus Eccleſiarum ceſſare, nihilque in ipſis præter antiquos & moderatos reditus à Locorum Epiſcopis inſtitutos, exigere : aut, ſi aliud exegerint, excommunicationi ſubdantur.* Hæc ſufficiant. Alia enim variis in locis proferet ipſemet P. Alexander, unde certum ſit, Cuſtodes ac Defenſores ex Eccleſiis nihil, niſi quod ſibi ex pacto, vel ex antiquâ poſſeſſione competit, exigere abſque injuſtitiâ poſſe.

§. DUO-

§. DUODECIMUS.

De Caroli Calvi Regis exemplo.

1. DISSERT. „ Objicit nuperus Regiorum Jurium „ Oppugnator Caroli Calvi Regis exemplum, qui „ reditus ex Eccleſia Remenſi vacante perceptos, „ Hincmaro Archiepiſcopo reſtituit, ſtimulis con- „ ſcientiæ compulſus, ut Flodoardus teſtatur lib. 3. cap. 4. „ Verùm Hincmari Præceptum de fructibus vacationis tem- „ pore perceptis ne verbum quidem habet, nec eos reſtituit „ Rex Carolus, cùm perſuaſum haberet ſe in eorum delibera- „ tione perceptis jure ſuo uſum, & eos ad Regni defenſionem, „ & conſervationem difficillimis temporibus impendiſſet: Sed „ quia decem ferè annis Epiſcopatum vacantem tenuerat, & „ Eccleſiæ Villas in Beneficia militaria converterat, earumque „ uſum-fructum ſuis fidelibus conceſſerat ad tempus, officii „ ſui ac Religionis eſſe meritò exiſtimavit, ſedatâ bellorum „ tempeſtate, & neceſſitate ſublatâ, poſſeſſiones illas Eccle- „ ſiæ Remenſi reſtituere; omneſque conſcriptiones, quibus „ villas in præcepto ſuo nominatas obligaverat, reſcidit. Ver- „ ba ejus reſponſionem noſtram confirmant: *Si illa quæ qua-* „ *cunque neceſſitate corrupta ſunt, Regia noſtra Auctoritate cor-* „ *rigimus, & in melius commutamus, ſaluti noſtræ conſulimus,* „ *& Regium Miniſterium ſuſceptum à Domino exercemus. Proin-* „ *de noverit omnium fidelium Dei ac noſtrorum ſolertia, quia res* „ *ex Epiſcopatu Remenſi, quos magna neceſſitate & per omnia* „ *inviti, dum à Paſtore ſedes illa ſancta vacaret, fidelibus noſtris* „ *ad tempus, unde quoddam temporale ſolatium à noſtre haberent*

Art.2. „*ſervitio, commendavimus, electo, & ordinato munere Spiri-*
§. 12. „*tus Sancti, per Dei & noſtram diſpoſitionem, in eadem Sancta*
„*ſede Hincmaro Archiepiſcopo, hoc noſtræ auctoritatis præcepto*
„*cum integritate quicquid exinde nos fidelibus noſtris beneficia-*
„*vimus, præſentialiter reſtituimus, tum Sparnacum, & Julia-*
„*cum vel quicquid ex eodem Epiſcopatu Richinus habuit, vel*
„*quicquid exinde Odo Comes habuit, & Villam Culmiſciacum* &c.
„*ſive etiam illa omnia quæ tam Clerici quàm Laïci, qui in noſtra*
„*dominatione aliquandiù fuerant, quoſque jam dicto Epiſcopo*
„*commendavimus, habebant. Et ut in calce omnia concludamus,*
„*quicquid ex eodem Epiſcopatu, quando de manu Fulconis il-*
„*lum recepimus, alicui præſtito beneficio conceſſimus, per hanc*
„*noſtræ confirmationis auctoritatem, inſpecto coram cætu fide-*
„*lium noſtrorum tam Eccleſiaſtici, quàm Laïcalis ordinis Teſta-*
„*mento S. Remigii, præſentialiter Caſæ S. Mariæ, & S. Re-*
„*migii, atque Hincmaro Archiepiſcopo, cum omni integritate*
„*reddimus, vel reſtituimus, ut abſque ulla refragatione, ceſſa-*
„*tis quibuſcunque aliis conſcriptionibus, eaſdem res per hanc no-*
„*ſtram auctoritatem recipiat: ut ſicut Res Eccleſiæ diſponendæ*
„*ſunt, ad utilitatem ipſius Eccleſiæ Dei, tam ipſe quàm Succeſſores*
„*ipſius diſponant.*

2. RESP. Nimis aſſeveranter ſcripſit P. Alexander, Hincmari, vel potiùs Caroli Calvi præceptum de fructibus tempore vacationis perceptis, ne verbum quidem habere? Quid ergo ſibi volunt illæ voces, *Unde quoddam temporale ſolatium à noſtro haberent ſervitio?* Nonne apertè ſignificant uſum-fructum Eccleſiæ Remenſis vacantis à Carolo Calvo conceſſum? *Res*, inquit Carolus Calvus in illo præcepto, *ex Epiſcopatu Remenſi, quas magna neceſſitate, & per omnia inviti, dum à Paſtore Sedes illa Sancta vacaret fidelibus noſtris,*

AD

AD TEMPUS UNDE QUODDAM TEMPORALE SOLATIUM *à noſtro haberent ſervitio commendavimus.* Ec- quod aliud TEMPORALE SOLATIUM fideles Regis poterant à rebus Eccleſiæ percipere, quàm uſum-fructum: quandoquidem erant illis *ad tempus* tantùm *commendatæ?* Porrò ſi Rex illum uſum-fructum tempore vacationis legitimè ſibi vendicare potuiſſet; cur non potuiſſet etiam inde *fidelibus ſuis ad tempus quoddam temporale ſolatium concedere?* Art.2. §. 12.

3. Hanc tamen conceſſionem legitimam non fuiſſe; ſatis innuit ipſemet Carolus: *Si illa*, inquit, *quæ quacunque neceſſitate corrupta ſunt, Regia noſtra auctoritate corrigimus, & in melius commutamus, ſaluti noſtræ conſulimus, & Regium Miniſterium ſuſceptum à Domino exercemus. Corrupta* ergo, id eſt injuſta fuerat illa conceſſio: *corrigenda* erat, ut Rex *Saluti ſuæ conſuleret, & Regium Miniſterium ſuſceptum à Domino exerceret*; id eſt officio Eccleſiæ protegendæ ac defendendæ Principibus à Deo impoſito, faceret ſatis. Sub finem autem ejuſdem præcepti ſpondet, quod omiſit P. Alexander, nunquam ſe ſimilia præſtiturum, & ne quis ex Succeſſoribus ſuis præſtet, per Chriſtum obſecrat; *Nos ulterius tale quiddam erga ipſam Caſam Dei non acturos ſpondemus, & ut nemo Succeſſorum noſtrorum agere moliatur, per Omnipotentem Dominum ejuſdem Virginis filium obſecramus.* Hîc quoque obiter nota P. Alexandri affectum. Nam quod Carolus Calvus fatetur *corrnptum, & corrigendum, ut Saluti ſuæ conſulat & Regium Miniſterium à Deo ſuſceptum exerceat, licet magna neceſſitate, & per omnia invitum* ſe feciſſe aſſerat, nunquàm alias facturum ſpondet, & alios à faciendo deterret: ille ita narrat, ut approbare videatur. *Præceptum*, inquit, *de*

T 2 *fructi-*

Art.2. *fructibus vacationis tempore perceptis, ne verbum quidem habet,*
§. 12. *nec eos reſtituit Rex Carolus, cùm perſuaſum haberet ſe in eorum deliberatione perceptis jure ſuo uſum* &c. Quin etiam indicat, non fuiſſe Regem obligatum ad reſtituendas Eccleſiæ Remenſi, ſeu Epiſcopo conſecrato, res, Laïcis traditas (nedum earum uſum-fructum) niſi *ſedatâ bellorum tempeſtate, & neceſſitate ſublatâ.*

4. At fortè in eo tantùm peccaverat Rex, *quia decem ferè annis Epiſcopatum vacantem tenuerat*, ut inſinuat P. Alexander. Peccaverat quidem, & graviter etiam in hoc: verùm non hoc peccatum confitetur modò. Non enim vacationi Sedis providet, jam ſcilicet electo & ordinato *in eadem Sancta Sede Hincmaro Archiepiſcopo. Sed quia Res ex Epiſcopatu Remenſi, dum a Paſtore Sedes illa Sancta vacaret, fidelibus ſuis ad tempus, unde quoddam temporale Solatium à ſuo haberent ſervitio, commendaverat. Ideò quod curruptum fuerat, corrigens, Saluti ſuæ conſulens, & Regium Miniſterium exercens, ſuæ auctoritatis præcepto cum integritate, quicquid exinde fidelibus ſuis beneficiaverat, præſentialiter reſtituit* &c.

5. DISSERT. „ Tantùm verò abeſt quin reditus vacan-
„ te Eccleſiâ perceptos reddiderit, ut nec poſſeſſiones omnes
„ tunc reſtituerit, ſed de cæteris rebus, quæ tunc redditæ
„ non fuerant, ab iis qui uſum-fructum illarum habebant,
„ nonas & decimas Eccleſiæ ſolvi juſſerit, ut conſtat ex alio
„ præcepto ejuſdem Regis, quod ibidem refert Flodoardus:
„ *Jubemus*, inquit, *ut quiſquis fidelium Dei Omnipotentis,*
„ *noſtrorumque ex eiſdem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vel*
„ *Sancti Confeſſoris Chriſti Remigii, Remorum Eccleſiæ rebus,*
„ *ſive Epiſcopatus Religioſiſſimi & Dilectiſſimi nobis Hincmari*
„ *Venerabilis Archiepiſcopi, aliquid habere dignoſcitur, ſive*
per

„*per largitionis noſtræ conceſſionem, ſive per quorumcumque af-* Art. 2.
„*fectionem, vel machinationem, ſive etiam & deprecationem,* §. 12.
„*aliquid tenore aliquo ex prædictis rebus tenere vel poſſidere cer-*
„*nitur, nonam & decimam in Miſſorum noſtrorum præſentia,*
„*Miſſo Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, vel Sancti Remigii Remorum,*
„*ſive Hincmari Venerabilis Archiepiſcopi revadiet: & annis*
„*ſingulis ad eamdem Eccleſiam perſolvere, abſque ullius occa-*
„*ſionis contradictione, cum omni vigilantia ſtudeat.* Hæc
„ omnia diſſimulavit Regiorum Jurium nuperus Oppu-
„ gnator.

6. RESP. Piè nimis de Carolo Calvo ſenſit fortaſſe Autor Tractatûs Appamienſis, (neque enim, ſi quâ in re lapſus eſt, eum defendendum ſuſcipio) cùm Principem illum fructus ex bonis Eccleſiæ Remenſis perceptos, reſtituiſſe credidit. Nec enim ea erat Caroli juſtitia, & erga ſacra Eccleſiarum bona & Jura religio, ut exiſtimemus, eum novo Epiſcopo reddidiſſe fructus, quos ſuis fidelibus dederat: pro magno æſtimandum eſt quòd injuſtitiæ curſum ſtiterit, repoſitâ in bonorum ipſorum poſſeſſione ſpoliatâ Eccleſiâ. Eſt tamen error veniâ dignus, ſi re ipſâ error eſt, quòd fructus reſtituti credantur. Quis enim non excuſet ſubditum, uni ex prædeceſſoribus Principis ſui actionem juſtitiæ adſcribentem; præſertim cùm verba ipſa Principis in Inſtrumento ſolemni contenta, id innuere videntur; qualia ſunt iſta in ſuprà relato Præcepto; *Quicquid exinde nos fidelibus noſtris beneficiavimus, præſentialiter reſtituimus.* Hæc de latifundiis & aliis immobilibus accipienda contendet P. Alexander, nec ego ab hac interpretatione multùm abhorreo: non tamen omni probabilitate caret alia ſententia, ut etiam fructus reſtituti ſint. Cùm enim *res fidelibus Regis, non niſi ad tempus commendatæ fuiſſent,* de Chriſtianiſſimo

Art. 2. §. 13. Rege abſque temeritate ſuſpicari aliquis poſſet, illum non niſi uſum-fructum bonorum commendatorum fidelibus ſuis conceſſiſſe; poſtea verò etiam hanc injuriam reſarciſſe, atque ita quod *corruptum* fuiſſe agnovit, *correxiſſe*, ut *ſaluti ſuæ conſuleret?*

7. Neque hanc opinionem deſtruit P. Alexandri conjectura ex altero præcepto deducta; imò potiùs adſtruere videtur. Nam in primo Præcepto Rex *quicquid fidelibus ſuis beneficiaverat, præſentialiter reſtituit*: ex ſecundo autem infertur, illum *poſſeſſiones omnes tunc non reſtituiſſe*. Concludendum ergo videtur, Regem primo Præcepto non niſi fructus *integros* reſtituiſſe, atque de illis tantùm intelligenda eſſe verba illa Caroli *cum integritate*, dum ait, *cum integritate quicquid exinde nos fidelibus noſtris beneficiavimus præſentialiter reſtituimus.*

8. Sed quidquid ſit de hac opinione, quam Caroli Calvi mores & ingenium mihi minùs probabilem faciunt; conſtat ex ſupradictis, & ex dicendis § ſeq. ampliùs conſtabit, Principem illum reditus Eccleſiæ Remenſis vacantis, non jure ſed contra juſtitiam uſurpâſſe: adeòque ſi illos non reſtituit, reſtituere certè debuiſſe.

9. Non video autem cur P. Alexander libertatis Eccleſiæ Appamienſis defenſori vitio vertat, quòd omiſerit hoc Secundum Præceptum, (Primum enim Præceptum omiſſis aliquibus verbis non neceſſariis, exſcripſit) cùm illud Secundum doctrinæ prædicti P. Alexandri plus obſit, quàm proſit. Cur enim *de cæteris rebus quæ tunc redditæ non fuerunt, ab iis qui uſum-fructum illarum habebant, nonas & decimas Eccleſiæ ſolvi juſſit*, niſi ut, cùm integra reſtitutio Eccleſiæ non fieret, aliquâ ſaltem ex parte illata reſarciretur injuria? Id manifeſtè colligitur ex illius Præcepti principio; ſic enim incipit: *Hincmarus*

marus Sanctæ Eccleſiæ Remorum religioſus, nobiſque valdè dilectus ac venerabilis Pontifex, accedens ad Celſitudinis noſtræ magnitudinem, innotuit manſuetudini noſtræ, quòd ex rebus Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti ac pretioſi Confeſſoris Chriſti Remigii, quæ per parentum anteceſſorum videlicet noſtrorum Regum dationem, ſive per Rectorum ejuſdem Eccleſiæ imprudentiam vel conceſſionem, vel etiam quorumcunque malivolorum machinationem ab eàdem Sanctâ Eccleſiâ abſtractæ eſſe cernuntur, nonæ & decimæ ad eandem prædictam Eccleſiam minimè, ſicut rectum eſt perſolvantur; quæ verba inſinuant, res fuiſſe injuſtè abſtractas; ideoque nonas & decimas ſolvi. Art.2. §. 13.

§. DECIMUS TERTIUS.

De Capitularibus ejuſdem Caroli Calvi.

1. DISSERT. „ Objicit rurſus ille pag. 41. Carolum „ Regem Chriſtianiſſimum in Synodo Pontigonenſi ad ſuggeſtionem Epiſcoporum & Optimatum Capitulare ediſſe an. 876. quo inter alia „ de conſervatione bonorum Eccleſiaſticorum, vacantibus „ præſertim Eccleſiis ita ſtatuit cap. 14. *Ut quotiens Divinum Judicium aliquem Eccleſiæ Præſulem è ſeculo vocaverit*, „ *nullus ad ſuimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat* „ *& ad Jus ſuum transferat; Sed Erogatariis & Eleemoſinariis Eccleſiaſticis, cum ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo*, „ *liberum ſit, canonico more juſtè rationabiliterque deputata* „ *Succeſſori futuro reſervare, vel quibuſcumque ſicut expedit*, „ *pro ejus ſpiritu diſtribuere.* Et in Capitulari Cariſiacenſi anno 877. cap. 9. *Tam de Epiſcopatibus quàm & de Abbatiis vicinus*

Art.2. „ *nus Epiſcopus & Comes prævideant ne aliquis Res Eccleſiaſticas*
§. 13. „ *vel facultates diripiat, & nullus ad eorum eleëmoſynam faciendam impediat.* Ex quibus colligit Auctor Anonymus Regem penes ſe non habuiſſe, nec alteri concedere potuiſſe adminiſtrationem & uſum-fructum bonorum Eccleſiæ vacantis. Verùm Regio Juri ſuo his Capitularibus non derogavit Carolus Calvus; imò illud firmavit, Cuſtodiam & Defenſionem bonorum Eccleſiaſticorum, quæ Regaliæ fundamentum ac legitimus titulus eſt, exercens.

2. RESP. Carolum Calvum Cuſtodiam & Defenſionem bonorum Eccleſiaſticorum habuiſſe verum eſt in aliquo ſenſu: nec minus verum eſt, ipſum non niſi injuſtè ſibi vendicâſſe fructus quarumdam Eccleſiarum vacantium. Certiſſimum ergo eſt illum, qui Cuſtodiam & Defenſionem bonorum Eccleſiaſticorum habet, non idcirco habere etiam jus percipiendorum fructuum Eccleſiarum Cuſtoditarum & Defenſarum. Neſcio quomodo tam lucida veritas P. Alexandri oculos non feriat, etiam de induſtria clauſos. Primò Capitula hîc relata loquuntur de tempore vacationis Eccleſiarum; *Quotiens Divinum Judicium aliquem Eccleſiæ Præſulem è ſeculo vocaverit.* Secundò Adminiſtratio bonorum Eccleſiarum libera relinquitur earum Officialibus: *Erogatariis & Eleëmoſinariis Eccleſiaſticis, cum ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo, liberum ſit Canonico more juſtè rationabiliterque deputata Succeſſori futuro reſervare.* Tertiò adminiſtratio illa fieri jubetur *Canonico more*; Mos autem Canonicus à Calchedonenſi Canone 25. præſcriptus, eſt ut *reditus viduatæ Eccleſiæ integri reſerventur apud œconomum ejuſdem Eccleſiæ:* qui quidem mos pluribus aliis Canonibus confirmatus eſt. Nullo autem Canone, nulloque more inductum fuerat, ut Principes reditus Eccleſiarum

rum vacantium ſibi tribuerent. Si ergo addamus cum P. A- *Art.2.*
lexandro, Carolum Calvum nihilominus *cuſtodiam & de-* §. 13.
fenſionem bonorum Eccleſiaſticorum exercuiſſe; neceſſariò inferendum erit, fructus Eccleſiarum vacantium Cuſtodiæ & Defenſionis Regiæ honorarium non fuiſſe.

3. DISSERT. „ Inepta porro eſt hæc argumentandi ratio: Qui prohibuit ne bona Eccleſiæ quis invaderet, ac „ diriperet, non habuit, nec concedere potuit illorum uſum- „ fructum vacationis tempore: Sed Carolus Calvus prohi- „ buit ne quis vacantis Eccleſiæ bona diriperet ac invaderet: „ ergo non habuit, nec alteri dare potuit eorum uſum-fru- „ ctum tempore vacationis. Hoc tamen Autoris Anonymi ra- „ tiocinium eſt, ſi ad formam Scholæ reuocetur.

4. RESP. Non ita ratiocinatur Autor Tractatûs Appamienſis. Mutilavit ejus ratiocinationem P. Alexander, ut *inepta* videretur. *Si ad formam Scholæ revocetur*, argumentum prædicti Tractatûs, ſic eſt diſponendum: Principes ſtatuentes, ut bona Eccleſiarum vacantium ab Oeconomis & aliis Officialibus illarum liberè ac Canonico more adminiſtrentur, prohibenteſque, ne ab aliis invadantur & diripiantur, agnoſcunt, reditus illarum Eccleſiarum non pertinere ad ſe ratione Cuſtodiæ vel Defenſionis: Atqui Carolus Calvus hujuſmodi ſtatuta edidit: Ergo agnovit reditus Eccleſiarum vacantium ad ſe non pertinere. Major propoſitio per ſe patet, modò verba quibus conſtat, præſertim iſta: *Canonico more*, intelligantur. Nam ex Can. 25. Concilii Calcedonenſis ab Autore Tractatûs Appamienſis ibidem relato, & ex teſtimoniis Hincmari quæ duobus §. §. ſequentibus exſcribentur, quibus conſonant plurima alia à Præfato Autore cap. præcedenti, hoc eſt ſexto Primæ partis & alibi allegata, perſpicuum

Art. 2. ſpicuum eſt, morem Canonicum fuiſſe, ut reditus Eccleſia-
§. 11. rum viduatarum futuro Epiſcopo reſervarentur. Nec poterit unquam P. Alexander, quantumvis in Eccleſiaſticâ diſciplinâ verſatus, aliquem Canonem ſub primâ vel ſecundâ Regum Dynaſtiâ editum invenire, ex quo vel probabiliter colligatur, morem aliquem Canonicum fuiſſe, juxta quem Principes illos reditus ſibi vendicarent. Minor verò propoſitio conſtat ex Capitulari Caroli Calvi. Conſequentia legitima eſt: Quomodo ergo potuit Rex ille ſtatuere ut *Erogatariis & Eleemoſinariis Eccleſiaſticis, cùm ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo liberum eſſet* CANONICO MORE *juſtè rationabiliterque deputata Succeſſori futuro reſervare*, & tamen immediatam illorum adminiſtrationem ſolidumque uſum-fructum ſibi vendicare?

5. DISSERT. „At, inquit, jubet Rex vacantis Eccle-
„ ſiæ bona ab Eleemoſinariis Eccleſiaſticis & Oeconomo, fu-
„ turo reſervari Succeſſori. Reſpondeo primò, id intelligi poſ-
„ ſe de bonis ab Epiſcopo relictis, de pecuniâ, annonâ, ſup-
„ pellectili tam Sacrâ quàm profanâ. Nam annona & pecuniæ
„ ab Eleemoſinariis & Oeconomo ad pauperum ſuſtentatio-
„ nem erogabantur, aut futuro ſervabantur Succeſſori, cum
„ ſuppellectili Eccleſiæ & domus Epiſcopalis. Nec tamen id
„ prohibebat quin fructus vacationis tempore provenientes,
„ Rex ſuos faceret ratione cuſtodiæ ac defenſionis; quam
„ Eccleſiis earumque bonis hoc maximè tempore impendebat.

6. RESP. Jam everſa eſt hæc reſponſio. Primò enim, quodnam inuenit P. Alexander fundamentum Officialium Eccleſiaſticorum cuſtodiam ad bona mobilia reſtringendi. Nonne hæc bona utpotè direptioni magis expoſita, magis Regiâ Cuſtodiâ indiguiſſent? Non enim tantum erat periculi; ne

ager

ager uſurparetur, quàm ne pecunia ſubriperetur. Si ergo Rex eorum quæ in majori verſabantur periculo Cuſtodiam immediatam non aſſumebat, ſed eam more Canonico liberam Officialibus Eccleſiaſticis permittebat, unde didicit P. Alexander, illum bona immobilia immediatè cuſtodîſſe? Secundò cùm ipſemet Autor §. 3. inter bona, quæ Officialibus Eccleſiaſticis cuſtodienda præcipiuntur à Concilio Pariſienſi V. Can. 7. recenſeat greges & ſervos, quo jure illorum fructus & emolumenta ſua feciſſet Rex? *Art. 2. §. 11.*

7. DISSERT. „Reſponderi ſecundò poteſt, Regem „ſuo Jure uti; prout ejus Majeſtati placet: Carolum Calvum „noluiſſe fructus Eccleſiarum vacantium in ſuos aut ſuorum „uſus convertere, niſi gravis urgeret neceſſitas, qualis „ipſum olim impulerat, ut vacantis Eccleſiæ Remenſis bona „ſuis fidelibus in beneficium daret: edixiſſe ut futuro ſervarentur Succeſſori; illudque pietatis ipſius argumentum Succeſſoribus Regibus legem non impoſuiſſe, ſed exemplum „præbuiſſe.

8. RESP. Tam apertè iniqua erat uſurpatio bonorum Eccleſiæ Remenſis à Carolo Calvo facta, ut vix auſim aſſerere P. Alexandrum illam omninò excuſare voluiſſe. Ita tamen hîc & ſuperiori §. de illa loquitur, ut culpâ vacâſſe inſinuet. Quod ſi ſuadere aliis voluit (nec enim ipſum ita ſenſiſſe arbitror) rem præſtitit Sacerdote & Religioſo indigniſſimam. Verùm quidquid ſit de hâc ejus mente, neſcio quis Hiſtoriarum Gallicanarum peritus ei fidem habebit, reſpondenti, *Carolum Calvum noluiſſe fructus Eccleſiarum vacantium in ſuos aut ſuorum uſus convertere; ſed edixiſſe ut futuro ſervarentur Succeſſori, illudque pietatis ipſius argumentum Succeſſoribus Regibus legem non impoſuiſſe, ſed exemplum præbuiſſe.* Primò enim

*Art.*2. enim Caroli Calvi ingenium ad uſurpanda bona Eccleſiarum
§. 13. quàm ad ſua illis largienda propenſius fuiſſe, qui ejus Hiſtoriam legunt, non poſſunt non animadvertere. Secundò verba illa jam ponderata, *Canonico more juſtè rationabiliterque deputata Succeſſori futuro reſervare*, non liberalitatem ſed juſtitiam ſignificant. Tertiò Epiſcopi, quibus inſtantibus Capitula edidit Carolus, non quæ Regis erant Eccleſiæ dari, ſed Eccleſiæ quæ ſua erant reſtitui aut conſervari poſtulaverant.

9. Plurima ſunt in Conciliis circa id temporis celebratis, præcipuè in Concilii Meldenſis Anno 845. præfatione ac multis Canonibus, ex quibus colligimus, magnam fuiſſe Caroli Calvi tempore Eccleſiæ oppreſſionem. Canonis undecimi hujus Concilii verba ſunt iſta: *Occaſionem & fomitem, undè ordo Eccleſiaſticus, & Canonica forma, atque Monaſtica Religio, ſæpè à longe ſuperiori tempore, cùm minus Religioſos Principes habuit, titubavit, & pene collàbens deperiit: Et iterum cùm devotos & in Dei Zelo ferventes Principes accipere meruit, reſurrectione quâdam revixit, atque ſui proceſſûs tempore ambulavit*; QUOD NON SINE GRAVI DOLORE ET METU ULTIONIS DIVINÆ DICIMUS IN VESTRI REGIMINIS TEMPORE, IN DESTRUCTIONEM, ET NON IN ÆDIFICATIONEM SICUT PAULUS DOCUERAT, ACCIDISSE CONSPICIMUS. Et poſt multa; *Nec violentâ ablatione, nec illicitorum præceptorum confirmatione Res ab Eccleſiis vobis ad tuendum ac defenſandum ac propagandum commiſſis, auferre tentate* &c.

10. Regem autem non fuiſſe ob neceſſitatem excuſatum innuit Canon 20. *Et ne magnificentiam veſtram illuc veſtræ*

dignitati

dignitati indecens, & inhoneſta impellat neceſſitas, quò non tra- Art. 2.
hit voluntas, & partim ex neceſſitate, partim etiam ſubre- §. 13.
ptione &c.

11. Tantùm autem abeſt, ut Epiſcopi ſibi aut Eccleſiis non debita dari rogâſſe fateantur, ut declarent è contra ſe multo pauciora petere ob temporum calamitatem, & perſonarum fragilitatem, quàm diſciplina Canonica exigeret. Sic enim ajunt Can. 79. *Hæc autem conſtituimus, non præjudicantes, aut parvi pendentes quæ à Majoribus & Prædeceſſoribus noſtris fortè ſeverius propter Rigorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſunt conſtituta;* SED TEMPORI SERVIENTES, ET FRAGILITATI DELINQUENTIUM.

12. DISSERT. „Quod etiamnum Rex Chriſtianiſſi„mus Ludovicus Magnus imitatur, Oeconomatum, admi„niſtrationem, uſum-fructum bonorum Eccleſiarum vacan„tium deſignatis concedens Epiſcopis, exiguâ portione exce„ptâ, quæ ad novorum Catholicorum ſubſidium deſtinatur.„

13. RESP. Laude dignus ſine dubio eſt Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. quòd reditus Eccleſiarum vacantium, in quibus Regalia ex antiquâ conſuetudine locum habet, Epiſcopis dimittat; *exiguâ portione exceptâ in ſubſidium novorum Catholicorum.* Sed vituperio digniſſimi ſunt Conciliarii, qui ſuæ Majeſtati Autores fuerunt, ut Regaliam ad omnes Eccleſias in ſuâ ditione conſiſtentes protenderet. Nec diſſimulandum eſt, laudem multò majorem meruiſſe Ludovicum XIII. qui literis ſuis an. 1641. menſe Decembri datis, omnes reditus Eccleſiarum Regaliæ ſubjectarum, dum vacarent, futuris Epiſcopis irrevocabiliter dimiſerat, idque, ut profitetur, quia cùm illos in pios uſus convertere teneretur, duxerat utilius ac juſtius eſſe, ut eos Epiſcopis relinqueret, æquum ra-

Art. 2. tus, ut Eccleſiæ, ad quas pertinebant, quaſi ex propriâ ipſo-
§. 11. rum naturâ, (*Gallicè naturellement*) inde juvarentur; quàm Ludovici XIV. tunc ætate minoris Officiales, qui ſuæ Majeſtatis nomine revocârunt literas juri ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ adeò conſentaneas, etiamſi literæ revocatoriæ ſignificant, Regem Chriſtianiſſimum reditus illos Epiſcopis à ſe nominatis, conceſſurum, idque eâ ratione, quam hîc refert P. Alexander, exequatur. Hâc enim revocatione effectum eſt, ut ſuæ Majeſtatis Succeſſores, ſi minori pietate ac juſtitiâ prædìti fuerint, poſſint in alios uſus bona Deo Sacra transferre. Porrò quamvis concederemus, literas Ludovici XIII. liberalitatem, & non nativæ, antiquæ, Canonicæque libertatis reſtitutionem continuiſſe: cùm tamen donatio *irrevocabiliter* facta fuiſſet, beneficium à Principe conceſſum præſertim Eccleſiis, decebat, imò oportebat eſſe perpetuum.

14. At, inquies, revocari potuerunt, quia Regalia Jus eſt Coronæ. Sed libertas eſt Jus Eccleſiæ multò certius ipſique multò magis proprium. Quamobrem cùm res de facili ad ſuam naturam revertantur, Eccleſia prædictis literis ſuam antiquam libertatem ex poſtliminio recepiſſe cenſenda erat, nec poterat iterum in ſervitutem, licet mitiorem, redigi. Quid quod Ruzæus Regaliſtarum omnium celeberrimus, inter Regaliæ Privilegia refert, quòd non fructus modò temporales, ſed & integrum Regaliæ Jus Eccleſiæ poſſit dimitti. *Undecimum*, inquit, *Privilegium eſt, quod Jus Regaliæ poteſt remitti per Regem:* quod ſex rationibus probat, & contrariis reſpondet. Vide quæ dicentur Art. 4. n. 40. circa obſervationem tertiam, de ſtabilitate donationum Regiarum.

§. DE-

§. DECIMUS QUARTUS. *Art.2. §. 14.*

De 25. Canone Concilii Chalcedonenſis.

1. DISSERT. „ Objicit idem Auctor lib. 2. cap. 5. „ Concilii Chalcedonenſis Canone vigeſimo quin-„ to cautum eſſe, ut vacantium Eccleſiarum reditus „ apud Oeconomos deponantur, futuro ſervandi „ Succeſſori : *Reditus verò viduatæ Eccleſiæ*, inquit, *integros* „ *reſervari apud Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ placuit*: Hunc „ Canonem inſertum fuiſſe Codici Canonum quo Gallicana „ utebatur Eccleſia: Hanc diſciplinam in Concilio Aurelia-„ nenſi II. & in Conciliis Hiſpanienſibus Valentino & Iler-„ denſi confirmatam : Hincmarum teſtem eſſe locupletiſſi-„ mum quòd in Galliis obſervata fuerit, vel obſervari debue-„ rit: Epiſtolâ quippe 9. ad Epiſcopos & Proceres Provinciæ „ Remenſis cap. 41. ſcribere : *Et ſicut Epiſcopus & ſuas &* „ *Eccleſiaſticas facultates ſub debitâ diſcretione in vita ſua di-* „ *ſpenſandi habet poteſtatem, ita facultates Eccleſiæ viduatæ poſt* „ *mortem Epiſcopi penès Oeconomum integræ conſervari jubentur* „ *futuro ſucceſſori ejus Epiſcopo ; quoniam res & facultates Ec-* „ *cleſiaſticæ non in Imperatorum atque Regum poteſtate ſunt ad* „ *diſpenſandum, vel invadendum, ſive diripiendum, ſed ad de-* „ *fenſandum atque tuendum*: Et Epiſt. 29. ad Carolum Calvum „ Regem, pag. 330. *Adeò res & facultates Eccleſiæ poteſtati* „ *Epiſcopi, Sancto Spiritu decernente, committuntur, ut à* „ *magna Synodo Chalcedonenſi, etiam poſt mortem Epiſcopi, redi-* „ *tus Eccleſiæ viduatæ futuro Epiſcopo, penès Oeconomum ejuſ-* „ *dem Eccleſiæ integræ conſervari jubeantur.* His addi poſſunt, „ quæ ſcribit ad Epiſcopos Synodi Sueſſionenſis Epiſt. 21. de Vulfa-

*Art.*2. „ Vulſado : *Lingonenſem Eccleſiam Paſtore viduatam, ut ibi or-*
§. 14. „ *dinaretur Epiſcopus, ſub nomine vocati Epiſcopi uſurpare præ-* „ *ſumpſit, ejuſque facultates, quæ ſecundùm Chalcedonenſe Con-* „ *cilium penes Oeconomum futuro debuerant reſervari Epiſcopo,* „ *ſuis ſuorumque uſibus arrogavit.* Denique Epiſt. 45. de trans- „ lationibus Epiſcoporum, contra Actardum Nannetenſem, „ pag. 758. *Niſi viri & uxoris legalis conjunctio ad Epiſcopi &* „ *Eccleſiæ ſibi conjunctæ myſterium pertineret, magnum Chalcedo-* „ *nenſe Concilium defuncto Epiſcopo viduatam Eccleſiam non voca-* „ *ret, cujus reditus penès Oeconomum futuro reſervari jubet Epi-* „ *ſcopo, nec ab aliis quibuſque, vel vivente vel defuncto cujuſcun-* „ *que civitatis Epiſcopo, uſurpari vel peſſumdari.*

„ Addi poteſt, Annales Bertinianos ad annum 882. ejus- „ dem diſciplinæ teſtes eſſe, cùm Carolo Craſſo Imperatori „ vitio vertunt, quòd Hugoni Junioris Lotharii filio *faculta-* „ *tes Eccleſiaſticas Metenſis Epiſcopi, quas ſacri Canones futuro* „ *Epiſcopo reſervari præcipiunt, ad conſumendum remiſerit.*

„ Gerbertum denique Remenſem Archiepiſcopum, qui „ poſtea fuit Summus Pontifex Silveſter II., Epiſt. 118. Clero „ & populo inſcriptâ, laudat nuperus Auctor Tractatûs de Re- „ galiâ, dicentem : *Sit interim veſtra privigil cura, ut ſecundùm* „ *divinas & humanas leges, res defuncti Epiſcopi tam mobiles* „ *quàm immobiles futuro reſerventur Epiſcopo.* Ex quo eandem „ diſciplinam initio tertiæ Regum noſtrorum Dynaſtiæ vi- „ guiſſe colligit.

2. RESP. Adeò gravia luculentaque ſunt hæc teſtimonia, ad probandum Regaliam non fuiſſe in uſu ſub primâ Regum Francorum Dynaſtiâ, neque ſub ſecundâ, imò nec initio tertiæ, ut illis non niſi poſt reſumptum ſpiritum reſpondere potuiſſe Diſſertator videatur, dilatâ in §. ſequentem reſponſione.

ſione. His tamen addi alia poſſent, verbi gratia Epiſt. S. Agapeti, & alia, de quibus ſequenti §. Sed audiamus quid meditatus ſit ad defenſionem ſuæ theſis contra tela tam valida. *Art.2.* §. 15.

§. DECIMUS QUINTUS.

Reſponſiones P. Alexandri ad autoritates §. ſuperiore relatas, earumque Confutatio.

1. DISSERT. „ Reſpondeo, Canonem Concilii „ Calcedonenſis, etſi Codici Canonum Eccleſiæ „ Gallicanæ inſertum, non ideò in Gallicanâ Ec- „ cleſiâ ſtatim receptum & conſtanter obſervatum „ videri.

2. RESP. An non timendum P. Alexandro, ne violatarum libertatum Eccleſiæ Gallicanæ reus habeatur, dum Concilii quarti Generalis, antiquiſſimi ac numeroſiſſimi Canonem in Galliâ receptum negat, cùm celeberrimæ illæ libertates in accuratiſſimâ Canonum, præſertim quatuor Conciliorum Generalium obſervatione à Scriptoribus Gallicis reponantur. Qui erunt ergo Canones, circa quos obſervandos libertates Gallicanæ verſentur, ſiquidem illi non ſunt, quos complectitur ſpecialis illius Eccleſiæ Codex? Vel, ſi in eo Codice continentur Canones, qui ſunt Libertatum Gallicanarum fundamenta, quo ſigno diſcernentur, ſiquidem cùm aliis in Galliâ minimè receptis permiſti ſunt? An uſu, & praxi? Probandus igitur erat uſus Galliæ Canoni Concilii Calcedonenſis contrarius.

3. Commoda eſt reſponſio contra omnium Canonum Autoritatem, illos non fuiſſe receptos. Sed præterquàm quòd

Art. 2. hæc reſponſio ſupponit vim Canonis ab acceptione pendere,
§. 15. quod falſum eſt, niſi vel juſta & neceſſaria ſit illius non recipiendi cauſa, vel Superior, ſaltem tacitè, conſentiat, ut niſi receptus ſit, non obliget; aliundè, cùm in favorem legis, præſertim Eccleſiaſticæ, præſumendum ſit: qui Canonem non receptum fuiſſe affirmat, tenetur probare; maximè ubi extant argumenta contrarium tam validè probantia, ut in hoc caſu. Cur enim, fatente Patre Alexandro, in Codicem proprium Eccleſiæ Gallicanæ (quiſquis ille fuerit: diſſentiunt enim circa illum Gallici ſcriptores) relati fuerunt Canones, niſi ut obſervarentur. Verùm ex præcedentibus §. §. conſtat, & ex dicendis adhuc conſtat, diſciplinam Canonis Concilii Calcedonenſis fuiſſe in uſu, tum ante illud Concilium; ut patet ex decreto Concilii Regenſis an. 439. celebrati, tum poſt illud Concilium, ut teſtatur Canon Concilii Aurelianenſis II. an. 536. & alii jam citati, aut mox citandi.

4. Eum uſum abſolutè negare nec ipſe audet P. Alexander, ſed propoſitionem ſuam temperat particulis illis, *ſtatim*, &, *conſtanter*; *Non ideo*, inquiens, *in Gallicanâ Eccleſiâ* STATIM ACCEPTUM, ET CONSTANTER obſervatum videri Canonem prædictum: hoc addito temperamento putavit fortè, poſitam in tuto ſuam propoſitionem, qnia ſub ſecundâ Regum Dynaſtiâ Eccleſiarum vacantium reditus à Regibus injuſtè uſurpatos legit. Quaſi verò ſtatim ut aliquis Canon violatus reperitur, non receptus dici poſſit, aut etiam non conſtanter obſervatus, ſi paucæ ſint violationes, aut publicè improbatæ. Poſſet quidem particula illa, *ſtatim*, verum efficere ſenſum, ſi ita acciperetur, quòd ſcilicet omnes Canones Concilii Calcedonenſis *ſtatim* ab Eccleſiâ

cleſiâ Romanâ recepti non ſint ; atque adeò neque à Gallicanâ, quæ Romanæ intimè cohærebat, quia nimirum Canone 28. Primatus Epiſcopo Conſtantinopolitano poſt ſummum Pontificem, in præjudicium aliorum Patriarcharum, conceſſus fuerat. Attamen etſi Canonem quoque 25. in Gallicanâ Eccleſiâ non *ſtatim*, receptum eſſe concederemus, ſatis eſſet ut deinde vim ſuam illic obtinuiſſet. Sed cùm tempore Concilii Calcedonenſis Reges Francorum nondum Chriſtianam fidem amplexi eſſent, neque P. Alexander, quæ eſt ejus Religio, intelligit Meroveum, aut etiam Clodoveum adhuc paganum, reditus temporales ſibi vendicâſſe : quid obſtat quò minus Canonem 25. Concilii Calcedonenſis reditus Eccleſiæ viduatæ penes Oeconomum futuro Succeſſori Epiſcopo reſervari jubentis, *ſtatim receptum fuiſſe* credamus ? Cùmque poſt receptam à Regibus Franciæ fidem Concilia etiam Gallicana nunquam non deſtiterint eamdem diſciplinam, ſi quando violabatur, defendere, ut teſtantur Concilia Aurelianenſe II. & Pariſienſe V. ſub primâ Dynaſtiâ, Pontigonenſe & Trollejanum ſub ſecundâ : quâ ratione negatur Canonem illum 25. Calcedonenſem fuiſſe conſtanter obſervatum ? Cùm autem Canones Calcedonenſes, omiſſo 28. &c, ut alii volunt nono & decimo ſeptimo ab Eccleſiâ Romanâ probati fuerint, ac in ejus Codicem, ſive qui à Juſtello, ſive qui à P. Queſnelio editus eſt, relati : & Codex ille in Eccleſiâ Gallicanâ Romanæ ſtrictiſſimè conjunctâ, receptus ſit; quare Canonem prædictum repudiatum fuiſſe, abſque ullâ vel probabili conjecturâ, affirmabimus ? Cur non licet è contra ejus receptionem & executionem ex eo etiam colligere quòd inſertus fuerit Codici Canonum, quo Gallicana utebatur Eccleſia? Art. 2. §. 15.

5. DISSERT. „ Sicut nec vigeſimum ſextum, qui Epi-

Art.2. „ ſcopis vetat ne per ſe abſque Oeconomo de Clero proprio
§. 15. „ electo, res Eccleſiæ tractent, & diſpenſent. Quamvis „ enim in Codice Canonum, quo Gallicana Eccleſia utebatur, extaret, Epiſcopi tamen Gallicani ſupremam in bonorum Eccleſiarum ſuarum diſpenſatione & adminiſtratione „ poteſtatem habuerunt, ſub primâ Regum noſtrorum Dynaſtiâ, ut conſtat ex Concilio Agathenſi Can. 22. Aurelianenſi I. Can. 14. & 15. Aurelianenſi III. Can. 5. Tunc nullos Oeconomos in Galliis vetuſta monumenta produnt. „ Primùm apparent lib. 2. Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pii cap. 29. ipſorumque meminit Concilium Pontigonenſe an. 876. can. 14. & frequenter Hincmarus.

6. RESP. Jam ab Apoſtolorum temporibus ea fuit totius Eccleſiæ conſtans Diſciplina, ut adminiſtrandorum bonorum Eccleſiæ præcipua autoritas, penes Epiſcopum eſſet: quia, ut habetur in Canone 41. ex iis qui Apoſtolis tribuuntur, *ſi Animæ Hominum pretioſæ illi ſunt creditæ; multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut poteſtate ejus omnia indigentibus diſpenſentur per Presbyteros & Diaconos.* Nec aliud probant Canones vigeſimus ſecundus Concilii Agathenſis, decimus quartus, & decimus quintus Aurelianenſis primi, & quintus Aurelianenſis tertii, in quibus propter eximiam illam circa diſpenſandos reditus Eccleſiaſticos Epiſcoporum poteſtatem, mirum non eſt ſi non tam expreſſa fiat Oeconomorum mentio. Illud autem ſilentium argumentum tantùm negativum eſt, atque adeò invalidum adverſus Oeconomos, quos etiam ſub primâ Dynaſtiâ extitiſſe, vel ex eo ipſo colligere liceat, quòd monumenta, quæ ipſorum ſub ſecundâ Dynaſtiâ meminerunt, non illos conſtituant, ſed conſtitutos ſupponunt.

7. Quin

7. Quin etiam falſum eſſe affirmamus, Oeconomos in Ecclesiis Gallicanis non extitiſſe ante tempora Caroli Magni, vel Ludovici Pii, in quorum Capitularibus, ſicut & in Concilio Pontigonenſi an. 876. cap. 14. & apud Hincmarum frequenter expreſſa ſit illorum mentio, licet Oeconomi nomine antea fortè non deſignarentur. Nec enim nomen Oeconomi, ſed Officium nomine ſignificatum in omnibus Eccleſiis Cathedralibus, ſi quæ erant quæ illo carerent, inſtituit Concilium Calcedonenſe Can. 25. Hæc ſunt ejus verba; *Placuit omnem Eccleſiam habentem Epiſcopum, habere Oeconomum de Clero proprio, qui diſpenſet Res Eccleſiaſticas ſecundùm ſententiam proprii Epiſcopi, ita ut Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit, & ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates, & Sacerdotio maledictionis contumelia procuretur.* *Art.2. §.15.*

8. Statuit igitur Canon, Primò ut Epiſcopus præcipuam habeat in diſpenſandis reditibus Eccleſiaſticis Autoritatem: *ſecundum ſententiam*, inquit, *proprii Epiſcopi.* Secundò, ut eâ Autoritate non utatur, niſi conſcio aliquo ex proprio Clero, qui ejus juſſa exequatur; ita ut *Eccleſiæ diſpenſatio præter teſtimonium non ſit*, quia ſcilicet, ut indicant verba ſequentia (*& ex hoc diſpergantur Eccleſiaſticæ facultates*, &c.) Epiſcopi nonnulli ſuâ poteſtate abutebantur.

9. In Eccleſiis autem Gallicanis, ſicut & in reliquis, Epiſcopos principales extitiſſe facultatum Eccleſiaſticarum diſpenſatores, etiam ſub primâ Regni Francorum Dynaſtiâ, certiſſimum eſt, idque probant teſtimonia Conciliorum Agathenſis, & Aurelianenſium à P. Alexandro citatorum. Certum eſt etiam, Epiſcopos Gallicanos non habuiſſe abſolutam & immediatam bonorum omnium Eccleſiaſticorum adminiſtrationem, contra quod infert Diſſertationis Autor, argu-

Art.2. mento negativo ex ſilentio prædictorum Conciliorum. Non
§. 15. deſunt enim teſtimonia poſitiva, quæ conjecturam ex illo ſilentio ſumptam, ſuapte naturâ levem, diſpellunt.

10. Num enim negari poteſt, extitiſſe in Galliâ, ſicut & in aliis Provinciis Archidiaconos etiam ante tempus Concilii Calcedonenſis? Nonne autem proprium erat Archidiaconorum Officium, reditus Eccleſiaſticos adminiſtrare ſub Epiſcopi autoritate? Utrumque certè teſtantur documenta quàm plurima. B. Severus Sulpitius initio Dialogi ſecundi de vitâ S. Martini narrat, Sanctum illum Antiſtitem, qui 50. annis ante Concilium Calcedonenſe mortuus eſt, cùm pauperem ſeminudum vidiſſet, Archidiacono, utpotè Ordinario Oeconomo, ut ei veſtimentum erogaret, injunxiſſe; *Tunc ille*, inquit, *accerſito Archidiacono juſſit algentem ſine dilatione veſtiri.*

11. Sidonius qui 35. fere annis poſt Concilium Calcedonenſe obiit, lib. 4. Epiſt. 25. de Joanne; qui tempore ſcriptæ hujus Epiſtolæ Epiſcopus Eccleſiæ Cabillonenſis creatus eſt, refert, eum in Ordine Diaconali dudum perſtitiſſe, eò quòd non poſſet ad altiorem promoveri, niſi dimiſſo Archidiaconi, atque adeò bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatoris Officio, quo fungebatur quàm optimè; *Laborum temporumque proceſſu Archidiaconus, in quo ſeu gradu ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ne poteſtate poſſet abſolvi.*

12. De Sancto Ansberto Rotomagenſi Epiſcopo, qui circa annum 677. floruit, refertur in ejus vitâ cap. 17. apud Surium 9. Februarii, quòd, *Cùm pro Salute Animarum attentiſſimè vigilaret, etiam Archidiaconos convocans, de Prædicatione Populorum, & Eccleſiarum reſtauratione*

tione & honore, maximam gerere curam ſedulò commonebat. Art. 2. §. 15.

13. Concilium V. Pariſienſe an. 615. Can. 8. inſinuat, non ſolum Epiſcopos, ſed etiam Archidiaconos, utpotè bonorum Eccleſiæ Procuratores, ſolitos aliarum etiam, præter Cathedralem, Eccleſiarum facultates aſſumere, quod prohibet; *Comperimus denique cupiditatis inſtinctu deficiente Abbate, Presbytero, vel his qui per titulos deſerviunt, præſidium quodcumquè in mortis tempore dereliquerint, ab Epiſcopo, vel Archidiacono diripi,* ET QUASI SUB AUGMENTUM ECCLESIÆ VEL EPISCOPI, IN USUM ECCLESIÆ REVOCARI, *& Eccleſiam Dei per pravas cupiditates exſpoliatam relinqui. Statuimus, ut nec Epiſcopus nec Archidiaconus aliquid exinde auferre præſumat.*

14. Contumelioſo Regenſi Epiſcopo Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione privato, Sanctus Agapetus Pontifex Romanus juſſit Epiſt.7. quæ eſt ad Sanctum Cæſarium Arelatenſem, ut bona in Archidiaconi Cuſtodiâ manerent. *Patrimonio Eccleſiæ in gubernatione Archidiaconi ejuſdem Eccleſiæ conſtituto.*

15. Sicut ſuſpenſo, ita & mortuo Epiſcopo, adminiſtratio bonorum remanebat penes Officiales Eccleſiaſticos, ſive illi Archidiaconi eſſent, ſive Oeconomi, ſive, ut vocat Gregorius Turonenſis lib.4. Hiſt. Francorum Cap. 5. *Ordinatores* appellarentur. Ut enim narrat Sanctus ille Hiſtoricus, mortuo Sancto Gallo Arvernorum Epiſcopo, Cato Presbyter Cathedram invadens Ordinatores hujuſmodi amovit. *Cùm autem ab hoc mundo migrâſſet* (Sanctus Gallus) *& ablutus in Eccleſiam deportatus fuiſſet, Cato Presbyter continuò à Clericis de Epiſcopatu Laudes accepit, & omnem rem Eccleſiæ, tanquam ſi jam eſſet Epiſcopus, in ſuam redegit poteſtatem.* ORDINATORES

Art.2. TORES REMOVET, MINISTROS RESPUIT, *§. 15.* *cuncta per ſe ordinat.*

16. DISSERT. „Sicut ergo Nicænis, aliarumque Sy-„nodorum Canonibus in Romanæ & Gallicanæ Eccleſiæ „Codice deſcriptis, Epiſcoporum electiones Comprovin-„cialibus Epiſcopis, aut vacantis Eccleſiæ Clero permitte-„bantur; nec tamen ea diſciplina in Galliis conſtanter, & „uniformiter ſervata eſt, ſed Regibus patrocinii ac præſidii „Jure Epiſcopatus conferentibus annuit Eccleſia, conſtituit-„que in ſuis Synodis ut eorum aſſenſus ante conſecrationem „Epiſcoporum exquireretur: ita circa bonorum Eccleſiæ va-„cantis diſpenſationem & adminiſtrationem alia fuit Eccleſiæ „Gallicanæ diſciplina, ab eâ quam Synodus Calcedonenſis „conſtituerat.

17. RESP. Animadverte hîc rurſus, Lector, cujuſmodi ſint argumenta P. Alexandri. Probat, Eccleſiam Gallicanam non recepiſſe Canonem vigeſimum quintum Concilii Calcedonenſis circa diſpenſationem redituum Eccleſiarum vacantium, quia non recepit Nicænos, aliarumque Synodorum Canones circa electiones Epiſcoporum. An etiam Canones Nicæni, quos præcipuè Spiritu Dei conditos Sanctus Leo in pluribus Epiſtolis ſcribit, quoſque alii ſummi Pontifices cuſtodiendos diligentiſſimè curârunt, atque omnia poſteriora Concilia ſummopere venerata ſunt, non ſolùm libertatum Eccleſiæ Gallicanæ fundamenta non ſunt, ſed illis etiam adverſantur. Quibus ergo legibus Eccleſiæ parere tenentur Galli? An iis, quas ſemel receperunt & conſtanter obſervârunt? Atqui vix aliquam Eccleſiaſticæ diſciplinæ partem aſſignaveris, de quâ P. Alexander dicere non poſſit: *Nec tamen ea diſciplina in Galliis conſtanter & uniformiter ſervata eſt*, ut hinc

Ec-

Eccleſiæ univerſalis decreta, illinc Gallorum Hiſtorias legen- *Art.v.*
ti, ac inter ſe conferenti patebit, præſertim ſi ea *conſtanter* §. 15.
& uniformiter ſervari negentur, quæ fuerunt injuſtis transgreſſionibus violata.

18. Vera reipſa eſt propoſitio Diſſertatoris negantis, diſciplinam *Nicænis aliarumque Synodorum Canonibus, in Romanæ & Gallicanæ Eccleſiæ Codice deſcriptis*, circa Epiſcoporum Electiones conſtitutam, in Galliâ ſervatam *conſtanter*, *& uniformiter* fuiſſe, ſi de illis temporibus intelligat, quibus Carolus Martellus Epiſcopatus & alias Dignitates & Beneficia Militibus ſuis conferebat, vel quando alii Principes aut Reges Clerum ad illos, quos ipſi proponebant eligendos, cogebant: vel etiam quando Clerus ipſe huic neceſſitati, cui reſiſtere non potuiſſet, ſeſe ultrò accommodabat, vel denique cùm Sancta Sedes Jus nominationis Chriſtianiſſimis Regibus conceſſit. Aliàs, dum Principes Juſtitiæ ac Religionis Regulas ſecuti ſunt, conſtanter & uniformiter ſervata eſt diſciplina Canonica circa electiones.

19. Dissert. „ Præter Oeconomos enim, qui ſub tertiâ Regum noſtrorum Familiâ bona hujuſmodi ſervabant, „ Chriſtianiſſimi Reges Cuſtodiæ ac Defenſionis Jure illa ſub „ manu ſuâ tenebant, donec Epiſcopus electus eſſet, cui illa „ concederent, & Oeconomos, quorum non erat Auctoritas tanta ut invaſores bonorum Eccleſiæ cohiberent, ſuâ „ fulciebant poteſtate ac tuitione: & hoc nomine fructus vacationis tempore provenientes percipiebant, aut certè percipere poterant. Enimverò vacantis Eccleſiæ bona ideò Oeconomis commendabantur, ut eorum diſtractionem, vacante ſede, prohiberent, ac invigilarent ne à Viris Potentibus occuparentur, è quorum manibus ea vindicare Epi-

Art. 2. „ ſcopis poſteà facile non fuiſſet. Præterea Chartas, Docu-
§. 15. „ mentaque Donationum, Comparationum, &c. diligenter „ conſervare eo tempore opus erat, ne quis malis artibus eas „ interverteret. Ad hæc greges, ſervos, ſuppellectilem „ omnem cùm ſacram, tum profanam, Eccleſiæ theſaurum, „ annonam ad Clericorum, viduarum, pauperum alimen- „ ta congregatam, cuſtodire neceſſum erat. Hæc autem cura „ incumbebat Oeconomis.

20. RESP. Non poterat Diſſertator noſter, ſententiæ, quam toties confirmavimus, & inculcavimus, clariùs ſuffragari. Diſtinguit enim duo cuſtodiarum genera, quarum altera proxima erat, & immediata; altera extrinſeca tantùm & remota. Prima pertinebat ad Oeconomos Eccleſiarum, ſecunda ad Reges. *Oeconomi*, ut fatetur Autor, *bona ſervabant, ut eorum diſtractionem, vacante ſede, prohiberent, ac invigilarent, ne à Viris Potentibus occuparentur, Chartas, Documentaque Donationum, & Comparationum*, &c. *diligenter conſervabant: greges, ſervos, ſuppellectilem omnem cùm ſacram, tum profanam, Eccleſiæ theſaurum, annonam ad Clericorum, viduarum, pauperum alimenta congregatam, cuſtodiebant.* Principum autem partes erant, ut quoniam *Oeconomorum non erat auctoritas tanta, ut invaſores bonorum Eccleſiæ cohiberent, illos ſuâ fulcirent poteſtate, ac tuitione.* Id igitur ſolùm Lectoris æquitati penſandum relinquitur, an, quia Reges ita comparati erant, ut, ſi quando opus eſſet, Oeconomos, bona Eccleſiarum vacantium adverſus iniquos uſurpatores defendere non valentes, juvarent, *hoc nomine fructus vacationis tempore provenientes perceperint, aut certè percipere potuerint, putà ſine injuſtitiæ Labe.* Qui ità ſentit, Regem totius Regni ſui fructus univerſos ſuos juſtè facere, omnia-

que

que officia diſtribuere poſſe cenſet. Hoc enim officium cuili- *Art.2.*
bet vel viliſſimo ſubdito ſuo præſtare tenetur, ut invocatus in- §. 15.
jurias ab ejus bonis & perſonâ propulſet, vel illatas ulciſcatur. Omnes enim in ſuâ ditione conſiſtentes debet autoritate ſuâ protegere, juſtamque illis ſecuritatem præbere.

21. DISSERT. „Non verò de cuſtodiâ fructuum vaca-„tionis tempore provenientium intelligi poteſt Canon Chal-„cedonenſis: hi enim *integri reſervari apud Oeconomum* non „poterant futuro Succeſſori, cùm ex iis ſtipendia Clericis „diſpenſanda eſſent, aliaque impendia neceſſaria præſtanda, „& onera Epiſcopatûs ſuſtinenda. Nec eſt quòd in voce, *redi-„tus*, quis vim faciat, quæ de bonis fructuoſis non minùs „commodè quàm de fructibus ex illis provenientibus intelligi „poteſt.

22. RESP. Quàm futiles excogitandæ ſunt reſponſiones apertam veritatem impugnare conantibus! *Integri*, ait P. Alexander de reditibus loquens, *reſervari apud Oeconomum non poterant futuro Succeſſori, cùm ex iis ſtipendia Clericis diſpenſanda eſſent, aliaque impendia neceſſaria præſtanda, & onera Epiſcopatûs ſuſtinenda.* Simili ratiocinatione probaretur, Regaliam in nullâ Eccleſiâ Regi Chriſtianiſſimo poſſe competere, quia Regalia definita eſt à Patre Alexandro art. 1. *Jus Regium fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis*: quæ verba ſic explicat: *Dicitur Jus fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, non iis tantùm qui ex feudis proveniunt, ſed univerſis.* Atqui Rex non poteſt habere *Jus fruendi reditibus univerſis Eccleſiæ vacantis; cùm ex iis impendia neceſſaria præſtanda ſint, & onera Epiſcopatûs ſuſtinenda.* Sophiſtarum Lectores deludentium eſt genus iſtud argumentandi, non Theologorum aut Juriſconſultorum. *Fructuum appellatione intelliguntur fructus deductis*

 expen-

Art.2 §. 15. *expenſis*, ut ait Auguſtinus Barboſa, de appell. ver. utriuſque Jur. ſignifi. Appel. 103. n. 22. quod probat autoritate multarum legum & utriuſque Juris Conſultorum.

23. Sed abſurdior eſt, quam effinxit Diſſertator, Concilii Chalcedonenſis interpretatio. Dum Concilium Chalcedonenſe præcepit, *reditus viduatæ Eccleſiæ integros reſervari apud Oeconomum*, particula illa, *reditus*, inquit Autor noſter, *de bonis fructuoſis non minùs commodè quàm de fructibus ex illis provenientibus intelligi poteſt*; puta, ut bona fructuoſa futuro Epiſcopo ſervarentur, fructus autem ex illis provenientes à Principibus perciperentur.

24. Neſcio quo in Dictionario hæc habeatur vocis illius, *reditus*, interpretatio. Neque Grammatici, neque Juris Interpretes illam tradiderunt. Reditus enim ſignificat proventus, eò quòd ſingulis annis redeat: ita Theſaurus linguæ Latinæ, Promptuarium linguæ Latinæ, Calepinus, & alii Grammatici: ita Auguſtinus Barboſa tract. de appellativa ver. utriuſque Juris ſignificatione, Appell. 231. num. 5. *Cùm reditus*, inquit, *dicatur*, *eò quòd redeat ſingulis annis*; ita Tiraquellus, Navarrus, à Barboſa citati, & alii Juriſconſulti. Sed parùm juvaret circa vocis illius interpretationem hærere, ſi nomen Græcum προσόδ☉, cui reſpondet, (nec enim Patres Chalcedonenſes Latinè Canones ſuos conſcripſerunt) bona fructuoſa ſecluſis fructibus denotaret. Sed neque aliquis Canonis illius Interpres, aut Grammaticus in eo ſenſu illud accepit. P. Alexandri eſſet, aliquod interpretationis ſuæ, à nativâ, propriâ & ordinariâ vocis illius acceptione alienæ, teſtimonium proferre.

25. DISSERT. „ Adde, reditus viduatæ Eccleſiæ ſervari integros Succeſſori, cùm nihil ex Eccleſiæ bonis „ alienatur, ſed tantum habet ac percipit novus Epiſcopus,

„ pus, quantum ejus Prædeceſſor habuit ac percepit. Art. 2.

26. Resp. O mira interpretatio! An reditus hæredita- §. 15.
tis integri à ſequeſtro ſervantur litigatori victuro, cùm nihil ex hæreditatis bonis alienat, ſi integros fructus ſuos faciat pro cuſtodiâ? An Tutor vel Curator reditus hæreditatis ſervavit integros hæredi, qui bona fructuoſa illi Majori facto reſtituit, retentis ſibi omnibus fructibus ex illis collectis, pro tuitionis ſeu cuſtodiæ honorario? Juſtane reputabitur illius ratio, quòd ſcilicet nihil ab hæreditatis bonis alienatum ſit, ſed tantum habeat ac percipiat hæres, quantum ejus Pater habuit ac percepit? Ecquis cum tali ſcriptore auſit contendere, ſiquidem verba, quibus impoſſibile eſt aptiora excogitare, non eam habent apud illum ſignificationem, quam apud omnes grammaticos & interpretes? Quæro ab illo quibus verbis uſurus fuiſſet, ſi à Concilio Calcedonenſi fuiſſet deputatus ad condendum, vel græcè, vel latinè, Canonem, quo ſtatueretur, ut fructus tempore vacationis provenientes, futuro Epiſcopo reſervarentur?

27. Sed quoniam Autori placuit circa verba cavillari, cur non ponderavit iſta; *viduatæ Eccleſiæ*, quæ cum illâ voce, *reditus*, conjunguntur? Certè & ſi *tantum habeat* ac percipiat novus Epiſcopus, quantum ejus *prædeceſſor habuit ac percepit*, tamen reditus viduatæ Eccleſiæ ſibi reſervati non ſunt. Non enim bonorum fructuoſorum *viduatæ*, ſed jam Paſtorem habentis Eccleſiæ reditus percipit.

28. Convictus Diſſertator licet fortè ad convictionem ſuam non attendens, diſciplinam à Concilio Calcedonenſi præſcriptam, fuiſſe olim in Galliâ receptam & obſervatam, ac eâ ratione non poſſe repudiari; affingendos Canoni Calcedonenſi ſenſus propoſito ſuo non repugnantes, ſed omnino abſurdos

 exiſti-

Art. 2. exiſtimavit. Quamobrem etiam à facto, quod ſe probatu-
§. 15. rum deſperat, recurrit ad Jus: Pergit enim;

29. DISSERT. „ At Fructus vacationis tempore provenientes, Reges Chriſtianiſſimi percipiebant jure ſuo, vel certè percipere poterant, quamvis eo jure non ſemper uterentur, & illa pietatis depoſita in uſus Eccleſiæ ab Oeconomis etiam ſervari ſæpe permitterent, non in propria commoda converterent. Regalis tandem Cuſtodia Oeconomorum cuſtodiam non excludebat, ſed cumulabat ac fulciebat, ut probat prior Hincmari locus, in quo aſſerit *Facultates Eccleſiæ viduatæ penes Oeconomum integras conſervari* debere *futuro ſucceſſori*: & nihilominus eſſe *in Regum poteſtate ad defenſandum atque tuendum.*

30. RESP. Jam dixerat initio paginæ & alibi, quòd Reges Chriſtianiſſimi fructus vacationis tempore provenientes *percipiebant, aut certè percipere poterant.* Hæc verba & hîc rurſus & infra repetit, ut videas ipſum timere, ne ſi de facto ſolo loquatur, falſi convinci poſſit: quod non ita facile contingit, cùm Jus allegatur; eò quòd argutiæ ſæpius jus, quàm factum obſcurare valeant.

31. *At ſi Regalis Cuſtodia Oeconomorum cuſtodiam non excludebat, ſed cumulabat ac fulciebat, ut probat Hincmarus,* (quod rurſus diligenter notari velim, ac ſæpe inculcandum duxi) quo titulo Rex univerſos fructus percipiebat. Nam ſive laborem conſideres, ſive ſumptus, ſive curam, & induſtriam, fructus Oeconomis potiùs debebantur, bona cuſtodientibus, & adminiſtrantibus, quàm Principibus, vel nihil omnino, vel raro quidquam agentibus, niſi quòd potentiâ, & autoritate ſuâ malos terrebant, ne illa uſurpare auderent, quod officium, ut ſæpe obſervavimus, Chriſtiani Reges univerſis ſuis ſubditis,

ſed maximè Eccleſiis debent. Sed reverâ *illa pietatis depoſita*, ut vocat etiam P. Alexander, neque Rex neque Oeconomus *in propria commoda convertere poterat* abſque injuſtitiâ. *Art.2.* §. 15.

32. DISSERT. „ Ex eodem Hincmari loco liquidò conſtat, eò tantùm pertinuiſſe curam Oeconomorum Eccleſiâ vacante, ne res Eccleſiæ cum rebus Epiſcopi permixtæ, quarum hæredes ex aſſe conſtituere poterat, quos volebat, ab ejus hæredibus aut aliis pervaderentur, vel res ab Epiſcopo relictæ in detrimentum hæredum aut propinquorum ipſius diſtraherentur, quod Synodus Calcedonenſis Can. 22. prohibuerat. *Manifeſta verò ſunt*, inquit Hincmarus, *quæ ſunt Eccleſiæ, cùm notitia Presbyterorum & Diaconorum, qui circa ipſum Epiſcopum ſunt, ita ut cognoſcant, nec ignorent quæ ſint Eccleſiæ propria, nec eos aliquid lateat: Ut ſi contigerit Epiſcopum migrare de ſæculo, certis exiſtentibus rebus, quæ ſunt Eccleſiæ, nec ipſæ collapſæ depereant, nec quæ propria probantur Epiſcopi ſub occaſione rerum pervadantur Eccleſiæ. Juſtum namque & acceptum, eſt coram Deo & hominibus, ut ſua Epiſcopus quibus voluerit derelinquat, & quæ Eccleſiæ ſunt, eidem conſerventur Eccleſiæ, ut nec Eccleſia aliquod patiatur incommodum, nec Epiſcopus ſub occaſione proſcribatur Eccleſiæ.*

33. RESP. Adeòne fugax Diſſertatoris memoria? *Ex eodem*, inquit, *Hincmari loco liquidò conſtat, eò tantùm pertinuiſſe Curam Oeconomorum, ne Res Eccleſiæ cum rebus Epiſcopi permixtæ* &c. ut operam ab eis præſtitam parvi momenti inſinuet: Et tamen paulò antea dixerat, quòd *vacantis Eccleſiæ bona ideò Oeconomis commendabantur, ut eorum diſtractionem vacante ſede prohiberent, ac invigilarent, ne à Viris Potentibus occuparentur: Prætereà Chartas, Documentaque Donationum,*

Art. 2. §. 15. *tionum, Comparationum &c. diligenter conſervare eo tempore opus erat. Ad hæc greges, ſervos, ſuppellectilem omnem, cùm ſacram tum profanam, Eccleſiæ theſaurum, annonam ad Clericorum, viduarum, pauperum alimenta congregatam, cuſtodire neceſſum erat. Hæc autem Cura incumbebat Oeconomis.* An hæc officia & alia, quæ cum illis neceſſariò erant conjuncta, nihili aut parvi facienda erant, ut non illis potiùs quàm ſoli protectioni in ſolâ autoritate, abſque opere aliquo plerùmque poſitæ, fructus pro mercede aſſignandi eſſent?

34. DISSERT. „ Secundo verò loco, Regium Cuſtodiæ ſive Regaliæ Jus non convellit, ſed eos duntaxat perſtringit qui Res Eccleſiæ violenter diripiebant, aut per angarias vel indebitas penſiones aliquid exigebant quo gravaretur Eccleſia. Subdit enim proximè poſt verba laudata: „ *De quibus, ſive vivente, ſive defuncto Epiſcopo, quicunque quocunque ingenio, unde gravetur Eccleſia, per angarias vel indebitas penſiones exigunt, ſine timore ne Sacrilegium admittant eſſe non poſſunt, etiamſi violenter non rapiant, ſed quaſi prudenter ingenio injuſtè accipiant: cùm eos conſcientia quacumque ſiniſtra intentione in conſpectu Domini cor intuentis accuſet.*

35. RESP. Verba Hincmari, quæ P. Alexander hîc addit iis quæ §. ſuperiori retulit, ejus Antiſtitis mentem apertiùs explicant, & interpretationem ab eo allatam excludunt. Primò enim agunt de bonis Eccleſiarum, non ſolùm *vivente* ſed etiam *defuncto Epiſcopo.* Secundò, ergo *defuncto Epiſcopo quicunque quocunque ingenio, unde gravaretur Eccleſia per angarias vel indebitas penſiones exigebant, ſine timore ne Sacrilegium admitterent eſſe non potuiſſe declarant:* atqui angariæ & penſiones non ex ipſâ bonorum fructuoſorum ſubſtantiâ, ſed

ex

ex *fructibus ex illis provenientibus* percipiebantur : ſi ergo *qui* *Art.2.*
eas exigebant ſine timore ne Sacrilegium admitterent, *eſſe non* *§. 15.*
poterant; fructus ad Eccleſiam, non ad Regem pertinebant. Alioquin enim non ſacrilegium, ſed Regis ira metuenda fuiſſet.

36. Adde quod non Epiſcopis, ſed Officialibus Regiis cura incubuiſſet cavendi ac impediendi, ne fructus angariis & indebitis penſionibus minuerentur : neque hâc Epiſtolâ ſignificat Hincmarus, ſe Regi Conſilium pro ejus commòdis temporalibus, ſed pro conſcientiæ ipſius, ac pro bonorum Eccleſiæ ſecuritate ſuggerere. Sed quis auſus fuiſſet hujuſmodi onera fructibus ad Regem pertinentibus imponere? Sanè parum efficax futura fuiſſet Regia protectio adverſus malos, qui ejus autoritatem tam parvi pependiſſent, ut quod ipſius eſſet, angariis & indebitis penſionibus onerarent.

37. DISSERT. „ Nec verò occaſione detentionis bonorum Eccleſiæ vacantis, ſub Regiâ manu titulo Cuſtodiæ ſeu „ (quod idem eſt) Regaliæ, ad Carolum Calvum hæc ſcribebat Hincmarus, ſed occaſione captionis & confiſcationis „ bonorum Epiſcopi viventis, ſcilicet Hincmari Laudunenſis, nepotis ſui, ut conſtat ex initio Epiſtolæ. *Juſſiſtis*, „ inquit, *præfatum Epiſcopum, ut die & loco denominato veniret ad cauſas veſtras, id eſt ad Judicia ſecularia, & ſuum Advocatum de ſuo capite, videlicet de ſuo quod ipſe egit actu, idem non conſcio quocunque Coëpiſcopo ſuo donaret. Qui mittens ad dominationem veſtram, excuſationem impoſſibilitatis ſuæ illuc veniendi mandavit. Requiſita eſt quam patrioticâ linguâ nominamus exoniam, quia venire nequiverit, quod hactenus eſt inauditum. Et requiſito & non invento Advocato*

Art. 2. §. 15. ,, *cato illius, qui de ejus capite ex prædictâ cauſâ redderet ratio-*
,, *nem, exceptâ Eccleſiâ, & Epiſcopi domo, ac Clericorum*
,, *clauſtro, quicquid de rebus & facultatibus Eccleſiaſticis, ſi-*
,, *bi in Epiſcopali ordinatione munere Spiritus Sancti ad gubernan-*
,, *dum & diſpenſandum commiſſis, acceperat, Juſſione veſtrâ per*
,, *Vicecomitem ipſius pagi in bannum, quod Jus linguâ Latinâ*
,, *proſcriptio confiſcandi vocatur, eſt miſſum. Et poſtea, ſicut*
,, *audivi, per Cancellarium Palatii veſtri mandatis Vicedomino,*
,, *& Præpoſito iſtius Eccleſiæ, cum non modicâ interminatione;*
,, *ut providerent, quatenus nullum obſequium ab Eccleſiæ ipſius*
,, *hominibus, nullumque ſubſidium de facultatibus Eccleſiaſticis,*
,, *per Clericum vel Laïcum, ipſe Epiſcopus poſſet habere.* Quæ
,, omnia diſſimulavit Regii Juris nuperus Oppugnator ut fu-
,, cum lectoribus faceret.

38. RESP. De quo fuco Lectoribus faciendo cogitare poterat Autor Tractatûs Appamienſis, Prolixum hoc Epiſtolæ Hincmari Fragmentum omittens, quòd nec ſibi Eccleſiaſticam libertatem defendenti, nec P. Alexandro illam oppugnanti, quidquam confert? An enim quia *non occaſione detentionis bonorum Eccleſiæ vacantis ſub Regiâ manu titulo Cuſtodiæ ſeu Regaliæ* (quod ſecundùm P. Alexandrum idem eſt. Secundum veritatem admodum diverſum, ut abundè jam ſæpe oſtenſum eſt) *hæc ſcribebat Hincmarus, ſed occaſione captionis & confiſcationis bonorum Epiſcopi viventis, ſcilicet Hincmari Laudunenſis nepotis ſui:* ideò ſequentia ejus verba; *Adeò res & facultates Eccleſiæ poteſtati Epiſcopi S. Spiritu decernente committuntur, ut à magnâ Synodo Calcedonenſi, etiam poſt mortem Epiſcopi, reditus Eccleſiæ viduatæ futuro Epiſcopo penes Oeconomum ejuſdem Eccleſiæ conſervari jubeantur:* An, inquam, ideò hæc verba non ſignificant

fructus

fructus Eccleſiarum vacantium futuro Epiſcopo reſervandos Art.2.
eſſe, non autem in Regium Fiſcum deferendos; quia *hæc* §. 15.
ſcribebat Hincmarus occaſione captionis & confiſcationis bonorum Epiſcopi viventis? Si hæc illatio legitima eſt, rejicienda erit propria ſignificatio verborum, ex quibus conſtant primæ propoſitiones, quas Dialectici præmiſſas, aut, ſi unica ſit, antecedens vocant. Non enim de præmiſſis eſt quæſtio, ſed de concluſione, quæ per illas probatur: attamen tantum abeſt, ut ideò vel incertæ vel obſcuræ habendæ ſint præmiſſæ, quòd non earum, ſed concluſionis per illas probatio intendatur; ut vel eo nomine concluſione certiores & evidentiores eſſe debeant, cùm ab illis ad concluſionem deriventur certitudo, & evidentia. Concluſio autem ab Hincmaro Remenſi probanda, eſt, non ad Carolum Calvum Regem, ſed ad Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum pertinere bonorum Eccleſiæ Laudunenſis adminiſtrationem. Hanc concluſionem probat ex eo quòd etiam reditus Eccleſiæ viduatæ futuri Epiſcopi adminiſtrationi reſervandi ſint. Unde rationis illius vis, ſi ad formam Syllogiſticam reducatur, ita erit: Si reditus Eccleſiæ, etiam antequàm Præfectus ei ſit Epiſcopus, ſede ſcilicet vacante, provenientes, futuri Epiſcopi adminiſtrationi reſervandi ſunt; multò magis reditus, tempore, quo ipſi Eccleſiæ præeſt Epiſcopus, provenientes ad ejus adminiſtrationem ſpectabunt: atqui reditus Eccleſiæ vacantis adminiſtrationi futuri Epiſcopi reſervandi ſunt, ex Can. 25. Concilii Calcedonenſis, etiamſi provenirent tempore, quo nondum erat Epiſcopus, ſed vacabat Eccleſia: ergo multò magis ſpectabit ad Epiſcopum adminiſtratio redituum provenientium tempore, quo Eccleſiæ præeſt ut modò Hincmarus Junior Eccleſiâ Laudunenſi.

 49. Equi-

Art.2. §. 15. 39. Equidem cùm verba ex merâ occaſione proferuntur, & obſcuritate quâdam laborant, eorum ſententia ex intentione loquentis eruenda eſt. Sed media, quibus probatur intentum ratiocinantis, non aſſumuntur ex occaſione tantùm, ſed deliberatè & de induſtria. Certè quæ Hincmarus ex Concilio Calcedonenſi producit, ad probandum, reditus vivente Epiſcopo provenientes ab ipſo Epiſcopo eſſe adminiſtrandos, tantâ luce refulgent ut vix poſſint eſſe obſcura, etiam iis qui ea obſcurare nituntur. Aliunde autem maximæ ſunt autoritatis, utpotè à Concilio Generali celeberrimo accepta.

40. Quid igitur Diſſertatorem juvat notare, aut cujus fraudis conſcius eſt Illuſtriſſimus Epiſcopus Appamienſis, quòd non notaverit, Hincmarum in loco citato non locutum occaſione Eccleſiæ viduatæ, ſed Epiſcopi viventis; cùm luce clarius ſit, ipſum occaſione Epiſcopi viventis, vel potiùs ipſius cauſâ, de Eccleſiæ viduatæ reditibus verba feciſſe? Imò textus integer, Illuſtriſſimi Appamienſis ſententiæ validiùs ſuffragatur, præcipuè in illa parte: *De quibus* &c. ad quam referri videtur dicti Patris querela, cùm ait; *Quæ omnia diſſimulavit Regii Juris nuperus Oppugnator, ut fucum Lectoribus faceret.* Confirmat enim pars illa, Hincmarum non incogitanter de reditibus Eccleſiæ viduatæ ſcripſiſſe, quòd ex Concilio Calcedonenſi futuro Epiſcopo conſervandi ſint: cùm continuò nulloque interpoſito verbo, ſic proſequatur; *De quibus ſive vivente, ſive defuncto Epiſcopo* &c.

41. DISSERT. „ Tertius Hincmari locus confirmat „ prolatam à nobis Canonis Calcedonenſis explicationem. „ Wlfadus enim ad Lingonenſem Epiſcopatum (ut ipſe contendebat)

„ tendebat) canonicè non electus adrepſerat, & Eccleſiæ Art. 2.
„ facultates, id eſt bona omnia cùm mobilia, tum immobi- §. 15.
„ lia, quæ *ſecundum Calcedonenſe Concilium penes Oeconomum*
„ *futuro debuerant reſervari Epiſcopo, ſuis ſuorumque uſibus ar-*
„ *rogaverat.*

42. RESP. Nonne Wlfadus *Lingonenſis Eccleſiæ facultates, id eſt bona omnia, cùm mobilia, tum immobilia ſuis uſibus arrogans*, reditus etiam uſurpabat, qui futuro Canonico Epiſcopo reſervandi erant? Ecquid enim aliud ſibi volunt illa verba; *ſuis ſuorumque uſibus arrogaverat?* Ecquâ intentione bona præſertim immobilia invaſiſſet, niſi ut eorum fructus perciperet: & quidem Eccleſiâ legitimo Paſtore deſtitutâ? Quomodò ergo tertius Hincmari locus confirmat prolatam à P. Alexandro Canonis Calcedonenſis explicationem, ſcilicet quod *vox, reditus, de bonis fructuoſis non minùs commodè quàm de fructibus ex illis provenientibus intelligi poteſt?*

53. Quomodo autem Wlfadus Eccleſiæ Lingonenſis fructus, ſuos facere poterat, donec illius Epiſcopus canonicè conſtitutus eſſet, ſi ad Regem ratione Cuſtodiæ pertinebant? Quo jure ipſamet *bona omnia cùm mobilia, tum immobilia ſuis ſuorumque uſibus arrogare* poterat, ſiquidem ſub Regiâ Cuſtodiâ erant? Ex conſenſu Regis, inquies. At ſi Jus illud, ſive quantùm ad bona, ſive quantùm ad fructus, penes Regem fuiſſet, ac ipſe in Wlfadum tranſtuliſſet? Quomodo Hincmarus à Rege Jus obtinentem tam acriter in Epiſtolâ illâ carpere auſus fuiſſet, ob bonorum, aut fructuum uſurpationem?

44. DISSERT. „ Idem quarti loci ſenſus eſt, ubi de Ætardo Nannetenſi Epiſcopo agit, qui ad Turonenſem Me-

Art. 2. „ tropolim tranſlatus, priorem adhuc retinebat Eccleſiam.
§. 15. „ Ejus porrò Tranſlationem præter Canones factam contendebat Hincmarus, adeòque reum eſſe invaſionis Eccleſiæ „ & bonorum ipſius, quorum reditus abſque legitimo titulo, illius judicio, percipiebat, & bona adminiſtrabat quæ „ ab Oeconomo conſervari futuro Succeſſori debuiſſent. Unde „ ſubdit : *Hæc idcirco de rebus & facultatibus Eccleſiæ viduatæ „ ſub Oeconomo futuro reſervandis Epiſcopo hìc interpoſuimus, „ ut attendat de quo agitur Epiſcopus, quia ſi nemini Chriſtiano eas „ licet præſumere, multò minùs item Epiſcopus, ſine ſui ſtatus „ periculo ac animæ detrimento, Eccleſiæ invaſæ res & facultates „ prævalet uſurpare.*

45. RESP. Non videt Diſſertator, ſe id deſtruere vel invitum, quod adſtruere conatur. Vult enim (aliàs non probaret intentum) vocem, *reditus*, in Canone Calcedonenſi de bonis fructuoſis, non de fructibus eſſe intelligendum : & tamen fatetur, Actardum Turonenſis Eccleſiæ *bonorum reditus* percepiſſe. Num Hincmarus Actardum de ſolâ bonorum uſurpatione, non autem de fructuum ex illis provenientium perceptione arguebat; ut de bonis fructuoſis, non de fructibus acciperet vocem *reditus?* Contraria ejus mens ex verbis, quæ continuò ſequuntur ea, quæ à P. Alexandro relata ſunt, adhuc apertiùs colligitur. *Sicut enim*, inquit, *Comes Civitatis homo ſæcularis, & alii etiam ſæculares, & majoris & minoris poteſtatis, habent, unde in ſua Metropoli poſſint conſiſtere, & comminiſtri ejus Eccleſiaſtici valent ibidem vivere, ſic & ipſe, niſi eum cupiditas & ambitio inde ejiceret, ibidem vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium, & collatione Presbyterorum, & ſi aliter non poſſet, vel ſub cenſu, ſicut Hieroſolymis Patriarcha, & Viri Religioſi ac*

ac fideles in Corduba, & in aliis civitatibus per Hiſpaniam faciunt, ibi valeret manere. Ita reſpondet Hincmarus Actardi Turonenſis Eccleſiæ invaſoris excuſationi ex eo deſumptæ, quòd non poſſet ex primâ ſuâ Eccleſiâ quæ ſibi erant ad ſuſtentationem neceſſaria, percipere, atque adeò nec in eâ reſidere. Reponit enim, non ideò licitum ei eſſe de viduatæ Eccleſiæ reditibus, utpote futuro Epiſcopo canonicè promovendo reſervandis, vivere; *Hæc idcirco de rebus & facultatibus Eccleſiæ viduatæ ſub Oeconomo futuro reſervandis Epiſcopo hîc interpoſuimus* &c. Varioſque modos proponit comparandæ in Eccleſia Nannetenſi neceſſariæ ſuſtentationis, atque ita proprium gregem regendi, ſcilicet *vel de operibus manuum, vel de decimis fidelium ac collatione Presbyterorum, vel ſub cenſu.* Itaque non accuſatur Actardus de venditis bonis fructuoſis Eccleſiæ Turonenſis, ſed de perceptis pro ſuâ ſuſtentatione fructibus tempore vacationis provenientibus, qui non ad ipſum, utpote alterius Eccleſiæ Epiſcopum, ſed ad futurum legitimum Turonenſem Epiſcopum, juxta Canonem Concilii Calcedonenſis, pertinebant. Art. 2. §. 15.

46. Quin etiam in hoc & in multis aliis teſtimoniis bona fructuoſa Eccleſiarum non aliter dicuntur invaſa, direpta, uſurpata, quàm ratione fructuum; qui cùm proprios Epiſcopos, aut Eccleſias ſpectarent, in aliorum utilitatem injuſtè dirivabantur. Rarò enim contingebat, ut ipſorummet bonorum, præſertim immobilium, diſtractio fieret; idque maxime ſecundum ſententiam P. Alexandri. Alioquin enim bona illa non fuiſſent à Regibus cuſtodita, ut ipſe vult.

47. DISSERT. ,, Annales Bertiniani de ſolo Oeconomatu & uſu-fructu bonorum Epiſcopatus Metenſis, vaca-

Art. 2. „ tionis tempore, Hugoni collato non loquuntur, ſed de
§. 15. „ collatione in Commendam Militarem, vel in alodem & „ proprietatem, ut ipſis ad voluntatem abuteretur, ac pro „ libito diſponeret. Eodem enim modo & ita abſolutè hæc „ ipſi bona conceſſit Carolus Craſſus, quo direptas ex The- „ ſauro S. Stephani Metenſis opes Sigefrido, & Wrmoni de- „ derat. *Sigefrido etiam & Wrmoni* (inquiunt Annales Ber- „ tiniani) *illorumque complicibus, plura millia argenti & au-* „ *ri, quæ de Theſauro Sancti Stephani Metenſis, aliorumque* „ *Sanctorum locis arripuit, eis dedit: & ad devaſtandam Re-* „ *gni ſui atque conſobrini ſui partem, ſicut antea fecerant, re-* „ *ſidere permiſit. Hugoni autem Junioris Lotharii filio facul-* „ *tates Eccleſiaſticas Metenſis Epiſcopii, quas Sacri Canones fu-* „ *turo Epiſcopo reſervari præcipiunt, ad conſumendum remiſit.* „ In Synopſi Hiſtoriæ noſtræ XI. & XII. ſæculi cap. 5. art. 6. „ pag. 649. error obrepſit, ubi *Carolomanno* id tribuitur, pro „ quo reponendum eſt ut hîc, *Carolo Craſſo.*

48. RESP. Luce clarius eſt in Annalibus Bertinianis agi de reditibus Eccleſiæ vacantis, ſcilicet Metenſis Epiſcopi. Nam, ut ibidem notatur, Wala Epiſcopus paulò antea fuerat à Normannis interfectus. Illos reditus *Sacri Canones futuro Epiſcopo reſervari præcipiebant*: illos Hugoni *ad conſumendum Rex tradiderat.* Unde ſoli tenebras offundere tentat Diſſertator dum hoc teſtimonium obſcurare nititur.

49. DISSERT. „ Gerbertus denique Regalis Cuſto- „ diæ teſtis eſt: nam verbis ſuprà laudatis ſubdit: *Ne ſi,* „ *quod abſit, malè cautum fuerit, in negligentes cùm Regalis* „ *cenſura, tum etiam gravior adhibeatur divina ſententia,* Quæ „ verba ſuppreſſit nuperus Regiorum Jurium Oppugnator, „ ut incautos deciperet.

50. RESP.

50. RESP. An quia Gerbertus Clero & Populo Regalem cenſuram minatur, ſi vacantis Eccleſiæ bona, ipſis negligentibus, perierint, Jus Regaliæ confirmat? Num Rex negligentiam Cuſtodum tantùm bonorum, quorum ipſe ſolidum uſum-fructum percipit, caſtigat? Sed cùm Gerbertus moneat, *ut ſecundum divinas & humanas leges res defuncti Epiſcopi tam mobiles, quàm immobiles futuro reſerventur Epiſcopo*, doceat nos P. Alexander, quæ ſint *divinæ & humanæ leges* ſecundum quas fructus Eccleſiarum vacantium in Fiſcum deferendi ſint; ſola verò bona fructuoſa Clero & Populo cuſtodienda, & futuro Epiſcopo reſervanda. Art. 2. §. 15.

51. At hæc verba: *Regalis Cenſura*, innuunt ſaltem Cuſtodiam Regiam. Amoveatur ſolitum æquivocationis velamen, & fatebimur, Regem habere Cuſtodiam bonorum Eccleſiarum vacantium in eo ſenſu, ut ea uſurpantes plectere teneatur, eaque tantò religioſiùs & accuratiùs, quàm privatorum, aut civitatum omnium ſibi ſubditarum facultates, tueri, quantò juſtius eſt, Principem Chriſtianum res ſupremo omnium Domino Sacras, ab injuriis vindicare. Sed ratione hujus Cuſtodiæ Regem fructus ſuos facere non poſſe jam pluries demonſtratum eſt. Si fructus aſſignandi eſſent pro Cuſtodia, illis juſtiori titulo concederentur, qui proximè cuſtodiunt, ſuaſque operas & expenſas præſtant, ſcilicet Archidiaconis, Oeconomis, vel aliis Clericis. Itaque injuſta eſt accuſatio Autoris adverſus Defenſorem Libertatis Eccleſiæ Appamienſis, cùm ait, eum verba ſuppreſſiſſe Regalis Cenſuræ mentionem facientia, *ut incautos deciperet*.

52. Sed fortè qui verba tam avidè aucupatur, objiciet, Gerbertum, licet ad Populum & ad Clerum ſimul ſcribat, indiſcriminatim dicere: *Sit interim veſtra pervigil cura* &c.

Art. 2. Unde colligi videtur, cuſtodiam ad Populum perindè atque
§. 16. ad Clerum ſpectâſſe, atque hinc ulterius conjici poſſe, ipſos à Rege, cujus cenſura ipſis intentatur, conſtitutos ſub-cuſtodes. Verùm licet Clerus & Populus in epigraphe Epiſtolæ conjungantur; non ideò quæcunque in ea ſcripta ſunt, ipſis æqualiter eodemque modo, ſed cum diſtributione commodâ, conveniunt. Debent Oeconomi facultates Eccleſiæ cuſtodire: Magiſtratus eis auxilium, ſi opus ſit, præbere: plebs Magiſtratibus in eo Officio parere: omnes monendo, vel aliâ ratione, prout cujuſque ſtatum decet, injuriam amoliri. Cæterùm ridiculum eſſet, univerſum populum ſimul cum univerſo Clero Cuſtodem proximum & adminiſtratorem immediatum rerum Eccleſiaſticarum à Rege conſtitutum, fingere. Non poſſet enim ex innumerâ ſub-cuſtodum multitudine confuſio non oriri quàm maxima.

§. DECIMUS SEXTUS.

De Autoritate Concilii Trosleiani.

1. DISSERT. „ Objicit idem Autor Concilii Trosleiani anno nongenteſimo nono celebrati, Canonem 14. qui ad rem nullatenus pertinet, cùm „ de fructibus vacationis tempore provenientibus, „ non loquatur, ſed de ſpoliis Epiſcoporum defunctorum, „ quæ à Potentibus paſſim & impunè diripiebantur. Morem „ peſſimum, qui in Galliis etiam invaluerat, Patres execrati „ ſunt, & ſacrilegii damnarunt. *Quia*, inquiunt, *inter noſtrates hîc peſſimus inolevit mos, ut defuncto Eccleſiæ Epiſcopo, mox à quibuſcunque potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ,*

„ſiaſticæ, quaſi Epiſcopi fuerint propriæ; cùm etiamſi ejus Art. 2.
„ eſſent, contra omne Jus id fieret: hoc tam immane ſacri- §. 16.
„ legii facinus, & jam ſæpius factum dolemus, &, ne ulteriùs
„ à quolibet præſumatur, auctoritate Dei, & Sanctorum ejus
„ qui cum illo regnant in Cælo, noſtro etiam Epiſcopali Miniſte-
„ rio, quibus Dominus licet indignis, poteſtatem dedit in ſuis
„ Apoſtolis dicens: Quodcunque alligaveritis ſuper terram,
„ erit ligatum & in Cælis, & quodcunque ſolveritis ſuper ter-
„ ram, erit ſolutum & in Cælis, interdicimus. Tum varios
„ recenſet Canones hæc Synodus, ex quibus patet quibus
„ de bonis ſtatuat. Unde, inquit, inter cæteras de hâc re
„ Canonum Conſtitutiones, in Concilio Valentino Can. XI. ita
„ ſcribitur: Hoc etiam placuit ut Epiſcopo ab hoc ſeculo jubente
„ Domino, accerſito, Clerici ab omni omnino ſuppellectili, vel
„ quæcunque ſunt in domo Eccleſiæ, vel Epiſcopi, in libris, in
„ ſpeciebus, utenſilibus, vaſculis, frugibus, gregibus, ani-
„ malibus, vel omni omnino re, rapaces manus abſtineant, &
„ nihil latronum more diripiant. Qui niſi Canonum auctoritate
„ cohibiti fuerint, omnia quæ pervaſerint, Metropolitani,
„ vel omnium Comprovincialium Sacerdotum diſtrictione coacti,
„ in priſtinum ſtatum redintegrare cogantur: ut nihil Antiſtiti
„ vel diſpenſatori futuro neceſſarium, ſub hâc juſtâ conſtitutione
„ depereat. Quod ut confidentiùs juſtitiâ manente ſervetur, ſe-
„ cundùm Regenſis Synodi conſtituta, Epiſcopo è corpore rece-
„ dente, vicinior illi accedat Epiſcopus, qui ex more, exequiis
„ celebratis, ſtatim Eccleſiæ illius curam diſtrictiſſimè gerat,
„ ne quid ante Ordinationem Pontificis futuri remanentium Cle-
„ ricorum ſubverſioni vel direptioni jam liceat. Ita ut de repertis
„ omnibus inſpectio certior, deſcriptioque fideliſſima, ſi fieri
„ poteſt, intra Octavas defuncti, ſub diligentiâ præſentis Epi-

Art.2. „*ſcopi peragatur. Dehinc ad Metropolitani notitiam habita or-*
§. 16. „*dinatè deſcriptio deferatur ; ut ejus electione talis Perſona or-*
„*dinandæ Domui Eccleſiaſticæ procuretur, quæ vel conſueta Cle-*
„*ricis ſtipendia diſpenſet, & creditarum ſibi rerum, ſi forſi-*
„*tan tarditas in ordinando Epiſcopo ſucceſſerit, Metropolitano*
„*congruis temporibus reddere poſſit rationem : ut ſub hâc ſalu-*
„*bri conſtitutione, Clerici ſtipendiis ſuis omnino contenti, la-*
„*bores non diripiant Epiſcopi decedentis & in vacuam Eccleſiæ*
„*Domum futurus Pontifex non ſine dolore ſuccedat : ſed magis*
„*de Præceſſoris ſui dimiſſo poſſit ipſe gaudere, & aliis mini-*
„*ſtrare. Item cap. 3. Simili quoque modo parentibus, & pro-*
„*pinquis decedentis Epiſcopi, ſi inteſtatus obierit, denun-*
„*tient, ut ſine Metropolitani vel Comprovincialium Sacerdotum*
„*conſcientia nihil de rebus defuncti occupare pertentent : ne*
„*fortè hæreditariis rebus etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia*
„*vel permixta uſurpent : ſed uſque ad Ordinationem futuri ex-*
„*pectent Antiſtitis ; aut certè ſi longum fuerit, ad Metropoli-*
„*tani (ut dictum eſt) admonitionem recurrant. Si quis autem*
„*immemor divini timoris contra hæc Sancta Synodica Clericus*
„*quiſque vel Laïcus venire improbâ mente tentaverit, & com-*
„*munione, & conſortio privetur Eccleſiæ : quia durum eſt ut*
„*ad illam conveniat, quam exſpoliare non metuit. . . . . . Si*
„*autem rationabiliter modeſtèque unuſquiſque repetit quod ſibi*
„*Jure debetur, ei abſque aliqua animadverſione à Metropolitano,*
„*vel cui injunxerit, aut res aut ratio non negetur. Hos*
„*etiam omnes Canones conſtringunt, qui tam in præteritum*
„*quàm in futurum res Eccleſiæ vel Epiſcopi uſurpantes diri-*
„*puerint.*

„ Hunc Trosleiani Concilii locum integrum referre operæ
„ prætium fuit, ut nuperi Autoris qui Tractatum de Rega-
lia

„ lia contra Regia Jura edidit, mala fides comprobetur, qui *Art.2.*
„ verum hujus Canonis ſenſum diſſimulat, ideòque verba il- §. 16.
„ lius non refert, ne fraus ejus pateat omnibus, qui Cano-
„ nem ipſum attente legerint, animadverterintque, quòd fa-
„ cillimum eſt, Trosleianæ Synodi Patres illum condidiſſe
„ contra illos qui Spolia Epiſcoporum decedentium diripie-
„ bant, non contra Reges, qui ratione Cuſtodiæ Regalis fru-
„ ctus, vacante ſede provenientes, Jure ſuo percipiebant, aut
„ percipere poterant.

2. Resp. Non poterat Diſſertator Illuſtriſſimum Epiſcopum Appamienſem, ſeu Autorem Tractatûs *de Regaliâ* à ſuſpicione malæ fidei, ac fraudis, cujus eum accuſat in citando Concilio Trosleiano, efficaciùs liberare, ſeque temeritatis in illâ accuſatione reum exhibere, quàm deſcripto integro illius Concilii loco. Si enim propriis Patrum Trosleianorum verbis aliqua ineſſet obſcuritas, illa teſtimoniorum, quibus ſententiam ſuam confirmant, verbis diſpelleretur. Sed antequam id oſtendam, quæro, ubinam erat Cuſtodia Regia tempore Concilii Trosleiani an. 909. celebrati, ſi *ſpolia Epiſcoporum defunctorum paſſim & impunè diripiebantur*? Quomodò ille *mos peſſimus in Galliis etiam invaleſcere potuerat:* Ubi Jure Regio & Coronæ coævo ac inſito Reges Eccleſias earumque bona, & Epiſcopos aliosque Miniſtros tueri ac defenſare dicuntur?

3. Nota rurſus modum loquendi: *Reges ratione Cuſtodiæ Regalis fructus vacante ſede provenientes, Jure ſuo percipiebant aut percipere poterant*, quæ diſtinctio jam pluries facta etiam repetitur art. ſeq. num. 2. Niſi enim modò à Jure ad factum, modò à facto ad Jus Diſſertator effugiat, ſe captum videt. Sed ad Canonem Concilii Trosleiani, de quo eſt quæſtio, veniamus.

 4. Con-

Art. 2. §. 16. 4. Concilium Troſleianum diſtinguit res proprias Epiſcopi à rebus Eccleſiæ, illarumque uſurpationem injuſtitiam dicit, iſtarum direptionem, ſacrilegium. Iſtarum, non illarum ſecuritati providet. Non diſtinguit res Eccleſiaſticas immobiles à mobilibus, ſed indiſtinctè res Eccleſiaſticas pervadi vetat: *Peſſimus inolevit mos*, inquit, *ut defuncto Eccleſiæ Epiſcopo, mox à quibuſcunque Potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ, quaſi Epiſcopi fuerint propriæ, cùm etiamſi ejus eſſent, contra omne Jus id fieret: hoc tam immane ſacrilegii facinus* &c. Cur ergo de ſolis ſpoliis Epiſcoporum defunctorum Patres Troſlejanos locutos tam certò affirmat P. Alexander, ut *malæ fidei* ac *fraudis* accuſet Autorem Tractatûs Appamienſis, quòd verba illa, *res Eccleſiaſticæ*, quæ, ut ſonant, generalia ſunt, non reſtrinxerit ad hujuſmodi ſpolia?

5. Si declarâſſent Reges Chriſtianiſſimi, ſpolia Epiſcoporum defunctorum ad ſe Jure Cuſtodiæ pertinere, non dubito quin P. Alexander illa ſub nomine fructuum Eccleſiæ vacantis comprehendi affirmaret: Cùm non reverterentur ad Eccleſiam, niſi poſt mortem Epiſcopi, adeòque eſſent velut quoddam emolumentum Eccleſiæ adveniens, quod aptiùs ſine dubio nomine fructûs donari poteſt, quàm bona fructuoſa voce, *reditus*, deſignari. At verò quia Regi, ne Canon Troſleianus Regaliæ adverſetur, ſufficit, ut *res Eccleſiaſticæ* de quibus agit, non de bonis Eccleſiæ univerſim, ſed de mobilibus tantùm, quæ moriens Epiſcopus reliquit, intelligantur; *malæ fidei* ac *fraudis* apud Autorem reus eſt Illuſtriſſimus Epiſcopus Appamienſis, quòd hunc ſenſum Concilio Troſleiano non affinxerit, ſed ejus prohibitionem generaliter de Eccleſiarum vacantium reditibus Eccleſiæ vindicandis intellexerit.

6. At, inquies, *varios recenſet Canones hæc Synodus, ex*

quibus patet quibus de bonis ſtatuat ; quos cùm prætermiſerit Autor Tractatûs Appamienſis, malæ fidei ac fraudis juſtè damnatur. Expendamus varios illos Canones, quos refert P. Alexander, ut ſciamus an juſta ſit ejus accuſatio. Primò Concilium Valentinum prohibet direptionem gregum & animalium; ac jubet ut *raptores*, *omnia quæ pervaſerint*, *Metropolitani vel omnium Comprovincialium Sacerdotum diſtrictione in priſtinum ſtatum redintegrare cogantur.* Res ergo fructuoſæ, qualia ſunt animalia, (quis enim neget, animalium partus, fructus jure nuncupari) non erant ſub cuſtodia Principum, ſed Metropolitani, & aliorum Epiſcoporum, quorum autoritate procuranda erat eorum, ſi uſurpata fuiſſent, reſtitutio. Non ergo hos ſaltem fructus percipiebant, aut jure percipere poterant Reges Chriſtianiſſimi: Sed penes Eccleſiæ proprietatem, & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum cuſtodiam remanebant. *Art.2. §.16.*

7. Secundò, Concilium Regenſe à Valentino producitur, præcipiens, ut, Epiſcopo è corpore recedente, vicinior Epiſcopus Eccleſiæ illius curam diſtrictiſſimè gerat. Non ergo ſpoliorum tantùm, ſed vacantis *Eccleſiæ curam diſtrictiſſimè gerit vicinior Epiſcopus*: quod adhuc validiùs confirmatur ex iis quæ ſequuntur, è Concilio Valentino deſumpta. *Ad Metropolitani notitiam habita ordinatè deſcriptio deferatur; ut ejus electione talis Perſona ordinandæ Domui Eccleſiaſticæ procuretur, quæ vel conſueta Clericis ſtipendia diſpenſet, & creditarum ſibi rerum, ſi forſitan tarditas in ordinando Epiſcopo ſucceſſerit, Metropolitano congruis temporibus reddere poſſit rationem.* Hæc prohibitio generalis eſt, nec de ſolis Spoliis Epiſcoporum intelligi poteſt, ſiquidem non ex Spoliis, ſed ex bonorum Eccleſiæ fructibus *conſueta Clericis ſtipendia diſpenſabantur*,

Art.2. *bantur*, nec opus fuiſſet de Spoliis *Metropolitano congruis tem-*
§. 16. *poribus reddere rationem, ſi forſitan tarditas in ordinando Epiſcopo ſucceſſiſſet.* Satis enim fuiſſet, res in inventario deſcriptas novo Epiſcopo conſignare. De fructibus igitur tempore vacationis provenientibus, *ſi forſitan tarditas in ordinando Epiſcopo ſucceſſiſſet, Metropolitano congruis temporibus reddenda erat ratio.* De fructibus tempore vacationis provenientibus *conſueta Clericis ſtipendia diſpenſanda erant.* De illis ergo loquitur Concilium Valentinum.

8. Recolenda ſunt prætereà, quæ jam ſuprà notavimus; res mobiles, ſeſeque moventes ſeu animalia, cuſtodiâ magis indiguiſſe quàm immobiles; eò quòd direptioni magis eſſent expoſitæ: & tamen fatetur P. Alexander, (quo modo enim negare poſſet?) Ex iſtorum Conciliorum diſpoſitione illos non ſub Regis, ſed ſub Metropolitani & aliorum Epiſcoporum protectione, ac ſub Clericorum cuſtodiâ permanſiſſe, non uſque ad reſerationem teſtamenti, ut ipſe Concilium Regenſe ſuprà interpretabatur, ſed uſque ad *Ordinationem Pontificis* futuri, ut non ſemel declarat Concilium Valentinum.

9. Porrò ſi animalium partus, quos fructus rectè nuncupari diximus, non pertinebant ad Cuſtodes, niſi pro ratione expenſarum, ſed ex illis *conſueta Clericis ſtipendia diſpenſanda erant, & Metropolitano congruis temporibus reddenda ratio*; licet ad illam cuſtodiam majori & accuratiori ſolicitudine opus eſſet, quàm ad protectionem bonorum immobilium, imò quàm ad decimas & oblationes; quis credat, Regem bonorum immobilium fructus, ſuos feciſſe, non pro cuſtodiâ illorum proximâ, & adminiſtratione immediatâ, quæ Regiam Majeſtatem dedecuiſſet, ſed pro terrendis autoritate ſuâ improbis, ne illa uſurparent?

10. Con-

10. Concilium Regenſe, Trosleianum, & alia Gallicana, 25. Canoni Concilii Calcedonenſis conſonare declarat Illuſtriſſimus Dominus Petrus de Marca de concord. Sacerd. & Imper. lib. 8. cap. 18. num. 11. his verbis ; *Ideò autem antiquas Regulas Canonicas adducere heic placuit, ut omnes intelligerent*, REDITUS PATRIMONIORUM ECCLESIÆ VACANTIS, *ac ſpolia Epiſcoporum decedentium, nunquam pertinuiſſe ad Principes ; quinimò univerſa hæc emolumenta ſervari debuiſſe expendenda in utilitatem Eccleſiæ & pro futuro Succeſſore. Quod adeò placuit vetuſtis illis Epiſcopis Gallicanis, ut Jus illud in Canonibus eorum fuerit conſtitutum, in Concilio nempe Rejenſi an. 439. Can. 5. in Francfordienſi an. 794. Can. 41. in Pontigonenſi an. 876. Can. 14. & in Trosleiano an. 909. Can. 14.* Art. 2. §. 16.

11. Ubi eſt ergo mala fides, ubi fraus Defenſoris Libertatis Eccleſiæ Appamienſis ; niſi mala fides & fraus appelletur omiſſio teſtimoniorum cauſæ ſuæ plurimum ſuffragantium ?

12. DISSERT. „ Cùm enim ſequentium temporum „ Pontifices plurimi, & Concilium Oecumenicum Lugdu- „ nenſe II. fructus & ea omnia quæ ad fructus pertinent, va- „ cante ſede, aliis, qui Jus Cuſtodiæ ſive Regaliæ in Eccleſiis ha- „ bent, Jure percipi agnoverint ; Gallicani Trosleiani Con- „ cilii Epiſcopi, qui illis ſatisfieri jubent, qui repetunt quod „ ſibi Jure debetur, non prohibuiſſent, ne Reges Chriſtia- „ niſſimi fructus ſibi vacante ſede debitos, perciperent, nec „ eos velut prædones & Sacrilegos fuiſſent execrati. Ipſos lon- „ gè abfuiſſe à lite inferendâ Regi ob perceptionem fructuum „ Eccleſiarum vacantium, ad quos ratione Cuſtodiæ Regalis „ Jus habebat, ex eo conſtat, quòd parati eſſent ad paren-

Art.2. „ dum Regi & in iis quæ Politiam externam Eccleſiæ ſpecta-
§. 16. „ rent, quæ ad Reipublicæ pacificum ſtatum relationem habet, & in iis omnibus quæ de Juribus temporalibus Regni ſui ſtatueret; ad idque Jure Divino ſe adſtrictos noverant. Eorum verba in ſecundo Canone ſubjicio, ex quibus facilè refelluntur, quæ nuperus idem Regii Juris Oppugnator. cap. 2. & 4. lib. 2. probanda ſibi ſumit, Regaliam naturali aut Divino Jure non niti, imo cum utroque pugnare. *Pontificalem*, (inquiunt) *ſi exegimus Auctoritatem, ut non obliviſcamur Regiam à Deo conſtitutam eſſe Sublimitatem, dicente Apoſtolo: Subjecti eſtote Regi quaſi præcellenti. Sicut enim Regalis Poteſtas Sacerdotali Religioni ſe devotè ſubmittit: Sic & Sacerdotalis Auctoritas cum omni pietatis officio ſe Regali Dignitati ſubdere debet, ſicut Sanctus oſtendit Papa Gelaſius ad Anaſtaſium ſcribens Imperatorem. Duo ſunt, inquit, quibus principaliter mundus hic regitur, Auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis Poteſtas: in quibus tantò gravius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus in Divino reddituri ſunt examine rationem*, &c. *Ergo quia & Rex pro æternâ vitâ indiget Pontificibus, & Pontifices pro temporalium rerum curſu Regali indigent diſpoſitione: à Rege obediendum eſt Pontificibus, recta, ſancta, & juſta ſuadentibus, & viciſſim à Pontificibus obediendum Regi pietatis cultui religione, jure, & ſolatio ſervienti.... Ipſe debet primò* DEFENSOR *eſſe* ECCLESIARUM... *Scire autem oportet, quia ſi de otioſo ſermone Deo rationem redditurus eſt, multò magis de* MINISTERIO SIBI DIVINITUS COMMISSO...... *Sed & nobis, & omnibus qui in Regno veſtro conſiſtimus, oportet ut juſtam fidelitatem vobis conſervemus, & honorificentiam Regiam exhibeamus, & de uti-*

„ *utilitate Regni aliquid quærenti, ſecundùm ſcire & poſſe verum* Art.2.
„ *& utile conſilium ſuggeramus.* §. 16.

13. Resp. In convertendis propoſitionibus non ſervat dialecticæ Regulas Diſſertationis Autor, quantumvis Scholaſticæ diſciplinæ peritus. Quænam enim eſt in Concilio Lugdunenſi II. propoſitio æquivalens iſti; *Fructus & ea omnia quæ ad fructus pertinent, vacante ſede ab iis qui Jus Cuſtodiæ ſive Regaliæ in Eccleſiis habent, Jure percipiuntur?* Monet quidem Concilium eos, *qui ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine Jura ſibi hujuſmodi vindicant ab illorum abuſu ſic prudenter abſtineant, & ſuos Miniſtros in eis ſollicitè faciant abſtinere: quòd ea quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes vacationis tempore non uſurpent.* Sed aliud eſt, abuſum aliquem prohibere, aliud omnia probare quæ cum illo abuſu conjuncta ſunt. Quin etiam ſatis apparet, noluiſſe Sanctam illam Synodum autoritatem aliquam Regaliæ expreſſe tribuere, quandoquidem totius Decreti forma, prohibendi, non approbandi vim habet. Vetat enim *Regalia, Cuſtodiam* &c. *de novo uſurpare conantes bona Eccleſiarum vacantium occupare: Clericos hoc fieri procurare*; utrumque ſub *excommunicationis ſententiâ: illos qui ſe deberent opponere, id permittere*, ſub pœnâ *de proventibus Eccleſiarum nihil percipiendi:* eos *qui Jura ſibi hujuſmodi vindicant, ea quæ non pertinent ad fructus ſive reditus uſurpare*; nullum autem eſt verbum in toto Decreto, quod expreſſam indicet approbationem. Id unum in cauſæ, quam Diſſertator defendendam ſuſcepit, patrocinium adduci poſſet, ſcilicet Concilium excommunicationem in eos, qui Regaliam *de novo uſurpare* conabantur proferens, nihil ſtatuiſſe contra eos qui *ex Eccleſiarum fundatione, vel ex antiquâ con-*

Art. 2. §. 16. *conſuetudine Jus ſibi hujuſmodi vindicabant*, niſi ut *ea quæ non pertinebant ad fructus ſive reditus* (nota *fructus* ſive *reditus*, ne hos cum bonis ipſis fructuoſis, juxta futilem P. Alexandri interpretationem confundas) *provenientes vacationis tempore non uſurparent, nec bona cætera dilabi permitterent, ſed in bono ſtatu conſervarent*: Unde inferri videtur ſaltem tacita approbatio Regaliæ ex antiquâ conſuetudine inductæ. At fortaſſe tolerantiam quam approbationem melius quis dixerit; quâ *tolerantiæ* voce uſi ſunt etiam Epiſcopi Pariſiis anno 1681. congregati, de hoc ipſo Canone differentes, quorum verba infrà referemus. Quin etiam ex ejuſdem Canonis verbis conſtat, hanc conſuetudinem non in omnibus Eccleſiis, ſed in aliquibus tantùm locum habuiſſe; cùm illam de novo ad eas quæ huicce oneri non ſubjacebant, extendi diſtrictiſſimè prohibeat, id quod unum totam P. Alexandri Diſſertationem evertit. Obſervandum enim illum hîc rurſus agnoſcere, in hoc Canone agi de Regaliâ, quia ex nonnullis ejus verbis aliquid in uſum Regis Chriſtianiſſimi elicere ſe poſſe exiſtimat; quamvis Art. 5. §. §. 2. & 3. ſignificet; eum vel de Regaliâ non eſſe accipiendum, vel Regem Chriſtianiſſimum in eo, quatenus extenſionem Regaliæ prohibet, non eſſe comprehenſum.

14. *Si ſequentium temporum Pontifices plurimi, fructus & ea omnia quæ ad fructus pertinent, vacante ſede, ab iis qui Jus Cuſtodiæ ſive Regaliæ in Eccleſiis habent, Jure percipi agnoverunt*, ut ait Diſſertator, cur nullius eorum verba referuntur, vel citantur decreta? Fortè de illis intelligit quos alibi producit. Sed cùm occurrent illorum teſtimonia, oſtendemus, nihil ex illis colligi poſſe, niſi aliquos ſummos Pontifices de Regaliâ in ſingularibus quibuſdam caſibus loquentes, eam

non

non damnâſſe. Nuſquam autem legitur, illorum quemquam *Art.2.*
conceſſiſſe generaliter, *fructus & ea omnia quæ ad fructus perti-* §. 16.
nent, vacante ſede, ab iis qui Jus Cuſtodiæ ſive Regaliæ in Eccle-ſiis habent, Jure percipi.

16. Ex illo falſo antecedente, ſcilicet ex approbatione ſummorum Pontificum & Concilii Lugdunenſis, infert P. Alexander falſum conſequens, ſcilicet Patres Troſleianos *non prohibuiſſe, ne Reges Chriſtianiſſimi fructus, vacante ſede perciperent*; cujus falſitas ex ſuprà dictis ſatis conſtat. Sed & ipſa conſequentia vitioſa ſeu defectuoſa eſt. Ex eo enim quòd qui Jus Regaliæ habet, fructus ſuos faciat, non ſequitur, Reges Chriſtianiſſimos vacantium Eccleſiarum fructus ſuos feciſſe tempore Concilii Troſleiani, niſi probetur ipſos tunc temporis Jus Regaliæ, prout nunc ſumitur, habuiſſe: quod planè falſum eſſe oſtendimus. Futiliter igitur notat Diſſertator Troſleiani Concilii Epiſcopos illis ſatisfieri juſſiſſe, qui repetebant quod ſibi Jure debebatur, cùm nullatenus oſtenderit *fructus* vacantium Eccleſiarum *& omnia quæ pertinent ad fructus. Regibus Chriſtianiſſimis Jure debitos fuiſſe.*

17. Fruſtrà etiam exſcribit verba, quibus Patres Troſleiani fidem ſuam erga Regem, promptumque ad obedientiam animum proteſtantur; cùm hæc officia ab omnibus ſubditis ſint Regibus debita, in iis quæ ad Reipublicæ Regimen pertinent. Verùm quoniam poteſtas Regalis ab Eccleſiaſticâ diſtinguitur, & neutra alteram impedit, ſi ſuis finibus contineantur, ſed potiùs mutuò ſeſe juvant, ut explicant iidem Patres in Can. 2. ab Autore exſcripto; optimè cohæret eorum doctrina, dum vetant Can. 14. *ne defuncto Eccleſiæ Epiſcopo, mox à quibuſcunque potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ*, & cætera, quæ num. 4. & ſeqq. expendimus.

 18. At-

Art. 2. §. 16. 18. At Rex in illo Canone vocatur *Defenſor Eccleſiarum*, illudque *Miniſterium ei divinitùs commiſſum* dicitur. Quid hæc verba Canonis 2. faciunt contra decimum quartum? Significant quidem defenſionem, quam Principes Chriſtiani Eccleſiis præſtare tenentur, ut Miniſterio ſibi *divinitùs* commiſſo probè defungantur. Sed illa defenſio, ut ſæpe inculcavimus, debet in Eccleſiæ bonum, non in damnum cedere.

19. Quo Conſilio verba, quæ poſt ita, *Defenſor eſſe Eccleſiarum*, ſequuntur, P. Alexander omiſerit, judicet Lector. Sic habet textus Concilii Trosleiani: *Ipſe enim debet primò Defenſor eſſe Eccleſiarum, & Servorum Dei, Viduarum, Orphanorum cæterorumque indigentium.* An ergo Mulierum Viduarum, ſicut & Viduatarum Eccleſiarum reditus omnes ad Regem pertinebant ratione Defenſionis, quam illis præſtabat? An ſicut defuncto Paſtore fructus Eccleſiæ ſuos faciebant, Principes, ita & fructus hæreditatis, mortuo Patrefamilias ſibi vindicare poterant, eò quòd Orphanos, ſicut & Clericos, defendere tenebantur? An in bonorum profanorum fructus minus Juris habebant, quàm in reditus ex bonis Deo conſecratis provenientes? An non fuiſſet odioſiſſima crudelitas, prætextu defendendarum Viduarum, aut Orphanorum, illorum reditus uſurpare! Nonne ergo Sacrilegium etiam fuiſſet, fructus ad Dei cultum, Eccleſiarum ornamentum, imò Pauperum, Viduarum & Orphanorum alimoniam, aliaque pia opera, deſtinatos, prætextu Cuſtodiæ aut tuitionis in Regium Fiſcum transferre? An bonorum pauperibus alendis deputatorum fructus Regis erant, quoties Xenodochiorum, Noſocomiorum, aliorumque ſimilium locorum Præfecti è vitâ migrabant? Quid, quòd illam

lam defenſionem, quam Rex Eccleſiis, Viduis, Orphanis, *Art.2.*
& indigentibus præſtare tenetur ex Patribus Trosleianis, re- *§. 16.*
liquis omnibus ſuis ſubditis debet? An ergo totius Regni ſui reditus ad Fiſcum deferendi erant poſt mortem Dominorum pro Cuſtodiæ honorario? Sic enim proſequuntur Patres: *Ipſius enim terror, & ſtudium hujuſmodi, in quantum poſſibile eſt, eſſe debet, Primò, ut nulla injuſtitia fiat: deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat* &c.

20. De illis Officiis à Rege, vel eo ipſo nomine quòd Rex eſt, omnibus ſubditis, ſed multò magis Eccleſiis Dei, debitis, addunt Patres: *Scire autem oportet, quia ſi de otioſo ſermone Deo rationem redditurus eſt; multò magis de Miniſterio ſibi divinitùs commiſſo.* Non verò de ſolâ Eccleſiarum defenſione aſſerunt, quòd ſit *Miniſterium* Regibus *divinitùs commiſſum*, ut perſuadere voluiſſe videtur Diſſertator, majuſculis characteribus notans hæc verba: *Defenſor Eccleſiarum*, & iſta: *De Miniſterio ſibi divinitùs commiſſo*, ac multa interpoſita prætermittens: quaſi Defenſio Eccleſiarum, de quâ loquuntur Patres Trosleiani, idem eſſet ac Regalia, vel Regaliæ fundamentum, & ad Regem Chriſtianiſſimum Jure Divino pertineret.

21. Si minutim omnia ejuſdem Concilii verba ponderaremus, alia occurrerent, cauſæ, quam defendimus, ſuffragantia, & digniora, quæ magnis characteribus ſcriberentur, quàm quæ à P. Alexandro pro Jure Regio notata ſunt. Ejuſmodi ſunt, verbi gratiâ, illa hujus Canonis ſecundi: *tantò gravius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus in Divino redditurì ſunt examine rationem:* Sed illis non immoramur, quia non ita proximè cum Regaliâ conjuncta ſunt.

22. Cæte-

Art. 2. §. 17. 22. Cæterùm non video, quomodò ex illo Canone *reſellantur*, quæ Autor Tractatûs Appamienſis, capp. 2. & 4. *probanda ſibi ſumit*, *Regaliam naturali aut Divino Jure non niti*; *imò cum utroque pugnare*: quæ tamen ultima verba non leguntur in prædictorum Capitum titulis, ex quibus conſpicitur quænam *probanda ſibi ſumat* præfatus Autor. Imò hujus libri ſecundi titulus generalis eſt: *Livre ſecond. Ou l'on Montre que la Regale ne peut être juſte que par la conceſſion de l'Egliſe*; Id eſt, „ Liber ſecundus, in quo Regaliam non niſi ex Eccleſiæ conceſſione, juſtam eſſe poſſe demonſtratur „ quæ exceptio conſequenter ubique intelligenda eſt. Sed de hoc inferiùs recurret ſermo, ubi P. Alexander ſuam illam querelam inſtaurabit.

§. DECIMUS SEPTIMUS.

De Privilegio à Papa Formoſo Eccleſiæ Remenſi conceſſo.

1. DISSERT. „ Fruſtra quis objiceret Privilegium „ quod Papa Formoſus Eccleſiæ Remenſi conceſſit anno 892. precibus Fulconis Archiepiſcopi „ annuens; cujus Privilegii meminit Flodoardus „ lib. 4. Hiſtoriæ Remenſis cap. 2. *Sanciens inſuper auctoritate Beati Petri*, (inquit) *ut nemo Regum*, *nullus Antiſtitum*, „ *nemo quilibet Chriſtianus decedente Remorum Epiſcopo*, *ipſum* „ *Epiſcopatum vel res ipſius Eccleſiæ ſuis compendiis applicet*, *neque ſub ſuo dominio teneat*, *præter ipſius civitatis Epiſcopum*, „ *& eamdem Metropolim non ultra Conſtitutionem Canonicam* „ *ſine Regulis conveniente Paſtore manere cogat*, *neque aliter*

Epiſco-

„ *Epiſcopum ibidem, niſi ut Sacri Canones jubent conſtitui fa-* Art.2.
„ *ciat.* Fruſtrà, inquam, id opponitur, cùm eam Obje- §. 17.
„ ctionem occupaverit ac diluerit doctiſſimus Archipræſul
„ Petrus de Marca lib. 8. de Concordia Sacerdotii & Imperii,
„ cap. 22. num. 4. *Abuſus ille*, inquit, *quem hoc loco damnat*
„ *Formoſus, confundi non debet, cum Jure Regaliæ de quo nunc*
„ *agimus. Nam Regalia deſinit poſt præſtitum fidelitatis Jura-*
„ *mentum: Reſcriptum verò Papæ Formoſi traducit pravam*
„ *quamdam conſuetudinem, quæ in Galliis invaluerat, ubi Laï-*
„ *cis non ſolùm Monaſteria concedebantur* propter imminentem
„ Reipublicæ neceſſitatem, (*ut habetur in Canone quinto Sy-*
„ *nodi apud Theodonis Villam habitæ anno* 844. *& in Canone duo-*
„ *decimo Concilii Vernenſis*) *ſed etiam interdum reditus Epiſco-*
„ *patuum vacantium. Quò alludit Canon* 21. *Concilii Meldenſis*
„ *anno* 845. *congregati, dum loquitur* de precariis factis ab his,
„ qui loca Epiſcoporum occupaverunt. *Hinc autem fiebat ut E-*
„ *piſcoporum electiones retardarentur. Cui incommodo occurrit*
„ *Privilegium Papæ Formoſi.*

2. RESP. Etiamſi documentum illud minùs valeret ad probandum, Regaliam in uſu non fuiſſe ſub ſecundâ Regum Dynaſtiâ, non ideò vinceret P. Alexander, tum quia id abundè confirmatur ex aliis teſtimoniis; tum quia in favorem libertatis, præſertim Eccleſiæ, præſumendum eſſet, etiam deficientibus teſtimoniis, niſi ejus ſervitus certis probationibus demonſtraretur.

3. Sed videamus, an *Privilegium quod Papa Formoſus Eccleſiæ Remenſi conceſſit*, quodque P. Alexander ſibi objicit, Regaliæ non adverſetur? Primò certum eſt, illud Privilegium reſpicere tempus vacationis Eccleſiarum, *decedente Remorum Epiſcopo:* Secundò prohibere, non ſolùm, ne quis ipſum

Art. 2. *Epiſcopatum*, ſed ne etiam *res ipſius Eccleſiæ ſuis compendiis*
§. 17. *applicet*: Tertiò illam prohibitionem fieri etiam Regibus. *Ut nemo Regum* &c. Quid ultrà deſideratur, ut vetetur, ne Reges fructus Eccleſiæ Remenſis tempore vacationis ſibi vindicent?

4. Sed, ſi credimus Diſſertatori, *fruſtrà id opponitur, cùm eam Objectionem occupaverit ac diluerit doctiſſimus Archipræſul Petrus de Marca lib. 8. de Concord. Sacerd. & Imper. cap. 22. num. 4.* Non recuſo Judicem, dummodò ſincerè & integrè ejus ſententia exponatur. Primò igitur notandum eſt, Illuſtriſſimum illum Antiſtitem in hoc numero quærere, an Reges Chriſtianiſſimi Jure Regaliæ, in illis ſcilicet Eccleſiis, in quibus illud obtinebat, fructus ſuos facerent, & Beneficia conferrent, eâque occaſione, quo primùm tempore cæperit hujuſmodi uſus, inveſtigare. En ejus verba: *Nunc ergo inſpiciendum eſt, an iidem* (Reges) *fruerentur reditibus, & an Præbendas ullo unquam tempore contulerint. Ac primâ quidam fronte occurrit, vetuſtum eſſe uſum illum fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, argumento ducto à Privilegio; quod Papa Formoſus Eccleſiæ Remenſi conceſſit an. 892. precibus Fulconis Eccleſiæ Archiepiſcopi annuens.* Ubi jam videre incipis, Dominum de Marca hoc Privilegium ſibi objicere, quia nimirum num. ſeq. docet uſum percipiendorum fructuum Eccleſiarum vacantium Jure Regaliæ, non niſi duodecimo ſæculo inductum.

5. Secundò hujus Privilegii ſummarium ſic conficit: *Prohibet enim ne Reges, Epiſcopi, aut quilibet Chriſtianorum, ſede Remenſi vacante, in ſuam utilitatem convertant Epiſcopatum Remenſem; aut ejus reditus; Sed omnia futuro Antiſtiti reſerventur, eligendo intra tempus ſtatutum in Canonibus, id eſt, intra*

tra trium Menſium Spatium, ne diutiùs, quàm par eſt, Metropolis ſit deſtituta Paſtore. Poteratne Illuſtriſſimus Archipræſul apertiùs declarare, Papam Formoſum confirmâſſe Canonem vigeſimum quintum Concilii Calcedonenſis, reditus Eccleſiæ viduatæ futuro Epiſcopo penes Oeconomum ipſius Eccleſiæ ſervari jubentem? Art.2. §. 17.

6. Tertiò quia illud Privilegium ſibi objecerat, quaſi ex eo ſequeretur, Reges fructus Eccleſiarum vacantium Jure Regaliæ jam tum percipere ſolitos; (alioquin enim fruſtrà petitum fuiſſet Privilegium ab illo onere eximens) reſpondet, quòd *abuſus ille, quem hoc loco damnat Formoſus, confundi non debet cum Jure Regaliæ de quâ nunc agitur*: quaſi diceret, Reges tunc temporis non Jure Regaliæ, ſed per merum abuſum & apertam injuſtitiam reditus Eccleſiarum vacantium aliquoties uſurpâſſe. Abuſum enim appellat, etiam redituum conceſſionem Laïcis factam vacantibus Eccleſiis, quæ tamen culpari non poſſet, ſi, ut vult P. Alexander, reditus illi ad Reges pertinuiſſent. Patet Illuſtriſſimi Archiepiſcopi mens ex formâ loquendi: *Reſcriptum*, inquit, *Papæ Formoſi traducit pravam quamdam conſuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi Laïcis non ſolùm monaſteria concedebantur...... Sed etiam interdnm reditus Eccleſiarum vacantium.*

7. Quartò, hunc abuſum ceſſâſſe ait ante contentiones circa Inveſtituras, quæ undecimo ſæculo ortæ ſunt, & ſæculo duodecimo compoſitæ. *Porro*, inquit, *conſuetudo hæc interrupta erat ante controverſiam Inveſtiturarum*, quod continuò probat, numerum quintum ſic ordiens; *V. Nam ſi Principes tum ſoliti eſſent frui reditibus Epiſcopatuum vacantium, & Præbendas conferre; id haudquaquam ſilentio tranſmiſiſſent Gregorius VII. Urbanus II. Paſchalis II. & Calliſtus II. qui ſe-*

Art. 2. *verè admodum damnaverunt unicam illam ſolemnitatem Inveſti-*
§. 17. *turæ per baculum & annulum & ſolemnitatem Juramenti per manum, quique Inveſtituram coërcuerunt ad ſola feuda.*

8. Quintò, tempus aſſignat poſt quod arbitratur percipiendorum fructuum uſum cepiſſe. *Itaque*, inquit, *in eâ ſum ſententiâ, ut exiſtimem, uſum-fructum redituum Eccleſiaſticorum introductum eſſe poſt conſtitutionem Calliſti editam an.* 1122.; *quæ Regibus tribuit poteſtatem exigendi à Prælatis univerſa officia & obſequia, quæ ratione feudorum exhibere tenentur*, & cætera quæ probant, Regaliam ante Papam Formoſum non fuiſſe in uſu; ac poſtquàm inducta eſt, in aliquibus tantùm Eccleſiis locum habuiſſe.

9. Viderit P. Alexander, an non etiam propter hoc teſtimonium Domini de Marca, criminatio tam iniqua in Autorem Tractatûs Appamienſis §. ſuperiori, occaſione Concilii Trosleiani vibrata, juſtè in eum retorqueri poſſit, & mutatis aliquibus ejus verbis dici; *Hunc Domimi de Marca locum integrum referre operæ pretium fuit, ut nuperi Autoris qui Deſſertationem de Regaliâ contra Eccleſiæ Libertatem edidit, mala fides comprobetur, qui verum illuſtriſſimi illius Archipræſulis ſenſum diſſimulat, ideòque omnia verba illius non refert, ne fraus ejus pateat omnibus, qui locum ipſum attentè legerint.*

10. DISSERT. „ Addiderim, omnino conſtare ex „ verbis Flodoardi, ſive ex verbis Privilegii ab ipſo deſcriptis, „ illud Jus Regaliæ non attigiſſe: *Nullus Antiſtitum, nemo quilibet Chriſtianus*, &c. Jus enim Regaliæ ſolis Regibus, „ non Epiſcopis aut Chriſtianorum vulgo convenit. Tandem cùm Privilegium legem communem, immunitas obligationem ſupponat, ſi Privilegium immunitatis à Regaliâ, „ Eccleſiæ Remenſi à Formoſo Papa conceſſum eſſet, ſequeretur

„ tur ipſam ſub ſecundâ Regum noſtrorum ſtirpe, Regaliæ *Art.2.*
„ fuiſſe obnoxiam. Quanquam hujuſmodi Privilegii conceſ- §. 17.
„ ſio ad Pontifices non ſpectet, ſed ad Reges, quorum eſt de
„ Juribus ſuis aliquid interdum remittere, cùm eorum lubet
„ Majeſtati.

11. RESP. Privilegium à Flodoardo relatum, *Jus Regaliæ non attigit*, quia Jus Regaliæ tunc nullum erat; ſed *ſancivit, ut nemo, decedente Remorum Epiſcopo, ipſum Epiſcopatum, vel res ipſius Eccleſiæ ſuis compendiis applicaret, neque ſub ſuo Dominio teneret*; & hæc Sanctio non ſolùm Antiſtites aut quoslibet Chriſtianos, ſed etiam ipſos Reges expreſſè afficit: *Ut nemo Regum, nullus Antiſtitum, nemo quilibet Chriſtianus*, &c. Non enim Regibus plusquàm Antiſtitibus, aut quibuslibet Chriſtianis licebat reditus Eccleſiarum vacantium ſibi vendicare: ac ſi quando ſecus fiebat, abuſus erat, ut ait Dominus de Marca ab Autore citatus his verbis: *Reſcriptum verò Papæ Formoſi traducit pravam quamdam conſuetudinem quæ in Galliis invaluerat, ubi Laïcis non ſolùm Monaſteria concedebantur .... Sed etiam interdum reditus Epiſcopatuum vacantium.*

12. Nec eſt quòd Diſſertator in verbo, *Privilegium*, quo titulo appellatur hæc Formoſi conſtitutio, vim faciat. Qui enim Eccleſiaſticorum Scriptorum ſtylo aſſuetus eſt, novit, Privilegium non pro ſolâ immunitate à Lege juſtâ uſurpari, ſed pro quâlibet prærogativâ, immunitate, aut exemptione, etiam ab onere injuſto. Itaque hoc Privilegium eximebat *à pravâ illâ conſuetudine Laïcis concedendi interdum reditus Epiſcopatuum vacantium.* Dicitur etiam Privilegium, quamvis nihil contra legem permittatur, ſed tantùm lex favens libertati, adjectis pœnis roboretur. Denique verba illius Conſtitu-

 tionis,

Art. 2. tionis, quantùm ex Flodoardo colligitur (nec enim extat ipſa)
§. 17. non Privilegium, ſed Sanctionem Jus commune confirmantem, ſonabant: *Sanciens inſuper* &c.

13. Nec obſtat quòd Flodoardus Conſtitutionem Privilegii nomine nuncupet. Nam præterquàm quòd in Scriptoribus mediæ ætatis non eſt requirenda accurata verborum proprietas, Privilegium dici poteſt etiam quod Jure communi ſtatutum eſt, cùm ſupremâ Sanctæ Sedis autoritate ſpeciatim munitur, quia tunc arctiùs obligat nec tam facilè violatur: ut communiter docent Canoniſtæ argumento cap. Quia in cauſis: De Procuratoribus & cap. Innovamus. De Treuga & pace &c. Sed etſi Privilegium in ſtrictiori ſignificatione recipiatur, potuit adhuc Conſtitutio Formoſi hoc nomine deſignari, cùm non ſolùm uſurpandorum bonorum Eccleſiæ Remenſis, vacante ſede, prohibitionem contineret, ſed & aliud caput de præſtariis ad petitionem ejuſdem Fulconis, quod ſpecialius privilegii nomine videtur appellare Flodoardus his verbis: *Mittit ei* (Fulconi) *prætereà petitum ſuper quibuſdam præſtariis Privilegium.*

14. An autem Patri Alexandro Regiæ cauſæ patrocinanti potiùs, quàm Fulconi celebri ſanctoque Epiſcopo Privilegium petenti, ac Formoſo ſummo Pontifici concedenti aſſentiemus circa poteſtatem indulgendorum hujuſmodi Privilegiorum? *Hujuſmodi Privilegii conceſſio*, inquit P. Alexander, *ad Pontifices non ſpectat*, *ſed ad Reges*, *quorum eſt de Juribus ſuis interdum aliquid remittere, cùm eorum lubet Majeſtati.* Fulco autem & Formoſus Privilegium illud à Papa poſſe concedi exiſtimârunt.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

Art. 3. §. 1.

Utrum Eccleſiæ Feuda Regi obnoxia, ſub primâ & ſecundâ Regum Francorum Dynaſtiâ poſſiderent; qui Juris Regaliæ titulus eſt alter: & debita ob hujuſmodi Feudorum poſſeſſionem ſervitia Regibus præſtarent.

§. PRIMUS.

De origine ac naturâ Feudorum.

1. DISSERT. „ A veteribus Francis Feudorum originem arceſſunt, qui de hâc materiâ ſcripſêre, „ Luca à Penna, & Udalrico Zaſio exceptis. Hi „ ſcilicet terras marte ſuo occupatas in feudum „ concedebant ad onus recognitionis, Juramenti fidelitatis, „ & cæterorum onerum militarium, pro modo redituum „ feudi, & ad onus renovationis Inveſtituræ, certorumque „ commodorum, mutatione vaſſalli contingente, cum exce- „ ptione mutationis in lineâ directâ, & quandoque ſine eâ „ exceptione. Varias feudi definitiones Juris conſulti tradunt. „ Accuratior iſta eſt: ***Feudum eſt benevola, libera, & perpe- „ tua conceſſio rei immobilis, vel æquipollentis, cum tranſlatione „ utilis Dominii, proprietate retentâ, ſub fidelitate, & exhi- „ bitione ſervitiorum.*** Alodia eo modo & iis conditionibus con- „ ceſſa, ***Beneficia*** vocabantur. Mortuo Beneficiario, defectu „ hominis qui debita ſervitia præſtaret, præſertimque mili- „ tiam, bona hujusmodi in Principis manum veniebant, qui „ ipſa

*Art.*2. „ ipſa novâ Inveſtiturâ novis vaſſallis conferebat. Sub Clodo-
§. 17. „ veo primùm Beneficii nomen in Galliis auditum, quem
„ agros Aureliano cuidam in Beneficium dediſſe, teſtatur Ai-
„ moinus lib.1. cap.14. *Unde, inquit, cùm Clodoveus Regnum*
„ *ſuum uſque Sequanam, atque poſtmodum uſque Ligerim fluvios*
„ *ampliâſſet: Milidunum Caſtrum eidem Aureliano cum totius*
„ *Ducatu Regionis, Jure Beneficii conceſſit.* In formulis Mar-
„ culſi Beneficium à Fiſco acceptum, diſtinguitur à proprietate
„ form.2. 12. & 33. lib.1. Omnia namque prædia tunc tem-
„ poris aut propria erant, aut fiſcalia. Propria ſeu proprieta-
„ tes, & alodia dicebantur, quæ nullius juri obnoxia erant,
„ ſed optimo maximo jure poſſidebantur, ideoque ad hære-
„ des tranſibant. Fiſcalia verò Beneficia, ſive Fiſci vocaban-
„ tur, quæ à Rege ut plurimùm, poſteaque ab aliis ita con-
„ cedebantur, ut certis legibus ſervitiiſque obnoxia, cum
„ vitâ accipientis finirentur. Gregorius Turonenſis lib.9.
„ cap.38. *Sunnegiſillus & Gallomagnus, privati à rebus, quas*
„ *à Fiſco meruerant, in exilium retruduntur,* &c. *quibus nihil*
„ *aliud eſt relictum, niſi quod habere proprium videbantur.* Be-
„ neficium uſu-fructuario duntaxat jure & ad vitam concede-
„ batur; Fidelitatis præterea Sacramento, quod in manibus
„ Regis præſtabatur, ut conſtat ex formula Marculſi 18. lib.1.
„ Subditos qui *Leudes* & *Antruſtiones* dicebantur, ſicut &
„ militiæ oneri adſtringebat: quos Edicto convocari ſolitos,
„ oſtendit Appendix Gregorii Turonenſis, cap.87. *Juſſu,*
„ inquit, *Sigeberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitu gra-*
„ *diendum banniti ſunt.* Capitulare Caroli Magni lib.3. cap.19.
„ *Auditum habemus, qualiter & Comites, & alii homines, qui*
„ *noſtra Beneficia habere videntur, comparant ſibi propietates de*
„ *ipſo noſtro Beneficio.* Beneficia Militaria uſu-fructuario dun-
„ taxat

„ taxat jure conceſſa fuiſſe, non ad hæredes tranſiiſſe probat *Art.* 3.
„ vetus Præceptum Ludovici Pii ab Andrea Ducheſnio edi- §. 1.
„ tum in Notis ad Petrum Venerabilem, quo Dodiniacum
„ Curtum, quam Heſimbertus Regiâ largitione hactenes in
„ Beneficium habuerat, Monaſterio *Dors* nuncupato, cum
„ omni integritate attribuit. Idem probat Inſtrumentum Do-
„ nationis Caroli Calvi, in Hiſtoriâ Bellovacenſi relatum, quâ
„ ad petitionem Odonis Bellovacenſis Epiſcopi, medietatem
„ villæ quæ *Luciatus* vocabatur, quam tunc temporis Rodin-
„ gus Regius Capellanus *in Beneficium tenebat*, Monaſterio
„ S S. Martyrum *Luciani*, *Maxiani*, atque *Juliani* conceſſit,
„ & perpetuò poſſidendam delegavit. Alteram verò ejuſdem
„ villæ medietatem quam *Sigefridus* Regius *Vaſſallus tunc in*
„ *Beneficium retinebat*, *decedente eo*, *abſque humanis rebus va-*
„ *lefaciente*, in ejuſdem Monaſterii proprietatem tranſtulit.
„ Militaria hujusmodi Beneficia ſub finem ſecundæ Regum
„ noſtrorum Dynaſtiæ hereditaria eſſe cæperunt, & feudo-
„ rum appellationem tum primùm ſortita ſunt, ut probat M.
„ Antonius Dominicy lib. De Prærogativa Allodiorum, cap. 15.
„ Feudorum obſequia Conſtitutione ſuâ definivit Carolus
„ Craſſus, ſub quo nondum hereditario jure feuda poſſide-
„ bantur. *Qui autem hominum*, inquit, *ſive liberi*, *ſive famuli*,
„ *Dominis ſuis adhæſerint*, *quot decem manſos in Beneficio poſ-*
„ *ſideant*, *tot brunias cum duobus ſcutariis ducant.* Fidelibus
„ verò vel domeſticis Eccleſiarum hanc legem præſcripſit: *Ut*
„ *quicunque quinque manſos in Beneficio poſſideant*, *Domino ſuo*
„ *ad quem pertinent*, *bruniam cum uno ſcutario ducant.* Ex hàc
„ Conſtitutione Caroli Craſſi, quâ jubetur ut pro unoquo-
„ que Manſo in Beneficium poſſeſſo, Miles cum brunia inſer-
„ viat, nata origo *Feudorum* Loricæ, de quibus apud Sigeber-

Art.3. „ tum, ad annum 1160. Brunia enim idem quod Lorica. Inde
§. 1. „ etiam quòd Miles duos ſcutarios ſecum ducere teneretur, „ *Feuda ſcutiferorum.* Quia vero ſcutis & baculis quædam Mi- „ litum turmæ ſe exercebant, ut ex antiquis Actis probat idem „ Dominicy, prædia illis in feudum data, *Baccalariæ Indomi-* „ *nicatæ* vocabantur, quaſi Baccalariis Militibus attributa, ut „ conſtat ex Teſtamento Beati Geraldi, & ex Donatione factâ „ à Godefrido Comite Cadurcenſi circa tempora Caroli Cal- „ vi, Abbatiæ Bellilocenſi, in Pago Lemovicino.

2. Resp. Quæcunque fuerit Feudorum origo, quicunque fuerit illorum progreſſus, (parum enim ad propoſitam quæſtionem refert) vitioſa eſt illorum definitio, quam velut accuratiorem tradit Autor Diſſertationis. Cùm enim juxta dialecticæ regulas, definitio & definitum convertantur, debeatque definitio nulli definito non convenire; quæ pro explicandâ feudorum naturâ traditur, vocibus illis, *Et exhibitione ſervitiorum*, nimis anguſtatur: quandoquidem feudum ita concedi poteſt, ut Vaſſallus illud recipiens, ad nullum ſervitium teneatur; quod de illâ ſpecie feudi, quod honoratum dicitur, probat Carolus du Freſne in ſuo Gloſſario: *Feudum*, inquit, *honoratum, nulli ſervitio obnoxium, proinde idem quod francum.* Cujus rei exempla profert, quorum primum eſt pactum initum inter Petrum Regem Aragonem, & Jacobum Regem Majoricarum ſuper Regno Majoricarum XIII. Kal. Feb. 1278. Hæc inter alia continens; *Nos Jacobus .... recipimus à vobis Domino Petro Aragonum in Feudum honoratum ſine omni ſervitio .... totum prædictum Regnum Majoricarum.*

3. Jacobus Cujacius, licet propoſitam ab Autore definitionem tradat in Præfatione ad libros de Feudis, addit nihilominus; *Liberi tamen Vaſſalli plerùmque moribus noſtris nihil de-* *bent*

bent præter manûs porrectionem, & deoſculationem, quæ ſunt *Art.* 3.
hominii ſigna. De ratione ac naturâ feudi eſt, ut vaſſallus fidem §. 1.
ſervet domino, non autem ut ſervitia præſtet, quando ea non eſt regionis conſuetudo, vel ſi tempore traditionis vaſſallus ab illo fuerit exemptus onere. Eccleſias autem ab eo onere immunes fuiſſe, poſſet ex multis conjici. Ad minus certum eſt, non poſſe, prætextu feudorum, Regaliam ad omnes Eccleſias porrigi, ut infrà demonſtrabimus, quod unum in hâc diſputatione quæritur.

4. Primò, propria & primitiva feudorum inſtitutio eò reſpiciebat, ut milites jam de Principibus benè meriti, & auxilium ipſis conferre valentes, bonis immobilibus, quæ Beneficia vocabantur, acceptis, arctiùs adſtringerentur ad ſervandam fidem, & opem, in bellis præſertim, præſtandam. Cùm autem hujuſmodi Beneficia Eccleſiis conceſſa ſunt, Principes ſpirituale potiùs, quàm temporale ſubſidium à Deo expectabant, cujus cultui bona ſua conſecrabant; Miniſtrorum etiam Eccleſiaſticorum, in quorum alimoniam cedebant fructus rerum oblatarum, precibus, non armis, impetrandum id ſubſidium confidebant: quippe cùm ſcirent Clericis prohibitam à ſacris Canonibus militiam ſæcularem, votiſque duntaxat & ſacrificiis adverſùs reipublicæ hoſtes licere illis bellum gerere. Quamvis autem coacti ſint aliquando Gallicani Epiſcopi exercitus comitari, non ut propriâ manu decertarent, ſed ut præſentiâ ſuâ certantium ſpem & animos erigerent; non creditur in feudi conſtitutione appoſita hæc conditio, Eccleſiaſticis Canonibus parùm conſentanea; ſed à Principibus, Epiſcoporum præſentiam plurimùm armis ſuis profuturam exiſtimantibus, ſucceſſu temporis exacta. Subminiſtrarunt etiam olim Prælati milites Principibus; ſed veriſimile eſt, illud

 onus

Art.3. onus non primæ feudorum in Eccleſias collationi appoſitum §. 1. fuiſſe, ſed poſtmodùm Eccleſiaſticis feudis, adinſtar feudorum laïcalium, adjectum. Etenim Gregorius Turonenſis teſtatur, ſuo tempore liberas ab ejuſmodi oneribus fuiſſe Eccleſias Gallicanas. Sic enim habet lib. 5. Hiſt. Franc. cap. 27. *Chilpericus Rex de pauperibus & junioribus Eccleſiæ vel Baſilicæ bannos juſſit exigi, pro eo quòd in exercitu non ambulaſſent.* NON ENIM ERAT CONSUETUDO, UT HI ULLAM EXSOLVERENT PUBLICAM FUNCTIONEM. Et tamen tunc temporis adeò bonis abundabant Eccleſiæ, ut idem ſanctus Hiſtoricus, lib. *6*. cap. ultimo, ejuſdem Chilperici, quem Neronem ſui temporis & Herodem vocat, mortem narrans, & vitia deſcribens, ac præſertim injurias Eccleſiis illatas, de illo referat, quòd ajebat plerùmque: *Ecce pauper remanſit Fiſcus: Ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt tranſlatæ: Nulli penitùs niſi ſoli Epiſcopi regnant: Periit honor noſter, & tranſlatus eſt ad Epiſcopos civitatum.*

5. Non negatur, potuiſſe Principes in bonorum donationibus, aliquid ſibi, vel ſuæ familiæ, præſertim ad vitam, reſervare: ſed niſi, ut jam diximus, ex inſtrumento, vel ex conſuetudine conſtet, quid quantumve retentum ſit, largè interpretanda ſunt Principum beneficia. Imò bona Deo ab ipſis oblata, titulo meræ donationis, potiùs quàm feudi, conceſſa fuiſſe ſuadet eorum religio. Ita docet, pluribuſque teſtimoniis confirmat Andreas Tiraquellus Regius in Curiâ Pariſienſi Senator, tom. 5. comment. in l. *Si unquam. c. de revocandis donationibus.* ad verb. *donatione largitus*, num. 338. *Feudum non eſt donatio, ſed datio ob cauſam; ut etiam dicit Oldradus, conſ.* 159. *ex præſenti themate, colum.* 1. *verſicu. in contrarium, per l.* 1. *ff. de donat. Ubi & illud dicit, quòd in*

in dubio conceſſio facta à Principe, videtur potiùs facta titulo donationis, quàm feudi, ut major ſit Liberalitas, propter qualitatem concedentis: ut hinc etiam poſſis intelligere, aliud eſſe donationem, aliud conceſſionem feudi. Et illud dictum ſequitur Alber. in rubric. C. de donat. verſic. Item quæro de quæſtione ardua. & Philipp. Dec. in authent. Ex *Teſtamento, col.* 2. *vers. Sed certè C. de Colla. & conſ.* 32. *cujus ſuperſcriptio incipit, an fœmina dicatur, col.* 2. *& conſil.* 269. *conſultus. col.* 1. *& conſil.* 208. *ad clariorem demonſtrationem col.* 2. *verſic. poſtremò advertendum eſt. & conſil.* 289. *non eſt parvi ponderis. col.* 3. *verſi.* 9. *& Conſil.* 468. *ſuperiori anno col.* 3. *& conſil.* 498. *viſo caſu propoſito. col.* 2. *verſic. & ex his patet. & Carol. Ruin. conſ.* 38. *Quoniam col.* 2. *n.* 4. *lib.* 1. *& conſ. ſeq. viſis, col.* 1. *& col.* 5. *verſic. ſola igitur eod. lib.* 1. His addi poteſt Philippus Decius conſ. 269. n. 1. *Bona*, inquit, *in dubio præſumuntur allodialia, & non feudalia, ut notat Joan. Andr. & Doctores in cap. nimis. de jurejurando, & probatur in c.* 1. §. *defuncto, in tit. ſi de feud. fuerit controverſia inter domin. & agnatos*; &c. Vide conſil. 424. numeris 7. & 8. Præterea conſil. 60. num. 1. notat quòd Vaſſallus *compelli non poteſt ad oſtendendum inveſtituram feudi, ut appareat quo Jure talia poſſideat, ut no. tradit. Bar. in. l.* 1. *cod. de conducto & procurato prædio Fiſc. lib.* 11. *dicens, quòd ſi Rex facit citare Baronem ſuum, ut oſtendat Jura, quæ in caſtris habet quæ poſſidet, talis citatio non valet, cùm nemo cogatur oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis l. cogi. C. de petit hæred.* Art. 3. §. 1.

6. De bonis feudalibus ſpeciatim hæc tradit Jacobinus de Sancto Georgio Sabaudus Jureconſultus. Tractatu feudali. § *In feudum* n. 33. *Sed hîc quæro, utrum ſi Rex, Baro, vel Comes donet Eccleſiæ Comitatum vel Baroniam, an Eccleſia tenebitur*

Art. 3. §. 1. *ſubire tributa, ad quæ per priùs tenebatur? Inn. in c. Verum. extra. de foro comp. determinat quod non, niſi in donatione hoc fuerit expreſſum.* Sunt autem Innocentii in cap. *Verum. de foro competenti.* num. 2. verba quæ ſequuntur: *Si autem Baroniæ prædictæ non concedantur in feudo, ſed ſimpliciter, tunc in nullo tenetur donatori etiam de aliis muneribus quæ priùs ſubibat Baronia. infrà, de donat. Cùm dilectus. Si autem ſibi retinuit, illi præſtabuntur, dummodò ſint honeſta, ut not. infrà, de Immun. Eccleſ. Non minus.*

7. Deinde plurima bona Eccleſiis alio quàm feudi titulo data, confirmat Jacobinus his verbis: *Addo vobis Ang. idem volentem in l. fi. C. de revoca. dona. & num. 36. Addo vobis quòd D. Panor. in C. Veniens. extra. de Accuſa. in pri. col. dicit, quoſdam dicere quòd Princeps ſæcularis habet fundatam juriſdictionem ſuper omnibus bonis temporalibus Eccleſiæ, in tantùm quòd Prælatus pro talibus bonis temporalibus tenetur præſtare Homagium Principi ſæculari. Sed ipſe D. Panormitanus intelligit hoc procedere, quando talia bona temporalia fuerunt per Principem ſæcularem conceſſa Eccleſiæ in feudum, juxta ea quæ habentur in dic. cap. Verum extrà. de foro comp. Sed ſi non fuiſſent conceſſa in feudum, ſed liberaliter donata Eccleſiæ, non tenetur Prælatus præſtare Homagium. Alleg. Inno. in C. ſolitæ. Extrà de majo. & obed.*

7. Quin & ipſa bona profana libera præſumuntur, ut Ægidius Magiſter Protopræſes Pariſienſis, trac. de amortizationibus, qui extat tom. 13. parte 2. tract. Illuſtrium Juriſconſultorum docet cap. 5. n. 5. *Omnia*, inquit, *immobilia ſuapte naturâ ſunt allodialia. Res enim non præſumitur feudalis, ſed allodialis, ſeu libera, niſi probetur verè vel præſumptivè, ut notat Joan Andr. atque alii poſt eum in C. nimis. de jurejur. & in C. ſi.*

C. fi. in Verb. reſpondere de Judi. probatur. C. 2. & ibi notant doct. in titu. Si de feudo fuerit controverſia inter Domin. & Agnat. & in C. 2. cum Gl. ibi. in tit. de controver. inter mas. & fæmi: de Benef. & notat Jo: And. in additione ad ſpec. in tit. de feudo §. Quoniam, ſuper verſic. 2. in additione incipiente; ceſſante. Et notat Baldus in l. libertas ff. de ſtatu homin. Id quoque alia ratione probatur, quòd res quæ dicitur feudalis dicatur quamdam ſervitutem debere. No. Gl. in l. ſi cujus §. ſi uſus-fructus, in verb. oportet. ff. de uſu-fructu. no. Bald. in C. 1. circa ult. col. de controver. inveſt. Res autem quælibet præſumitur libera, niſi probetur ſervitus l. altius Cod. de ſervit. & l. fi. ff. eod. tit. de quo plenè per jas. in l. ſi priuſquam col. 13. ff. de novi oper. nunciat. Art. 5. §. 1.

8. Secundò cùm bona non Epiſcopis, ſed Eccleſiis data ſint, donatores fructus illorum ad ſe, defunctis Epiſcopis, revocare voluiſſe, niſi aliud expreſſerint, judicandi non videntur: quâ fortè ratione P. Alexander ductus eſt art. 1. §. 4. ut *feuda Regalia diceret iiſdem Legibus & conditionibus ab Eccleſiaſticis perſonis* (potiùs quàm ab Eccleſiis) *ac à reliquis hominibus poſſideri*; quia ſcilicet feuda patrimonialia Clericorum iiſdem oneribus obnoxia ſunt, quibus aliorum hominum feuda, cùm alia eſſe videatur ratio feudorum, quæ Clerici non proprio, ſed Eccleſiarum nomine poſſident. Suadet enim Principum pietas, eos, cùm bonorum à divinâ liberalitate acceptorum partem ipſi conſecrârunt, noluiſſe ſibi ipſum, ut ita dicam, Vaſſallum conſtituere, reſervatis ſibi fructibus omnibus tempore vacationis Eccleſiarum provenientibus, uſque ad Inveſtituram futurorum Epiſcoporum: quod maximum eſt dominii ſignum. Eâ namque reſervatione rei utilitas & poſſeſſio ad eum revertitur, penes quem dominium

Art. 3. §. 1. minium directum ſupponitur permanſiſſe, quod parùm convenit donis Deo Opt. Max. factis. Præterea cùm bona Deo, aut Sanctis & Eccleſiis oblata ſint, Epiſcopi autem non niſi adminiſtratores & diſpenſatores ſint illorum & aliorum bonorum Eccleſiaſticorum, ut Patres & Concilia paſſim admonent, nullus eſt, Epiſcopis morientibus, Relevio locus. Ut enim obſervatum eſt à Carolo du Freſne in Gloſſario, *Relevare feudum, Pragmaticis Gallis*, RELEVER LE FIEF, *eſt feudum caducum, vel poſſeſſoris morte in manu Domini ſuperioris jus delapſum, illius conſenſu & certâ definitâ exolutâ pecuniâ hæreditario jure adire, poſſidere: ſeu potiùs in feudi caduci poſſeſſionem à Domino mitti. Quippè cùm ea primùm feudorum fuerit conditio, ut nonniſi ad vitam & uſu-fructuario utenda à Dominis concederentur, quâ finitâ in donatoris jus rurſum redibant, factumque poſteà, & uſu tacito introductum, ut illa in hæredes tranſirent, domino ſuperiore ita conſentiente, & caducam hæreditatem in eum transferente exoluto certo pretio, quo mediante hæres caducum prædium relevabat.* Cùm ergo Epiſcopo feudum datum non ſit, eo moriente in manus Domini non recidit, atque adeò relevari non indiget.

9. Tertiò Jus percipiendi fructus feudi vacantis, ſive quod illi ſucceſſit Relevium, non eſt generali ac neceſſariâ feudorum lege conſtitutum; ſiquidem in illis Galliæ Provinciis, quæ Jure, quod Scriptum vocant, reguntur, quibuſque media ferè illius Regni pars continetur, non eſt in uſu: in reliquis autem, quæ Jure conſuetudinario utuntur nec univerſim, nec eodem modo obſervatur, quod teſtantur illarum conſuetudines, quæ, cùm ſolo uſu conſtitiſſent, poſtea conſcriptæ ſunt. Varias conſuetudinum illarum circa Relevium differentias recenſet Carolus du Freſne in ſuo Gloſſario

verb.

verb. *Relevium* vers. *In plerlſque conſuetudinibus.* & ſeqq. Quapropter non poteſt univerſim ſtatui, uſum-fructum feudorum Regalium Eccleſiis vacantibus ad Regem Chriſtianiſſimum pertinere; ſed ſtandum eſt conſuetudini, contra quam Jus illud in Eccleſias ab eo liberas, Regiâ declaratione induci non poteſt. Certè Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. 8. de Concord. cap. 22. n. 5. Regaliam ad omnes Franciæ Eccleſias non extendi probat ex hâc Provinciarum, quæ Jure ſcripto vel conſuetudinario reguntur, differentiâ, hancque rationem aſſignat, cur initio in has, non verò in illas inducta fuerit. *Art.* 3. §. 1.

10. Quartò ex legibus & conditionibus feudi, uſus-fructus bonorum tantùm feudalium ad Regem ſpectaret, non autem alii reditus, præſertim decimæ & oblationes, multominùs collatio Beneficiorum pleno jure, quæ res ſpiritualis eſt, ad Hierarchiam Eccleſiaſticam pertinens.

11. Quintò licet Oeconomia Jure feudi ad Regem pertinere concederetur, illis gauderet in Eccleſiis tantùm, quarum dos vel ſolidè, vel ſaltem majori ex parte conſtare feudis à Regiâ munificentiâ collatis, probaretur: quarum certè Eccleſiarum longè minor numerus comperietur, ſi ſingularum monumenta vel in Archivis earum conſervata, vel typis edita, pervolvantur.

12. Sextò ſi quid demùm in Provinciis Juris conſuetudinarii, in quibus poſt mortem Vaſſalli Dominus Jure Relevii gaudet, Regi Chriſtianiſſimo deberetur Legibus feudalibus, id totum compenſatur annuâ decimarum ſolutione, & aliis ſubſidiis quæ ſub hâc immunitatis conditione à Clero in Reges Chriſtianiſſimos conferuntur, ut videre eſt in Actis Cleri Gallicani tom. 3. parte. 4.

Art. 3. §. 1. 13. Denique ex ipſomet Patris Alexandri textu conſtat, feuda Eccleſiis data, non eiſdem fuiſſe legibus obnoxia, quibus obnoxia erant, dum Laïcis concedebantur. Poterant enim primitùs defunctis Vaſſallis à Domino reſumi, atque aliis à Vaſſallorum hæredibus tradi. Locis autem piis concedebantur *perpetuò poſſidenda*, quod præter confeſſionem P. Alexandri, teſtantur innumera donationum Inſtrumenta, quæ paſſim apud Scriptores Gallicanos occurrunt. Ceſſabat ergo in his Jus Relevii, & uſus-fructus feudi poſt mortem Prælati, cui Relevium ſucceſſit.

14. Cæterùm licet illæ rationes non parvam vim habere videantur ad probandum, feuda Eccleſiis conceſſa non iisdem ſubjacuiſſe legibus, dum illis conceſſa fuerant, quibus erant obnoxia, dum à Laïcis poſſidebantur: tamen cùm hoc ſubſidio non indigeamus, malimuſque argumentis, quæ apud omnes indubitata ſint, uti, ne certa cauſæ juſtitia, dubia evadat, allatis in ejus defenſionem probationibus, de quibus inter omnes non convenit; quantumvis concederemus, feuda Eccleſiarum ejuſdem, ac reliqua, conditionis fuiſſe, neutiquam inde ſequeretur, Regaliam ad univerſas Regni Eccleſias extendi potuiſſe, de quo hîc unicè agitur; ob rationes modò allatas, quæ adhuc fuſiùs infrà declarabuntur.

§. SE-

§. SECUNDUS. Art. 3. §. 2.

De Feudis Eccleſiæ conceſſis.

1. DISSERT. „ Non ſolùm ſæcularibus, ſed ſacra-
„ tis hominibus & Eccleſiis, Beneficia ſive Feuda
„ Reges Chriſtianiſſimi contulerunt. Clodoveus
„ penè omnes Regni ſui Eccleſias agris fiſcalibus
„ dotavit. Ejus munificentiæ locupletiſſimum teſtimonium
„ extat Canone V. Concilii Aurelianenſis I. *De oblationibus*
„ *vel agris, quos Dominus noſter Rex Eccleſiis ſuo munere con-*
„ *ferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus, Deo inſpirante,*
„ *contulerit, ipſorum agrorum vel Clericorum immunitate con-*
„ *ceſſâ, id eſſe juſtiſſimum diffinimus, ut in reparationibus Ec-*
„ *cleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redem-*
„ *ptionibus Captivorum quicquid Deus in fructibus dare dignatus*
„ *fuerit, expendatur.* Aquitania & Narbonenſis Provinciæ
„ pars, quam ſuperiorem dicimus, in quibus Burdegala &
„ Toloſa, Rutheni, Cadurci, Arverni, cùm Imperio
„ Clodovei, profligato Alarico Gothorum Rege, ceſſiſſent,
„ illarum etiam Regionum Eccleſiæ ab ipſo dotatæ ſunt, ut
„ earum Patronus, utì cæterarum Regni ſui Eccleſiarum, jure
„ merìto haberetur, omniaque Jura Patronis debita, ipſi in il-
„ lis & univerſis ditionum ſuarum Eccleſiis quæſita eſſent, &
„ alia præterea, quæ vel ipſe ſibi reſervavit, vel quæ Epiſco-
„ pi in grati animi ſignificationem ejus Majeſtati contulerunt,
„ quæ ad ejùs Succeſſores Reges Chriſtianiſſimos cum eodem
„ Patronatûs titulo ſunt tranſlata.

2. RESP. Non eſt quæſtio præciſè, utrum Feuda poſſe-

 derint

*Art.*3. derint Eccleſiæ : id enim à nemine negatur. Conceditur
§. 2. etiam ,Reges, occaſione feudorum ſervitia quædam aliquando ab Eccleſiis exegiſſe. Verus controverſiæ ſtatus eſt, utrum Reges Chriſtianiſſimi ratione feudorum omnes fructus Eccleſiarum vacantium, & beneficiorum diſpenſationem ſibi vindicaverint, aut vindicare potuerint; quamvis fructus illi non provenirent à bonis feudalibus, aut Eccleſiæ nullum poſſiderent feudum, vel in illis ſitæ eſſent Provinciis; in quibus feuda Juri Relevii minimè erant obnoxia. Niſi enim hæc omnia demonſtrentur, non probabitur, quod intendit P. Alexander, Regaliam ad omnes Eccleſias in ditione Regis Chriſtianiſſimi conſiſtentes, legitimè extendi potuiſſe. Hæc autem omnia, vel etiam ſingula, omni probabilitate carent. Primò enim falſum eſt, Reges Eccleſias omnes dotâſſe: Secundò, dotes omnes Eccleſiarum in feudis conſiſtere: Tertiò, Regaliam, ut à P. Alexandro definita eſt, feudi terminis contineri: Quartò, ſervitia feudalia ſubſidiis à Clero in Reges collatis, redempta, poſſe repeti. Horum, inquam, omnium falſitas partim per ſe patet, partim jam demonſtrata eſt. Sed ut propoſito hîc textui ſpecialiter reſpondeamus:

3. Num ante Clodoveum nullæ Eccleſiæ Gallicanæ dotatæ fuerant? Num, verbi gratiâ, Eccleſia Sancti Martini Turonenſis nullis gaudebat reditibus? Num autem quæcumque à Clodoveo Regni ſui Eccleſiis data ſunt, conditionibus in definitione feudi ab Autore §. ſuperiore traditâ contentis, ſubjacebant? Numquid Canon quintus Concilii Aurelianenſis Primi inſinuat, Eccleſias ad ſervitia militaria Regi præſtanda teneri propter agros ab illo acceptos? An non contrarium potiùs in illo Canone aſſeritur? Quid enim aliud ſignificant illa verba? *Ipſorum agrorum, vel Clericorum immunitate conceſſâ,*

ceſſâ, niſi Eccleſiam ſeu Clericos, agros illos poſſidentes, ab omni onere fuiſſe immunes? Quomodò *in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus Captivorum quicquid Deus in frúctibus dare dignabatur, fuiſſet expenſum*, ſi ſervitia militaria, vel alia onera ex illis fuiſſent deducenda? An tam rarò belligerabat Clodoveus, ut Patribus Aurelianenſibus non venerit in mentem, caſum, quo ſervitio indigeret, aliquando ſucceſſurum, ideòque vocem illam, *Quicquid*, nullâ exceptione limitandam duxerunt? Cùm tanti referret Poſteritatis, reſcire conditiones donationum, cur ne minimo quidem verbo indicatur, Clodoveum ſibi aut ſuis Succeſſoribus reſervâſſe uſum-frúctum illorum bonorum tempore vacantis ſedis, Jus Patronatûs, ſervitia militaria, vel alia commoda. *Art.* 3. §. 2.

3. Abſurdum eſt, Jus Patronatûs Clodoveo adſcribere ob bona Eccleſiis data, cùm Jus illud in favorem Laïcorum tunc temporis eſſet inauditum. Deinde falſum omninò eſt, bona Eccleſiis à Clodoveo in feudum data fuiſſe, vel aliquam ejus donationibus appoſitam fuiſſe conditionem, ſeu impoſitum onus, ut ex verbis Concilii Aurelianenſis modò relatis, expreſſè patet. Vera erant Allodia ſeu prædia mancipi, ut vocabant olim Romani, quæ optimo jure poſſidebantur.

4. DISSERT. „Unum ex auguſtis illis Juribus Jus eſt „Inveſtituræ, adeòque & Jus Regaliæ, quod ab Inveſtituris diverſum non eſſe, ſcitè ſcripſit doctiſſimus Præſul Petrus de Marca lib. 8. de Concordia Sacerdotii & Imperii „cap. 18.

5. RESP. Si Regalia ab Inveſtituris non differret, ab Eccleſiâ damnata fuiſſet in Inveſtiturarum condemnatione. At, inquies, non differre aſſerit Dom. de Marca. Non hoc dicit

Art. 3. Illuſtriſſimus Archipræſul, ſed ſolùm Regaliam Inveſtituris
§. 2. ſucceſſiſſe, atque ex iis, poſtquàm ab Eccleſiâ damnatæ ſunt, tanquàm ſurculum ex arbore emortuâ in nonnullis Provinciis ſuccreviſſe. Unde etiam negat eam ſub primâ & ſecundâ Regum Dynaſtiâ locum habuiſſe, quod apertè cum doctrinâ P. Alexandri pugnat. Narrat quidem Calliſtum II. Inveſtiturarum controverſiæ finem imponere cupientem, Henrico Imperatore Inveſtituræ per annulum & baculum Paſtoralem fieri ſolitæ, renuntiante, conſenſiſſe, ut illi, quæ ratione feudorum debebantur, ab Epiſcopis perſolverentur. Henricum autem alioſque Imperatores ac Principes novos Epiſcopos, tanquam Vaſſallos, bonis feudalibus, inveſtîſſe. Indè tamen non ſequitur, ſecundum Doctrinam Illuſtriſſimi Archipræſulis, Reges Chriſtianiſſimos antea uſum-fructum etiam bonorum feudalium percipere conſueviſſe. Nam in eodem libro cap. 22. n. 5. cujus partem Articulo præcedenti retulimus, mentem ſuam his verbis declarat: *Itaque in eâ ſum ſententiâ, ut exiſtimem uſum-fructum redituum Eccleſiaſticorum introductum eſſe poſt Conſtitutionem Calliſti editam anno 1122. quæ Regibus tribuit poteſtatem exigendi à Prælatis univerſa officia & obſequia, quæ ratione feudorum exhibere tenentur. Unde factum eſt, ut quemadmodum plurimarum hujus Regni Provinciarum conſuetudo Domino feudi addicit uſum-fructum, quoties feudum vacat per mortem Vaſſalli, id quod vulgò Relevium vocant, ſic Reges eo feudorum Jure, quoad Regalia ſive Patrimonia Epiſcopatuum uſi ſint, interim dùm eorum Cuſtodiam ad ſe receperant, donec ſedi vacanti præfectus eſſet Epiſcopus, & donec is Inveſtituram à Rege accepiſſet, Juramentumque fidelitatis præſtitiſſet. Quod Jus inprimis introductum eſt in Provincias in quibus mutatio Domini neceſſitatem imponit ſolvendi commodum*

modum aliquod & utile Domino ſuperiori, quod Relevium vocant, ut dixi; cùm è contra in illis quæ huic Juri Relevii obnoxiæ non ſunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quoad uſum-fructum Regalium. Unde liquet Regaliam ex ſententia Dom. de Marca, non poſſe idem omninò eſſe atque Inveſtituram : ſiquidem Regalia, vacante ſede, locum habet; Inveſtitura verò novo Præſuli confertur, & Regaliæ finem imponit. *Art.* 3. §. 2.

5. DISSERT. „ Quo Jure vacantibus Eccleſiis, Chriſtianiſſimi Principes bona ipſarum ad ſe recipiebant, fructus „ percipiebant, aut percipere poterant, Epiſcopo electo qui „ eorum Majeſtati gratus eſſet, ac Juramentum fidelitatis „ præſtitiſſet, illa concedebant. Hinc inter formulas Marculfi, quæ diſciplinam & politiam Eccleſiæ & Regni Francorum ſub primâ Regum Dynaſtiâ repræſentant, Clerus ac „ Populus Principem orant, ut eum qui electus eſt, inſtituere „ dignetur in Epiſcopatu : *Inſtituere dignemini Inluſtrem Virum „ illum :* & Rex Præcepto ſuo Epiſcopalem Dignitatem ei qui „ electus eſt committit : *Pontificalem in Dei nomine vobis commiſimus Dignitatem :* Quod ſaniori ſenſu & magis canonico „ intelligi non poteſt, quàm de Regiorum Jurium & feudorum Inveſtiturâ & conceſſione, quæ Clodoveus Rex Eccleſiis manu liberali contulerat; cujus exemplum alii primæ „ Stirpis Reges fuerant imitati. Hinc antiquus Scriptor vitæ S. „ Romani Rotomagenſis Epiſcopi, docet, eum anno circiter „ 623. Baculum Paſtoralem à Clodoveo II. Rege accepiſſe, „ ſtatimque in Sede Pontificali inſtitutum fuiſſe : qui ſolemnis „ Inveſtituræ ritus erat. *Rex*, inquit, *convocatis tam Epiſcopis quàm Abbatibus, Baculum illi contulit Paſtoralem. Inthroniſatur ergo Pontificali Apice.*

„ Gregorius Turonenſis lib. 3. cap. 2. *Cùm hæc Theodorico nuntiata*

Art. 3. „ *nuntiata fuiſſent, juſſit inibi*, (ſcilicet in urbe Turonica)
§. 2. „ *S. Quintianum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ.* Idem lib. 4. cap. 7. de Cautino Arvernorum Epiſcopo „ poſt obitum S. Galli Regiâ Juſſione conſecrato: *Tunc ex juſſu* „ *Regis traditis ei Clericis, & omnibus quæ hi de rebus Eccleſiæ* „ *exhibuerant*, &c.

6. RESP. Pictorem agit, Diſſertator, non Theologum. Quidquid enim hodiè Regi Chriſtianiſſimo Jure Regaliæ tribuitur, id quaſi in primis ſæculis geſtum effingit, ſcilicet quòd Principes bona Eccleſiarum vacantium ad ſe revocarent, quòd fructus perciperent, ab Epiſcopis electis Juramentum fidelitatis exigerent, tumque illis bona reſtituerent; eaque omnia, licèt à primis illis temporibus abhorreant, perſuaſurum ſe arbitratur, ſi vel unum ex illis probet, aut potiùs probâſſe ſibi videatur.

7. Ubi enim in Marculſi Formulâ uſus-fructus Eccleſiarum vacantium ad Regem pertinuiſſe, Juramentum ipſi ab Epiſcopis præſtitum, imò ab ipſo bona poſt mortem Epiſcopi recepta, ejuſque ſucceſſori reſtituta, inſinuatur? Ex illa Formulâ, & ex exemplis S. Quintiani, & Cautini, colligitur Reges Epiſcoporum electionibus conſenſum præbuiſſe, illumque conſenſum propter neceſſitatem uſu roboratam, aliquando Sanctos etiam Viros poſtulâſſe, Regiâque ope uſos, ut electionis Canonicæ fructum conſequerentur. Quod ultrà tentabatur à Principibus, iniquum erat, & Eccleſiaſticæ Libertati contrarium, cui Eccleſia pro viribus obſiſtebat, ut Art. 2. §. 1. abundè demonſtravimus.

8. Id in exemplo S. Romani Rothomagenſis Epiſcopi licet obſervare. An enim approbat Diſſertator, quòd *Rex* (Clodoveus II.) *convocatis tam Epiſcopis, quàm Abbatibus Baculum*

lum illi (S. Romano) *contulerit Paſtoralem & inthroniſaverit Pontificali Apice*. An non illa eſt inveſtiendi ratio, quam abolere tanto conatu enixi ſunt tot Romani Pontifices, totque Concilia; cuique demùm renuntiare Principes coacti ſunt? Nonne Theologo indignum eſt, ut ex ejusmodi factis Eccleſiæ Juribus tam infeſtis Jus Principum colligat? Nonne hujusmodi argumenta, cùm nimis probent, nihil probant omninò? Sed hujus Hiſtoriæ fides admodum dubia eſt; viceturque ſcripta quo tempore fiebant Inveſtituræ cum illâ ſolemnitate, quam Eccleſia tantoperè curavit abolendam, & illius ævi moribus accommodata. Id ad minùs certum eſt, narrationi omninò repugnare temporum rationem: mirorque, P. Alexandrum eam repugnantiam non advertiſſe. Quomodò enim S. Romanus anno circiter 623. Baculum Paſtoralem à Clodoveo II. Rege accipere, ſtatimque in Sede Pontificali inſtitui potuit: ſiquidem Clodoveus, ut communitèr, tradunt Hiſtorici Gallicani, non niſi anno 644. regnare cæpit? *Art. 3. §. 3.*

§. TERTIUS.

De Regum Chriſtianiſſimorum Juribus in externam Eccleſiæ politiam.

1. DISSERT. „Regum Chriſtianiſſimorum Jura in „externam Eccleſiæ Gallicanæ Politiam, quæ in „ipſis Monarchiæ Chriſtianiſſimæ exordiis appa„rent, & à Concilio Aurelianenſi primo magni„ficè explicantur, ex earumdem Eccleſiarum dotatione, & „feudis ac immunitatibus à Clodoveo, aliiſque primæ Dy-

 naſtiæ

*Art.*3. „ naſtiæ Regibus eiſdem collatis, eorum Majeſtati quæſita
§. 3. „ ſunt, Eccleſiâ ipſâ hujus Regni in Synodis conſentiente & „ approbante.

2. RESP. Concilium Aurelianenſe non indicat, Regum Chriſtianiſſimorum Jura in externam Eccleſiæ Gallicanæ Politiam ex Eccleſiarum dotatione, & feudis ac immunitatibus à Clodoveo eiſdem collatis, quæſita fuiſſe. At ſi nihil eſt in Concilio Aurelianenſi, quod primum ſub Clodoveo Chriſtianam Religionem amplexo, celebratum eſt, unde hujuſmodi Jura ob bona Eccleſiis collata, Regi tributa eſſe conjiciamus: Nonne Autor id factum fuiſſe fingit, quod factum fuiſſe vellet? Loquitur Concilium Aurelianenſe de bonis à Clodoveo Eccleſiis datis: præſcribit in quos pios uſus inſumendi ſint eorum fructus: hinc autem impoſitum aliquod Eccleſiis erga Reges onus, nuſquàm innuit. Nonne illud ſilentium clarè loquitur, liberalitatem Clodovei fuiſſe verè Regiam, hoc eſt perfectam, & omnis proprii commodi puram, ſed quæ ſunt illa Jura Regibus Chriſtianiſſimis ex Eccleſiarum dotatione quæſita?

3. DISSERT. „ Concilium Aurelianenſe I. editos à ſe „ Canones ſecundum Clodovei conſultationem, & titulos „ quos ejus Majeſtas dederat, ad eam mittens, eorum confir„ mationem ab illo rogat. *Quia* (inquit) *ad Religionis Ca„ tholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat*, *ut Sacerdotalis „ mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in „ unum colligi juſſeritis, ſecundùm voluntatis veſtræ conſulta„ tionem, & titulos quos dediſtis, eâ quæ nobis viſum eſt defi„ nitione reſpondimus: ita ut ſi ea quæ nos ſtatuimus etiam* VE„ STRO RECTA ESSE JUDICIO COMPROBAN„ TUR, TANTI CONSENSUS REGIS AC DOMINI *majori*

„*majori Auctoritate ſervandam tantorum* FIRMET SEN- *Art.* 3.
„TENTIAM SACERDOTUM. Inſcribitur : *Domino ſuo* §. 3.
„*Catholicæ Eccleſiæ filio Chlothovecho Glorioſiſſimo Regi : Omnes*
„*Sacerdotes quos ad Concilium venire juſſiſtis.*

4. RESP. An etiam Canonum confirmatio eſt, *Jus ex Eccleſiarum dotatione & feudis ac immunitatibus à Clodoveo, aliiſque primæ Dynaſtiæ Regibus, eiſdem Eccleſiis collatis, Chriſtianiſſimorum Regum Majeſtati quæſitum ?* Sed quid per *confirmationem* intelligit Autor Diſſertationis ? Num quæ à Conciliis nationalibus, quale erat Aurelianenſe primum, ſtatuuntur, vim obligandi fideles non habent, niſi robur illis à Principum Autoritate accedat ? Qui hoc ſentit, neſcio quomodò non peccet adverſus Eccleſiæ dogmata, Chriſtum non Principibus, ſed Paſtoribus Eccleſiaſticis claves, populique fidelis regendi poteſtatem tradidiſſe declarantia. Si confirmatio accipitur pro conjunctione Autoritatis temporalis cum Eccleſiaſticâ, ut terror pœnarum temporalium eos concutiat, qui virtutis, ac legis Eccleſiaſticæ amore non ducuntur, proprium eſt Regum Officium. Nam, ut ait S. Iſidorus Hiſpalenſis ſent. lib. 3. cap. 5. *Principes ſæculi nonnunquàm intrà Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem.*

5. Quocumque autem modo confirmatio Conciliorum intelligatur, certum eſt, eam ad Reges non pertinere propter collata in Eccleſias bona : quoniam, licet Clodoveus Eccleſiis non pauca dederit, multa etiam illis contulerunt Principes viri, aliique fideles, quibus tamen nihil ſimile ab Ec-

*Art.*3. §. 3. cleſiâ conceſſum eſt, ut obſervare licet cùm in aliis multis documentis, tum in ipſius Concilii Aurelianenſis I. Canonibus, ex quibus decimus quintus, ſic habet: *De his quæ Parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum Canonum ſtatuta ſerventur, ut omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant.* Sed quia Patri Alexandro propoſitum erat ſuadere, Regem Chriſtianiſſimum potuiſſe ad omnes Eccleſias Regni ſui Regaliam extendere, neque id argumentis è re ipſâ petitis probare poterat, collegit undecumque quidquid videbatur Regibus contra Eccleſiam favere, quamvis à Regaliâ remotiſſimum: quaſi variarum illarum rerum multitudine vellet mentes obruere, quas non poterat ſolidarum rationum momentis inclinare.

6. Honorificentiſſima quidem ſunt verba, quibus Epiſcopi in Concilio Aurelian. I. Regem allocuti ſunt. Sed quid mirum, ſi adeò modeſtè cum Rege Chriſtiano ſe gererent, qui tamdiu ſub Principibus idololatriæ deditis, gemuerant? Si reverenter eum affarentur, cujus ope tantopere indigebant, cùm præſertim naturâ ferox eſſet, atque adeò humilibus obſequiis deliniendus? Attamen interlucet in illorum verbis diſcrimen inter Eccleſiaſticam & ſæcularem Poteſtatem. Rex enim conſilium petit, Epiſcopi *eâ quæ ſibi viſum eſt definitione reſpondent: comprobatio & conſenſus Regis* in eo ſenſu *firmat Sententiam Sacerdotum, ut majori Auctoritate ſervetur*, additis ſcilicet præceptis, & pœnis temporalibus, ut executioni efficaciùs demandetur,

7. Diximus jam Art. 2. §. 3. quæ ſit Autoritas Regum in convocandis Conciliis, quidque ſignificet vox illa, *Juſſiſtis*, quâ Patres Aurelianenſes ſignificant Clodovei partes in convocando Concilio, ſcilicet conſenſum vel

etiam

etiam invitationem, ut loquuntur alia Concilia ibidem relata. *Art.* 3. §. 3.

8. Dissert. „ Abſque Juſſione Regis aliquem ad Cle-„ rum admitti vetant Gallicanæ Eccleſiæ Patres Can. 3. *De* „ *Ordinationibus Clericorum*, inquiunt, *id obſervandum eſſe* „ *decrevimus, ut nullus ſecularium ad Clericatûs Officium præſu-* „ *matur, niſi aut cum* Regis Jussione, *aut cum Judi-* „ *cis voluntate.* Quæ diſciplina ſub reliquis primæ familiæ, „ & ſecundæ etiam Regibus obſervata eſt. Inter Formulas „ Marculfi 19. inſcribitur: *Præceptum de Clericatu:* cujus hæc „ ſunt verba: *Ille ad noſtram veniens præſentiam, petit Sere-* „ *renitati noſtræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter* „ *comam capitis ſui ad onus Clericatûs deponere deberet, &* „ *ad Baſilicam illam aut Monaſterium deſervire deberet. Quod* „ *nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præſtitiſſe* „ *cognoſcite. Præcipientes ergò jubemus, ut ſi memoratus ille* „ *de capite ſuo benè ingenuus videtur, & in puletico publico cen-* „ *ſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare,* „ *& ad ſuprà ſcriptam Baſilicam, vel Monaſterium deſervire.* „ Nemini licentiam Clericatum profitendi Reges noſtri con-„ cedebant, qui ſervus publicus aut colonus, ſive adſcripti-„ tius eſſet, & in publicis rationibus ſive Polyptychis cenſi-„ tus. Ejus rei rationem reddit Carolus Magnus lib. 1. Capi-„ tularium, cap. 120. ubi eamdem prohibitionem renovat: „ *De liberis hominibus, qui ad ſervitium Dei ſe tradere volunt,* „ *ut priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam poſtulent.* „ *Hoc ideò quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſâ devotio-* „ *nis hoc feciſſe, quàm pro Exercitu ſeu aliâ functione Regali fu-* „ *giendâ. Quoſdam verò cupiditatis cauſâ ab his qui res illorum* „ *concupiſcunt, circumventos audivimus, & hoc ideò fieri pro-*

 hibemus.

*Art.*3. „ *hibemus.* Idem teſtatur Adelberonis Remenſis Archiepiſco-
§. 3. „ pi Epiſtola, quæ 57. eſt inter Gerberti Epiſtolas. *Perfi-*
„ *diæ*, inquit, *ac infidelitatis crimine in Regiam Majeſtatem*
„ *arguor detineri, eò quòd Nepotem meum Clericum videlicet meæ*
„ *Eccleſiæ licentiâ donaverim, quia & Palatium adierit, & do-*
„ *no alterius Regis Epiſcopatum acceperit ejus Regni, quod Senior*
„ *Lotharius in proprium Jus revocaverat. Quodque Gradus Eccle-*
„ *ſiaſticos ei poſtmodum contulerim abſque licentiâ & auctoritate*
„ *Senioris mei.*

9. RESP. Quid Patres Concilii Aurelianenſis impulerit, ut Canonem ederent requirentem Regis Juſſionem, aut Judicis voluntatem ad Ordinationem Clericorum, explicat Marculfi Formula; ne ſcilicet ſervi in damnum Dominorum, aut Officiales publici in fraudem Fiſci in Clerum irreperent: *Si memoratus ille* inquit Marculfus, in Formulâ modo relatâ, *de Capite ſuo benè ingenuus videtur, & in puletico publico cenſitus non eſt*: & clariùs Capitulum Caroli Magni: *Quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſâ devotionis hoc feciſſe, quàm pro Exercitu ſeu aliâ functione Regali fugiendâ* &c.

10. Circa factum Adelberonis deſideratur Hiſtorici noſtri bona fides. Allatâ enim objectione, reſponſionem, cùm in eodem loco extet, omittere non debuit. Titulus Epiſtolæ, quam refert Diſſertator, quæque quinquageſima ſeptima eſt inter Epiſtolas Gerberti, eſt iſte: *Objectio in Adelberonem*; titulus autem proximè ſequentis, ſcilicet 58. ſic habet: *Purgatio.* Accuſabatur autem Adelbero de duobus: Primò perfidiæ ac infidelitatis in Regiam Majeſtatem, Lotharii ſcilicet Regis Franciæ, eò quòd Nepoti ſuo, Adelberoni etiam dicto, permiſiſſet à Regno recedere, *Palatium adire, & dono alte-*

rius

rius Regis Epiſcopatum accipere, ſcilicet Verdunenſem in Lotharingiâ. Contendebant enim Reges Franciæ cum Regibus Germaniæ, ſeu Imperatoribus de Provinciâ illâ, quæ modò in horum, modò in illorum poteſtatem redigebatur. Et anno 977. ut ſcribit Sigebertus, Ducatus datus fuerat ab Othone II. Carolo Fratri Regis Lotharii. Tempore autem quo ſcriptæ ſunt duæ illæ Epiſtolæ, Lotharius Lotharingiam recipere conabatur, ſive ut ſuam faceret, ſecundùm aliquos Scriptores, ſive ut eam Othonis ſecundi Imperatoris filio Othoni tertio ſervaret, ut alii volunt. Quâ in controverſiâ graviter à Lothario exagitati ſunt prædictus Nepos Adalberonis ejuſque Frater, Nepotis ſcilicet Pater. Ab hâc ergo accuſatione ſe purgat Adalbero initio prædictæ Epiſt. 58. his verbis: *Cum Senior meus Rex Lotharius Lotharienſe Regnum non haberet, nec revocaret fratris mei filium, vix tandem ſic obtinui fide interpoſitâ, ut ſi uſus aliquando expoſceret, ſibi ſuiſque abſque pertinaciâ redderem. At cùm ageretur, ut Senior meus filio Imperatoris Advocatus foret, eâque de cauſâ dati obſides eſſent, fratris mei crebris Legatis filium repetivit, me ſegniter accipientem, fidei violatorem increpitans, rem ſuam à multis interturbari, eum ſe ſtatum prodere dicit, terribilem Judicem extremi Judicii ultorem ſpretæ fidei ac conſanguinitatis proclamat. Ergò quia Senior meus de revocatione Regni nihil mihi dixerit, ſed de ſolâ Advocatione, nec dandi licentiam Clerico interdixerat: ſed inſuper benevolè conſenſerat, ut à Legatis meis intellexi, ſi ea facere vellet, quæ pater ſuis ſpoponderat, & proficiſcentem abſolveret, & ut id pro quo obſides dati erant ſyncerſſimè conſervaret, fidem exegi, quam & hactenus obtulit, & adhuc ut credimus offert, ſimulque quòd hi gradus* (Ordinum ſacrorum) *nec Provincias, nec Civitates, nec Villas*

Art. 3. §. 3.

Art.3. *las quæ Regnorum ſunt, conferunt, ſed quæ potiùs Cœleſtis ſunt*
§. 3. *Regni.*

11. Altera contra Adelberonem accuſatio, quæ ad propoſitum noſtrum magis pertinet, hæc erat, quòd ſacros Ordines abſque licentiâ Regis nepoti ſuo contuliſſet. Huic objectioni hanc reſponſionem adhibet: *Gradum Diaconatûs ac Presbyteratûs ei contuli, ne a nobis emancipatus in accipiendo alteri manciparetur, & ne Eccleſia noſtra invidiæ pateret, ſimulque quòd hi Gradus nec Provincias, nec Civitates, nec Villas, quæ Regnorum ſunt, conferunt, ſed quæ potius Cœleſtis ſunt Regni.* Hæc ultima verba Diſſertatorem pudore ſuffudiſſent, ſi retuliſſet. Num enim ſacri Ordines res temporales ſunt, ſicut Provinciæ, Civitates, & Villæ, ut ſine aſſenſu Regio recipi nequeant?

12. DISSERT. „Cùm nemo abſolutè ordinaretur, ſed „ad aliquam Eccleſiam, aut Monaſterium; locus in Eccleſiâ „vel Monaſterio, titulus erat ac Beneficium Clerici. Cùm „igitur, ex Eccleſiæ Gallicanæ diſciplinâ, opus eſſet licentiâ Regis ut quis ad hanc Eccleſiam aut Monaſterium ordi„naretur, collatio quædam hæc erat Beneficiorum, aut „certè nominatio ratione Juris Patronatûs, & gradus ad eo„rum collationem, vacante Sede, Jure Regaliæ, ob conditio„nem agrorum fiſcalium ſive feudorum, quæ tunc ſub ma„nu Regis erant, donec eos novo Epiſcopo, in cujus erant „poteſtate, ut conſtat ex Canonibus 14. & 15. contuliſſet. „Fructus interim percepiſſe Regem veriſimile eſt, ſed eos „*in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pau„perum, vel redemptionem captivorum* expendiſſe, proùt ad Ma„jeſtatis ejus ſuggeſtionem eadem Synodus Aurelianenſis Ca„none 5. decreverat.

13. Resp. Nominationem ad Beneficia ratione Juris Patronatûs Laïcis tempore Concilii Aurelianenſis I. tribuere, res eſt abſurdiſſima, cùm necdum Beneficia inſtituta eſſent, nec niſi leviſſimum ad illa præludium præceſſiſſet in Epiſtolâ Symmachi ad Cæſarium Arelatenſem anno 502. ſcriptâ, & in Concilio Agathenſi anno 506. celebrato Can 22. Sed longè abſurdius eſt, neceſſitatem Regii conſenſûs ad Ordinandos Clericos Juri Regaliæ adſcribere; cùm ne veriſimile quidem ſit aut Epiſcopos, aut Principes quidquàm tum temporis de Regaliâ ſomniâſſe. Ut enim alia omittam, fieri non potuiſſet, ut Concilium Aurelianenſe I. & alia de Jure tam eximio, tam altum ſervâſſent ſilentium. Adde, quòd ille conſenſus non magis tempus vacantis Sedis, quàm viventis Prælati ſpectabat: nec erat collatio Clericatûs, ſed conſenſus in collationem: nec Clerici ſuſtentationem attingebat, ſed ad ſummum ejus promotionem. Unde ridiculum eſt, eum conſenſum vocare *collationem Beneficiorum*, aut *gradum ad eorum collationem, vacante Sede, Jure Regaliæ* faciendam. Art. 3. §. 3.

14. At, inquit Autor, *locus in Eccleſiâ vel Monaſterio, titulus erat ac Beneficium Clerici.* Succeſſerunt quidem Beneficia ſportulis, ſeu victui, qui Clericis ſubminiſtrabatur. At illorum diverſa erat ratio. Nam Beneficiarius Jus habebat per totam vitam ſuam, partem quandam bonorum immobilium ſeorſim adminiſtrandi, ejuſque uſum-fructum percipiendi: *Beneficia* enim *ſimplicia*, ut verbis P. Alexandri utar Art. 4. §. 1. *in primâ ſui inſtitutione nihil aliud erant, quàm portiones quædam ex bonorum Eccleſiis à Regibus aliiſve Fidelibus collatorum corpore delibatæ, & Clericis ad uſum-fructum conceſſæ.* Sportulæ autem erant cibus quotidianus, qui ex communibus Eccleſiæ bonis Clericis ei deſervientibus præſtabatur. An autem,

*Art.*3. quia conſenſus Regis erat neceſſarius, ne quis in Clerum reci-
§. 3. peretur, ideò Rex conferebat Clericatum, qui erat fundamentum juris percipiendæ ſuſtentationis ex Eccleſiâ, juxta Divinam Legem, ut qui Altari ſervit, de Altari vivat? At Rex locum in Eccleſiâ vel Monaſterio non conferebat, nec ad illum nominabat vel præſentabat. Cavebat tantùm, ne quis fraudulenter ad Clericatum ſeſe reciperet, militiæ fugiendæ cauſâ, vel alio fine publicis rationibus nocuo. Conſenſum denique præſtabat, non Eccleſiam ad faciendum Clericum cogebat. Quis enim putet, ſervitutem adeò duram, & à communi totius Eccleſiæ diſciplinâ tam remotam, Patres Aurelianenſes ſibi ultrò impoſuiſſe ſub Principe erga Eccleſiam benè affecto, atque à Concilio abſente?

15. Pater Alexander Art. 2. num. 2. ſcripſit, obmurmurâſſe Epiſcopos contra S. Remigium, quod Clericum quemdam, volente Clodoveo, Ordinâſſet. Quis autem credat, vel Epiſcopos conqueſturos de illâ Ordinatione poſt editum quartum Canonem Concilii Aurelianenſis, aut S. Remigium Canonem illum in ſuam defenſionem non adducturum, ſi mens Patrum Aurelianenſium fuiſſet, ſibi neceſſitatem imponere, Regiæ voluntati obſequendi circa Ordinationes? Hoc enim Jus Clodovei tuetur ibi Diſſertator eâ ratione, quia Rex erat *Fidei Catholicæ Defenſor*, *Regionum Præſul* &c. Demùm, quia habebat Jus Regaliæ: hîc autem conſenſum Regium ad Ordinandos Clericos vocat, *Collationem Beneficiorum aut certè nominationem ratione Juris Patronatûs; & gradum ad eorum collationem, vacante Sede, Jure Regaliæ* &c. Undè cum par eſſet ubique ratio, juſta fuiſſet S. Remigii excuſatio, ſi Canonem quartum Aurelianenſem oppoſuiſſet. Nam Concilium illud jam anteà celebratum fuiſſe, apertè colligitur

ligitur ex Epiſtolâ Sancti illius Antiſtitis, cùm declaret, ſe jam à 53. annis Epiſcopali dignitate ornatum eſſe; niſi eum ſeptimo ætatis anno factum Epiſcopum, eoque munere per 76. fermè annos defunctum eſſe exiſtimemus. Tradunt enim Scriptores Gallicani, ipſum an. 451. natum eſſe, ac circa an. 535. obiiſſe: Concilium autem Aurelianenſe habitum eſſe an. 511. indubitatum eſt. *Art.3. §. 3.*

16. Cæterùm cavendum eſt ne ordo verborum P. Alexandri invertatur, ac Canones 14. & 15. Aurelianenſes credantur ab eo citati ad probandum, bona fiſcalia ſive feuda tunc temporis (Sede vacante) ſub manu Regis fuiſſe; quòd primâ fronte oſcitanter legentibus videtur: cùm è contra Canones illi bona Eccleſiarum penes Epiſcopos fuiſſe confirment, & ad id confirmandum à P. Alexandro allegentur: quamvis ille abſque ullo fundamento tempus vacantis Sedis velit exceptum. *Prædiis*, inquiunt Patres Can. 14. *de omni commoditate in Epiſcoporum poteſtate manentibus*. Et Can. 15. jam ſuprà relato; *omnia in Epiſcopi poteſtate conſiſtant*. Certè Epiſcopus, poſtquàm obiit, bonorum Epiſcopalium poteſtatem ſeu adminiſtrationem non habet.

17. DISSERT. „ Ejuſdem Concilii Canon 7. docet, Jus „ conferendi Beneficia Regi fuiſſe quæſitum, titulo utiquè „ fundationis, tam Secularibus quàm Regularibus Clericis: „ id unum prohibet, ne abſque examine & commendatione „ Epiſcoporum ad ejus Majeſtatem veniant illa impetraturi. „ *Abbatibus*, inquit, *Presbyteris, omnique Clero, vel in Re-* „ *ligionis Profeſſione viventibus, ſine diſcuſſione vel commenda-* „ *tione Epiſcoporum, pro petendis Beneficiis ad Dominos venire* „ *non liceat. Quod ſi quiſquam præſumpſerit, tamdiu loci* „ *ſui honore & communione privetur, donec per pœnitentiam*

Art. 3. „ *plenam ejus ſatisfactionem Sacerdos accipiat.* Id verò de Bene-
§. 3. „ ficiis quæ Rex de ſuo fiſco Viris Eccleſiaſticis conferre voluiſſet, intelligendum nemo dicat; ſiquidem Concilium „ Pariſienſe III. Childeberto filio ejus regnante celebratum „ anno Chriſti 557. Can. 1. eos perſtringit, qui res Eccleſiæ „ à Clodoveo in Beneficium conceſſas, ad hæredes transmiſerant. *Accidit etiam*, inquit, *ut temporibus diſcordiæ, ſub* „ *permiſſione bonæ memoriæ Domni Clodovei Regis, res Eccleſiarum aliqui competiſſent, ipſaſque res, improviſâ morte collapſi, heredibus reliquiſſent.* Quod igitur Symmachus Pontifex Maximus anno Chriſti. 502. annis novem ante Concilium Aurelianenſe I. ad Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum „ ſcribens permiſerat, ut poſſeſſiones Eccleſiaſticæ *Clericis* „ *honorum meritis, aut Monachis Religionis intuitu, aut peregrinis* neceſſitate ſuadente concederentur, uſu-fructuario „ tantùm Jure, & *temporaliter*, quandiù viverent, *non perpetuò*: quæ prima Beneficiorum Eccleſiaſticorum origo eſt; „ quam diſpoſitionem Concilium Agathenſe an. 506. Can. „ 22. confirmaverat: id approbante Eccleſiâ Gallicanâ factitabat Rex Clodoveus, agros ac prædiola, aut villas quas „ Regiâ munificentiâ ac pietate Eccleſiis conceſſerat, Abbatibus, Presbyteris, aliiſque Clericis uſu-fructuario Jure poſſidendas concedens. Hæc Beneficiorum collatio de quâ loquitur Canon 7. Concilii Aurelianenſis I. Idem verò cæteros „ primæ Dynaſtiæ Reges Clodovei Succeſſores præſtitiſſe, colligitur ex Edicto Clotarii II. in Concilio Pariſienſi V. de quo „ articulo ſuperiori diximus.

18. RESP. Beneficia Eccleſiaſtica tempore Clodovei nondùm fuiſſe inſtituta, ex illius ævi monumentis certum eſt. Præludia quidem illa, ut ſuprà diximus, ſcilicet quæ in Epiſtolâ

ſtolâ Symmachi ad Cæſarium Arelatenſem, & in Canone *Art.3.*
vigeſimo ſecundo Concilii Agathenſis extant, Concilium *§.3.*
Aurelianenſe præceſſerant, ſed neque tunc, neque diù po-
ſteà Beneficii nomen hujuſmodi rei ſignificandæ accommo-
tum eſt, ut de Beneficiis Eccleſiaſticis intelligi poſſit ſepti-
mus Canon Aurelianenſis. Neque veriſimile eſt, Clodo-
veum, quod Eccleſiis contulerat ab Epiſcopis adminiſtrandum,
ut infert P. Alexander ex Canonibus decimo quarto, & deci-
mo quinto ejuſdem Concilii, poſtmodùm *titulo fundationis
tam Secularibus quàm Regularibus Clericis* autoritate ſuâ diſtri-
buiſſe, *ſine diſcuſſione vel commendatione Epiſcoporum:* quod
tamen tam frequenter ab illo factitatum ſupponeret Canon,
ut *Abbatibus, Presbyteris, omnique Clero, vel in Religionis
profeſſione viventibus* neceſſarium fuerit prohibere ſub pœnâ
privationis honoris & communionis, ne Regem adirent ejuſmo-
di bona petituri.

19. Abſurdius, & à Clodovei temporis diſciplinâ remo-
tius eſt, quòd Beneficia regularia tunc extitiſſe, aut Benefi-
cia ſecularia Regularibus collata tam ſæpe fuiſſe ſup-
ponantur, ut per Canonem Aurelianenſem prohibendum
fuerit *Abbatibus, vel in Religionis Profeſſione viventibus pro peten-
dis Beneficiis ad Domnos venire.* De Beneficiis ergo, prout Offi-
cium Eccleſiaſticum ſignificant, cum aſſignatione certi redi-
tûs temporalis, accipi nequeunt Canones Aurelianenſes; Sed
de quibuslibet gratiis merè temporalibus, quæ à Rege poſtu-
labantur, ac fortè ſpeciatim de bonis fiſcalibus, quorum Col-
latio magis propriè Beneficium vocabatur. Si autem ſeparatim
de bonis ſtabilibus in Eccleſiam jam collatis intelligantur: cùm
illa à Clodoveo in feudum data Eccleſiis ſupponat P. Alexan-
der §. 2. quo jure potuiſſet Rex illa reſumere, ac Clericis &

*Art.*3. Monachis concedere? Cum conſenſu Epiſcoporum, inquies;
§. 3. Sed præterquàm quòd neceſſitas illius conſenſûs ſive *diſcuſſionis vel commendationis* probaret, Clodoveum non quibuslibet hominibus Beneficia conceſſiſſe, ſed iis quos Epiſcopi dignos judicâſſent: quid opus fuiſſet ad Principem recurrere, ut Beneficia Eccleſiaſtica conferrentur? Nonne Epiſcopi Beneficiorum propriè dictorum Collatores ordinarii fuiſſent, & juxta Papæ Symmachi, ac Concilii Agathenſis declarationem potuiſſent aliquorum bonorum immobilium uſum-fructum Clericis, præſertim benemeritis, elargiri?

20. Sed quid reſpondebimus Canoni primo Concilii III. Pariſienſis docenti, *ſub permiſſione bonæ memoriæ Clodovei Regis, res Eccleſiarum ab aliquibus competitas?* Reponemus, rationes jam adductas probare, veram hujus Canonis lectionem eſſe illam, quæ teſte Patre Jacobo Sirmondo in notâ circa hunc Canonem, in aliquibus codicibus manuſcriptis habetur, in quibus non *ſub permiſſione*, ſed *ſine permiſſione*, legitur: vel, ſi vera eſt altera lectio, referenda eſt ad tempus, quo Clodoveüs nondum Catholicam Religionem amplexus fuerat; aut certè Clodoveus non autoritate ſuâ, ſed conſenſu Epiſcoporum bona Eccleſiæ dediſſe exiſtimandus eſt, tum quòd Concilium Pariſienſe non dicat id factum ſub præcepto, ſed *ſub permiſſione* illius Principis; tum quòd veriſimile non ſit, illum, qui tam liberalis in Eccleſias fuiſſe dicitur, eas, cùm jam Chriſtianus eſſet, bonis vel à ſe, vel ab aliis datis, ſpoliâſſe, ut ea Laïcis concederet. Non enim deſignant expreſſè Patres Pariſienſes, Clericos illos fuiſſe, qui res Eccleſiæ acceperant, & hæredibus reliquerant.

21. Denique conſtat ex eodem Canone primo Concilii Pariſienſis, peccâſſe graviter, qui res Eccleſiæ eâ ratione acceperant;

rant; cùm ideo præmaturâ morte periiſſe dicantur. Nam poſt verba à Patre Alexandro relata, ſequitur: *Placet quoque quoniam res Dei quæ Authores eorum* (hæredum) *maturâ morte credendæ ſunt peremiſſe, non debent filii ulteriùs poſſidere*, &c. Quid autem ſibi volunt hæc ejuſdem Canonis verba: *neque quiſquam per interregna res Dei defenſare nitatur: quia Dei potentia cunctorum Regnorum terminos ſingulari dominatione concludit?* Nonne ſignificant Præcepta Principum, quæ juxta Gloſſarium D. ducange voce iſtâ, *Interregna*, deſignantur, neqûaquam legitimum eſſe titulum ad retinendam poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ, autoritate Principum uſurpatorum; eò quòd Deus, cui conſecrata fuerant, ſupremus ſit Regnorum omnium Dominus; nullusque Princeps poſſit quidquam ejus Dominio ſubtrahere? Art. 3. §. 3.

22. Edictum Clotarii II. nihil continet unde Patri Alexandro liceat colligere, Reges primæ Dynaſtiæ Beneficia Eccleſiaſtica contuliſſe: nec quod circa illud edictum Articulo præcedenti §. quarto dixit, id cuiquam ſuadere poterit, ut ibi obſervare licuit, & adhuc licet, ſi relegere lubeat.

23. DISSERT. „Porrò non vivente duntaxat Epiſco„po, ſed poſt ejus obitum id ipſos factitâſſe veriſimile „eſt, cùm Eccleſiæ poſſeſſiones ſub manu ſuâ tenerent, eas „novo Epiſcopo tradituri. Ut ut eſt, Regibus id Juris exer„centibus repugnaturos non fore illis temporibus Gallicanos „Epiſcopos, facilè ſibi perſuaſerit, quiſquis de eorum animis „ac affectu judicium tulerit ex Epiſtolâ S. Aviti Viennenſis „Archiëpiſcopi ad Gundobadum Burgundionum Regem 39. „ſic ejus Majeſtatem compellantis: *In omnibus locis Sanctis, „ſicut Miniſterio noſtro eadem charitas, ita Imperio veſtro æqua „poteſtas eſt... Ego Præceptum veſtræ Pietatis opperior. Quicquid habet*

Art. 3. „ *habet Eccleſiola mea, immò omnes Eccleſiæ noſtræ, veſtrum eſt,*
§. 3. „ *de ſubſtantiâ quam vel ſervâſtis hactenus, vel donâſtis. Quod* „ *inſpirante Deo præceperitis, in quantum vires habuero, parare* „ *conabor.* Ad quæ verba doctiſſimus Sirmondus in Notis: „ *Libera*, inquit, *& ingenua profeſſio. Principibus accepta* „ *feruntur bona Eccleſiæ, quæ vel donârunt ipſi, vel ut donare* „ *liceret conceſſerunt.*

24. RESP. Dum ad veri ſimilitudinem recurrit P. Alexander, ſatis declarat, ſe certitudine non poſſe inniti. At nec verum, nec ſimile vero eſt, primos Reges Franciæ, defuncto Epiſcopo, uſum-fructum bonorum Eccleſiæ vel ſibi jure vendicâſſe, vel aliis conceſſiſſe: cùm id & à ſacris Canonibus, quos ſuprà retulimus, & à totâ diſciplinâ Eccleſiaſticâ abhorreret. Quod non potuit non advertere Diſſertator evolvendis monumentis Eccleſiaſticis, ex quibus illam rerum copiam hauſit, quâ ejus libri conſtant; ac re ipſâ videtur animadvertiſſe, ut innuunt hæc ejus verba: *Ut ut eſt*, &c. quibus tacitè fatetur, Reges id non factitâſſe. Omiſſo itaque facto redit ad Jus.

25. Verùm de Jure ac juſtitiâ percipiendorum à Regibus redituum Eccleſiarum vacantium, perperàm argumentatur ab Epiſcoporum *animis ac affectu*. Etſi enim Epiſcopi non ſemper Eccleſiæ bona uſurpantibus obſiſtant, quia ſcilicet majorum malorum metu detinentur, aut etiam aliquando, quia Principum gratiam proprio officio anteponunt: non ideò tamen in tuto poſita eſt Principum conſcientia, nec Epiſcoporum ſilentium approbationis, aut etiam ſemper conſenſûs ſignum eſt.

26. Quod ad S. Avitum Epiſcopum Viennenſem attinet; ſervus aliquis, penes quem depoſita fuerat pecunia, Lugduno

no Viennam venerat : ſed à S. Avito remiſſus aſſeruit, da- *Art.* 3.
tum ſibi à Sancto illo Antiſtite conſilium negandi depoſiti. §. 3.
Quamobrem excanduit Rex Gundobadus, & gravia minitatus Sancto Avito, qui eum redditâ ratione ac verbis admodum ſubmiſſis placare conatus eſt in Epiſtolâ citatâ. Porrò argumentum, quo ex verbis ad ſedandam Principis iram compoſitis, Jus quoddam ſtrictum colligitur, non multò magis urget, quàm ſi ex officioſis illis verbis, quibus ad conſequendam, aut colendam benevolentiam vulgò inter ſe homines utuntur, concludere aliquis vellet, alium Jure ſervitutis ſibi devinctum eſſe, illiuſque bona ad ſe pertinere, quia nimirum ille ſervum ſe profeſſus eſt. Conſtat enim illa verba, quæ ex Epiſtolâ Sancti Aviti referuntur, ab illò non tam ad Regis Jus reſpiciente, quàm ejus iram placare cupiente fuiſſe prolata. Subjungit enim : *Hoc ſuppliciter quæſo, ut infelix ille, ad cujus accuſationem ſatis ſufficit quod excuſat apud juſtitiæ veſtræ animos, non me faciat ſuæ infidelitatis ſocium, etiamſi viderit pro veſtrâ commotione mulctatum* : quæ ultima verba, ficut & iſta quæ præceſſerant ; *Utrum de me erit, ſuggerat Deus vobis, declaret & veritas*, &c. innuere videntur, Gundobadum Sancto Avito minitatum, exigendum ab eo depoſitum ab infideli ſervo aſportatum, aut etiam mulctam inſuper pecuniariam ; ideòque promptum ad utrumque ſeſe Sanctum Avitum exhibuiſſe : *Ego Præceptum veſtræ Pietatis opperior : Quicquid habet Eccleſiola mea, immò omnes Eccleſiæ noſtræ, veſtrum eſt.*

27. Ergo, inquies, quidquid habet Eccleſia, Principum eſt. Certè ſi verba illa Sancti Aviti in rigore grammatico interpretanda ſunt, ſine cauſâ non ſolùm de Regaliâ quantùm ad uſum-fructum, ſed etiam de quâvis uſurpatione bonorum

Art. 3. §. 3. Eccleſiaſticorum à Principibus factâ, conqueretur Eccleſia. Et defuncto, & vivente Epiſcopo, tum ipſorum uſum-fructum, tum proprietatem ipſam ac dominium, abſque ſacrilegio, & abſque ullâ injuriâ Principes ad ſe revocabunt, militibus ſuis & quibuslibet aliis dabunt. De poteſtate facti potiùs quàm Juris, intelligendus videtur Sanctus Avitus. Nam injuſtæ omninò erant minæ Gundobadi, depoſitum & mulctam ab eo exigentis: ejus tamen præcepto parere non renuit Sanctus Antiſtes, veritus nimirùm, ne Princeps ille qui Arianam profitebatur hæreſim, in Catholicorum Eccleſias duram aliquam tyrannidem exerceret. Quod ergo ait; *Quicquid habet Eccleſiola mea, veſtrum eſt*, hanc ſententiam habere videtur: Etſi falſum ſit, me ſervo conſuluiſſe, ut depoſitum non reſtitueret; ſi nihilominùs Majeſtati veſtræ pœnâ pecuniariâ me plectere placuerit, imò ſi ea quæ Eccleſiis contulit, aut ab aliis collata defendit, ad ſe revocare libuerit, penes ipſam eſt.

28. Simili loquendi modo utuntur, qui ob percepta Beneficia gratum animum teſtantur: nec tamen quod ſemel datum eſt, in dantis poteſtate ac dominio remanet. Licet enim accepta Beneficia libentèr in Benefactoris gratiam, ſi optaverit, inſumenda ſint ab eo qui accepit; tamen de rigore Juris id tantùm ſolvere tenetur, quod ex pacto reſervatum fuit, vel quod leges reſervatum cenſeri volunt. De grati animi ſignificatione, non de ſtricto Jure ait Pater Sirmondus: *Libera & ingenua profeſſio. Principibus accepta feruntur bona Eccleſiæ, quæ vel donârunt, vel ut donare liceret conceſſerunt.* Hæc enim verba; *Principibus accepta feruntur*, longè aliud ſignificant, quàm quòd pertineant ad Reges.

29. An exiſtimat P. Alexander potuiſſe legitimè Gundobadum,

badum, pro ſuo in Eccleſiam Viennenſem, & in omnes alias Jure, Sancti Aviti reditus Fiſco addicere? Si non id exiſtimat, cur ex eo quod Rex Burgundiæ non niſi iniquè facere poterat, concludit, Regem Chriſtianiſſimum reditus Eccleſiarum vacantium jure ſibi poſſe vendicare? Sin verò exiſtimat, Regem Burgundiæ id jure potuiſſe, non jam ampliùs titulus Regaliæ obtendendus eſt, qui & aliis Regnis modò incognitus eſt, ac cujus juſtitia vix probari poteſt, niſi ex tolerantiâ Eccleſiæ quoad certas Diœceſes. Sufficiet enim generaliter ſtatuere, bona omnium Eccleſiarum ita Principum eſſe, ut Epiſcopos, etiam nullius criminis reos, illis ſpoliare poſſint neque Jus habeat Eccleſia huic ſpoliationi obſiſtendi. Neſcio an ab hâc peſſimâ conſequentiâ longè abſit Diſſertatoris doctrina: ſic enim proſequitur. Art. 3. §. 3.

30. DISSERT. „Supremi illius in feuda Eccleſiis collata dominii ratione, Sigiſmundus Rex Burgundionum ſanctiſſimus abſolutâ auctoritate res Eccleſiæ in Beneficium conceſſit, ut conſtat ex Synodo Epaonenſi anno 517. celebratâ, Canone 18. *Clerici*, inquit, *quod etiam ſine Precatoriis quâlibet diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione poſſederint cum auctoritate Domini Glorioſiſſimi Principis noſtri, in jus proprietarium præſcriptione temporis non vocetur, dummodò pateat Eccleſiæ rem fuiſſe.* Huic Synodo præerat Sanctus Avitus Viennenſis Archiepiſcopus, aderant S S. Apollinaris Valentinus, Claudius Veſontienſis, Gregorius Lingonenſis, Pragmatius Auguſtodunenſis, Viventiolus Lugdunenſis, qui hanc Sigiſmundi Regis diſpoſitionem non improbârunt.

31. RESP. Avertat Deus à Principibus Chriſtianis conſilium imitandi Carolum Martellum, bona Eccleſiarum paſſim

Art. 3. in feudum Laïcis concedentem. Verendum enim eſſet, ne §. 3. illis non deeſſent Patroni, etiam ex Theologis. Illis exemplum jam ſubminiſtrat Diſſertator noſter, quod eò majoris eſt ponderis, quò Sanctior Princeps, à quo petitur. *Sigiſmundus*, inquit, *Rex Burgundionum Sanctiſſimus, abſolutâ Auctoritate res Eccleſiæ in Beneficium conceſſit.* Fortè id Sigiſmundus factitavit, antequàm ab Arianis partibus ad Catholicam Religionem tranſiiſſet; atque adeò non Sanctiſſimi; ſed Ariani Principis eſſet exemplum. At, inquit P. Alexander, hoc præſtitit *ſupremi in feuda Eccleſiis collata dominii ratione.* Verùm cùm hoc vacantibus tantùm ſedibus non contigerit: nulla enim vacationis fit mentio, imo verba illa, *Quâlibet diuturnitate temporis*, uſum-fructum plus quàm vacationem Eccleſiarum duraſſe inſinuant; Sequetur, ſi Autori credimus, Sanctiſſimi Regis exemplo, poſſe Principes omnes *ſupremi illius in feuda Eccleſiis collata dominii ratione, abſolutâ auctoritate res Eccleſiæ in Beneficium concedere.* An error ille affinis non eſt ei, qui damnatus eſt in Wicleffo, vel etiam pejor? Wicleffus enim non quoslibet Eccleſiaſticos Viros etiam delinquentes, ſed conſuetudine peccandi irretitos ſpoliare permittebat: Hic enim eſt articulus ejus decimus ſextus à Concilio Conſtantienſi, & à Martino V. damnatus: *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſiâ, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, habitu, non ſolùm actu delinquentibus.*

32. Verùm in Canone decimo octavo Synodi Epaonenſis, quem affert Diſſertator, non video, Sigiſmundum *abſolutâ auctoritate res Eccleſiæ conceſſiſſe.* Illius quidem autoritatem interveniſſe innuunt Patres his verbis: *Cum auctoritate Glorio-*

ſiſſimi

ſiſſimi Principis noſtri. Sed autoritatem illam nec ſolam, nec abſolutam fuiſſe, colligitur ex illis verbis, *de Eccleſiæ remuneratione*, quæ ſignificant, bona illa & ab Eccleſiâ, & in remunerationem conceſſa fuiſſe; Clericis ſcilicet de illâ benemeritis: non enim Laïcorum ulla fit mentio. *Art. 3. §. 4.*

33. Quo jure potuiſſent Epiſcopi, abſente Rege, quidquam ſtatuere circa bona quæ ipſe *ſupremi ratione dominii abſolutâ auctoritate conceſſiſſet*, ac contra diſpoſitionem ab ipſo Rege factam?

§. QUARTUS.

De exemplo Caroli Martelli ejuſque filiorum.

1. DISSERT. „Diſpoſitioni bonorum Eccleſiaſtico-„rum à Principibus factæ ſub finem primæ & ſub „initia ſecundæ Regum noſtrorum Dynaſtiæ, lo-„cum dedit Feudorum, quæ ab Eccleſiis poſſide-„bantur conditio, quæ ſervitia Regibus debebant, maximè „cùm de Regni conſervatione, & propulſandis hoſtibus age-„batur. Hâc ratione Carolus Martellus Major Domûs & „Dux Francorum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorum-„ve Beneficiorum Eccleſiaſticorum reditus Nobilibus con-„ceſſit, qui ſuas facultates in bello contra Saracenos diffi-„cillimo exhauſerant. Unde in Chronico Epiſcoporum Al-„bigenſium, & Abbatum Caſtrenſium Tom. 7. Spicilegii Da-„cheriani, legimus:

„ *Nobilium ut reparet Martellus damna virorum,*
„ *Injecit dominas in Sacra Feuda manus.*

„Carolomannus & Pippinus, cùm bona Laïcis à Carolo Pa-

Art. 3. „ tre conceſſa, reſtituere omninò non poſſent, nutante Mo-
§. 3. „ narchiâ belliſque concuſſâ, ab Epiſcopis impetrârunt, ut „ ſub precariâ & cenſu, à Comitibus aliiſque Laïcis ex Nobilium & Militarium Virorum ordine, tenerentur. Precariæ illæ aut Militaria Beneficia inſtituta & ad tempus conceſſa, ob graviſſimam Reipublicæ neceſſitatem, in ſubſidium „ exercitûs, ad vitam dumtaxat Beneficiatorum, illis morientibus, extinguebantur. Si neceſſitas cogeret, renovabatur Precaria juſſu Principis, ut docet Synodus Liptinenſis anno 744. celebrata, Canone 2. & Synodus Sueſſionenſis „ anno ſequenti habita, Canone, 3. ex quâ inſuper conſtat, „ Feuda Eccleſiis ſub onere Militiæ Regali munificentiâ collata fuiſſe: *Abbates*, inquit, *legitimi hoſtem non faciant, niſi tantùm homines eorum tranſmittant*. Hujus Concilii decretis vim publicæ legis additam à Pippino, Canon ultimus teſtatur.

2. Resp. Miror quòd non puduerit Theologum, eumque Regulari Inſtituto addictum, defendere Caroli Martelli ſacrilegam bonorum Eccleſiæ diſtributionem, quam Scriptores Eccleſiaſtici paſſim execrantur, quorum cumulandis teſtimoniis tædii vitandi cauſâ ſuperſedeo. Videri poteſt, inter alia documenta, Epiſtola ab Epiſcopis Provinciarum Remenſis & Rotomagenſis in Synodo apud Cariſiacum congregatis, quorum teſtimonio utitur Diſſertator paulò inferiùs, ſcripta ad Ludovicum Regem Germaniæ, in cujus cap. 7. refertur damnatio Caroli Martelli ad pœnas inferni, eâque relatâ, ſequuntur hæc verba: *Quod cognoſcens filius ejus Pippinus, Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum Sancto Bonifacio Legatus Apoſtolicæ Sedis Georgius nomine. Nam & Synodum ipſam habemus, & quantumcumque de Rebus*

bus Eccleſiaſticis quas Pater ſuus abſtulerat, potuit, Eccleſiis reddere procuravit. Et quoniàm omnes res Eccleſiis, à quibus ablatæ erant, reſtituere propter concertationem, quam cum Waifario Aquitanorum Principe habebat, non prævaluit; Precarias fieri exinde ab Epiſcopis petiit, & nonas ac decimas ad reſtaurationes tectorum; & de unaquâque Caſatâ duodecim denarios ad Eccleſiam undè res erant Beneficiatæ, ſicut in libro Capitulorum Regum habetur, dari conſtituit, uſquedùm ipſæ res ad Eccleſiam revenirent. Art. 5. §. 3.

3. Hiſtoriam damnationis Caroli Martelli nonnulli dubiam efficere conati ſunt; ſed leviora videntur illorum fundamenta: nec veriſimile eſt mentitos fuiſſe duarum Provinciarum Epiſcopos, qui eam à teſtibus contemporaneis, & de rei veritate diligenter inſtructis audierant. Fundamentis illis reſpondet Guilelmus Marlot in Metropol. Remen. lib. 2. cap. 47. ſed hujus rei examen diutiùs nos diſtineret, & plura ſunt alia injuſtitiæ Martelli teſtimonia, quàm ut eam probare neceſſe ſit ex illius damnatione.

4. Subſidia quidem Principibus pro Eccleſiâ & Religione pugnantibus, vel etiam Regnum contra hoſtium invaſiones defendentibus, aliquandò conferenda ſunt, præſertim ab iis Eccleſiis, quæ Principum liberalitate dotatæ ſunt: ſed prætextu Feudorum facultatem Regibus tribuere bona Eccleſiarum dandi, ut factitabat Carolus Martellus, non ſecùs ac ſi profana eſſent, res eſt iniquiſſima. Illam ejus injuſtitiam agnoverunt ejus Filii Carolomannus & Pippinus, quandoquidem illam emendare conati ſunt in Synodis Liptinenſi & Sueſſionenſi: ſed quia tanta fuerat bonorum Eccleſiaſticorum deprædatio, ut integrè reſtitui vix poſſent, Carolus Magnus, & Ludovicus Pius, ille Nepos, hic Pronepos Martelli, reſtitutionem proſecuti ſunt.

5. Con-

*Art.*3. §.5. 5. Conſtat quidem ex Synodo Sueſſionenſi an. 745. habitâ, exactam fuiſſe prætextu Feudorum Eccleſiaſticorum militiam. Ecquid mirum ſi, quo tempore Epiſcopatus & Abbatiæ militibus in Feudum dabantur, militiæ onus Feudis Eccleſiaſticis imponeretur? Inſtrumentum autem donationis ſeu infeudationis in favorem Eccleſiæ factæ, nullum vidi, in quo haberetur conditio militiæ præſtandæ, aut aliud onus ſimile: licet quàm plurima legerim donationum in favorem Eccleſiarum exempla. Sed quidquid ſit de communibus Feudorum legibus, ex illis certè nullus dialecticus legitimè concludet, Regaliam Regis Chriſtianiſſimi declaratione potuiſſe ad omnes Regni Eccleſias de novo extendi.

§. QUINTUS.

De Caroli Magni exemplo.

1. DISSERT. „Anno 777. Carolus Magnus *Rex* „*Sapientiſſimus atque perſpicaciſſimus, ſciens Re-* „*gnum eſſe veluti corpus quoddam, & nunc iſto,* „*nunc illo incommodo jactari, niſi conſilio, & for-* „*titudine, velut quibuſdam medicis, ſanitas accepta tutetur:* „*Epiſcopos quidem, modo quo decuit, ſibi devinxit. Ordinavit* „*autem per totam Aquitaniam Comites Abbateſque, nec non* „*alios plurimos, quos Vaſſos vulgò vocant ex gente Francorum;* „*quorum prudentiæ & fortitudini, nullâ calliditate, nullâ vi* „*obviare fuerit tutum, eiſque commiſit curam Regni, prout* „*utile judicavit, finium tutamen, villarumque Regiarum tota-* „*lem Proviſionem.* Ita refert Autor Vitæ Ludovici Pii, apud „Ducheſnium, tom. 2. pag. 287. Eccleſiis etiam plurima Feuda

„ feuda conceſſiſſe Carolum Magnum, ad eamque munifi- *Art.*3.
„ centiam exercendam, præter cauſas pietatis, motum etiam §. 5.
„ fuiſſe utilitate Reipublicæ, obſervat Willelmus Malmesbu-
„ rienſis lib. 5. de Geſtis Regum Anglorum. Exiſtimavit
„ ſcilicet Rex Maximus, Epiſcopos ſanctiùs obſervaturos
„ fidem promiſſam, ac prætereà, ſi res ita poſtularet, Ma-
„ jeſtati ſuæ ſubſidia laturos adverſus hoſtes & rebelles, cùm
„ poteſtate ſibi ratione feudorum competente, tum vibratis
„ excommunicationum fulminibus. *Carolus Magnus* (inquit)
„ *pro contundendâ gentium illarum, (id eſt Germanorum) fero-*
„ *ciâ, omnes penè terras Eccleſiis contulerat, conſilioſiſſimè per-*
„ *pendens, nolle Sacri Ordinis homines tam facilè quàm Laïcos fi-*
„ *delitatem Domini rejicere. Prætereà ſi Laïci rebellarent, illos*
„ *poſſe excommunicationis auctoritate & potentiæ ſeveritate com-*
„ *peſcere.*

2. RESP. Reſponderi poſſet circa hoc Willelmi Malmesburienſis teſtimonium; Reges illud militiæ genus ab Ordinis Sacri hominibus expectâſſe, ut ſcilicet Laïcos rebellantes *Excommunicationis auctoritate, & potentiæ ſeveritate compeſcerent:* Severitatem potentiæ, de ſpirituali intelligendam: Nec exiſtimandum, voluiſſe Carolum Magnum, ut Epiſcopi præter Excommunicationis gladium, enſe materiali belligerarent contra fideles Paſtorali ſuæ curæ ſubditos: ſiquidem verbum illud *poſſe*, ſatis indicat, voluiſſe quidem Carolum Magnum Sacri Ordinis homines fidelitatis vinculo ſibi devincire, quòd confideret, illos datam fidem religioſiùs ſervaturos, ac eâ autoritate, quæ cum Epiſcopali conjuncta eſt, uſuros ad continendos Laïcos in ſimili obedientiâ: non autem militiæ ſæcularis onus Viris Deo militantibus impoſuiſſe. Sed ne à propoſito recedamus certis tantùm argumentis utendi, poſtula-

*Art.*3. mus à P. Alexandro, ut declaret, quid ab unaquâque Eccle-
§. 5. ſiâ ratione feudi debeatur. Nam præterquàm quòd teſtimonium Willelmi Malmesburienſis Germaniam propriè ſpectat: quàm injuſtum ſit prætextu alicujus feudi, cæterorum omnium Eccleſiæ bonorum reditus Principibus adſcribere, tum per ſe patet, tum jam non uno in loco demonſtratum eſt.

3. DISSERT. „ Feuda illuſtria Eccleſiis à Carolo Magno & „ Deceſſoribus Regibus ſub onere militiæ collata, idque ſervitii „ exhibuiſſeEpiſcopos & Abbates ratione feudorum, conſtat ex „ Edicto Caroli Magni de Epiſcoporum immunitate ab expe- „ ditionibus bellicis, non tamen ab obligatione ſuppeditandi „ copias, quod in Capitulari anni 803. promulgatum eſt, „ cujus hæc ſunt verba: *Volumus ut nullus Sacerdos in hoſtem „ pergat, niſi duo vel tres tantùm Epiſcopi, electione cæterorum, „ propter benedictionem, & prædicationem, populique reconcilia- „ tionem* &c. *Reliqui verò qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos „ homines benè armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus, „ dirigant*. Idem probat Notitia in Conventu Aquiſgranenſi „ anno 817. juſſu Ludovici Pii Imperatoris edita de Mona- „ ſteriis quæ in Regno vel Imperio ipſius *Dona, & Militiam, „ quæ ſola Dona ſine Militiâ, quæ nec Dona nec Militiam, ſed „ ſolas orationes pro ſalute Imperatoris vel filiorum ejus, & „ ſtabilitate Imperii facere poſſent*. Idem probant Hetti Ar- „ chiepiſcopi Treverenſis ad Frotarium Tullenſem Epiſco- „ pum Epiſtola, apud Ducheſnium Tom. 2. Hiſt. Francor. „ pag. 721. Concilium Vernenſe II. Can. 8. Meldenſe Can. „ 47. Epiſcopi Remenſis & Rothomagenſis Provinciarum in „ Epiſtolâ ad Ludovicum Germaniæ Regem, cap. 7. cujus „ hæc ponderanda verba: *Quapropter ſicut & illæ res ac facul- „ tates, de quibus vivunt Clerici, ita & illæ ſub conſecratione*

immu-

„ *immunitatis ſunt, de quibus debent militare Vaſſalli, & pari* Art.3.
„ *tuitione à Regiâ Poteſtate in Eccleſiarum uſibus debent muniri.* §. 5.
„ Hincmarus Opuſculo 46. cui titulus eſt : *Quæ exequi de-*
„ *beat Epiſcopus*; inter Epiſcoporum officia iſtud comme-
„ morat : *Militiam ad defenſionem Sanctæ Eccleſiæ, ſecundùm*
„ *poſſibilitatis quantitatem, juxta antiquam conſuetudinem,*
„ *Regiæ diſpoſitioni exhibere, & ſecundùm Domini juſſio-*
„ *nem, quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & Deo quæ Dei ſunt reddere.*
„ Epiſcopis prædia Militibus, qui Eccleſiam ipſam & Rem-
„ publicam ab hoſtibus defendebant, in beneficium dare,
„ Gallicanæ Eccleſiæ diſciplina illis temporibus permitte-
„ bat, ut docet Epiſtola Hincmari 29. ad Carolum Calvum,
„ cujus verba deſcripſi in Synopſi Hiſtoriæ ſeculi IX. & X. cap.
„ 5. art. 7. num. 7.

4. RESP. Probant nonnulla ex his monumentis exactam fuiſſe ab Epiſcopis militiam. Sed an illud ſubſidium ob Regni tantùm neceſſitatem peterent Principes, maximè ab iis, quorum Eccleſiæ, aliquâ ſaltem ex parte Regiâ, munificentiâ dotatæ fuerant; an verò propter conditionem feudorum Eccleſiis collatorum, non ita liquet. Quin ex Notitiâ in conventu Aquiſgranenſi editâ colligi videtur, non fuiſſe onus in collatione feudorum appoſitum. Nam præterquàm quòd hæc verba, *facere poſſent*, quæ in hoc Inſtrumento habentur, & iſta, quibus utitur Hincmarus, *ſecundùm poſſibilitatis quantitatem*, ſignificant, ſubſidium pro cujuſque Eccleſiæ viribus poſtulatum, non autem certam & determinatam obligationem ex feudis provenientem; recenſentur multæ Eccleſiæ, quæ nonniſi orationes præſtare tenentur. Unde conſequi videtur, aut non omnes feuda poſſediſſe, atque adeò neque Regaliæ, in feudis juxta Diſſertatorem fun-

Art. 3. datæ, obnoxias fuiſſe, aut feuda ex propriâ ratione ac genera-
§. 5. tim non fuiſſe Eccleſiis conceſſa ſub onere militiæ vel doni. Quod nomen, *doni*, voluntarium ſubſidium potiùs quàm debitum & neceſſarium officium deſignat.

5. Si quis omninò contendat, Principes bona Deo, & Eccleſiis obtuliſſe, adjectis conditionibus feudalibus; eâque de cauſâ militiam ab illis exegiſſe: oſtendat quid & quantum Eccleſia quæque debeat. Ex illa enim Notitiâ Aquisgranenſi indubitatum fit, non eſſe omnium Eccleſiarum æquale onus: cùm aliæ *dona & militiam*, aliæ *ſola dona ſine militiâ*, aliæ *nec dona nec militiam*, *ſed ſolas orationes*, id eſt nihil temporale debere dicantur. Unde ulteriùs ſequitur, Jus Regaliæ, quod unum idemque ſemper fuiſſe à P. Alexandro ſupponitur, complectens ſcilicet uſum-fructum redituum & collationem Beneficiorum curam Animarum non habentium, ex Eccleſiarum fundationibus Regibus Chriſtianiſſimis non competere.

6. Non erit abs re hîc obiter notare, Eccleſiam Appamienſem, de cujus libertate à tanto tempore agitur, ex illâ Notitiâ liberam probari juxta mentem Adriani Valeſii. Nam in Claſſe Monaſteriorum, *quæ nec dona, nec militiam dare debent, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris, vel filiorum ejus, & ſtabilitate Imperii*, recenſetur *Monaſterium Sancti Antonii*, de quo dictus Valeſius in Notit. Galliar. verb. *Appamiæ*. Scribit; *Appamiis Bonifacius Papa VIII. circa annum 1296. in Monaſterio Sancti Antonii ad Aregiam Epiſcopalem Cathedram collocaverat: quod Monaſterium S. Antonii in Aquitania corruptè vocat pro S. Antonini Ludovicus Pius Aug. in Decreto ſuo de Monaſteriis.* Sed aliis firmioribus fundamentis innititur illius Eccleſiæ libertas.

7. Obji-

7. Objiciet forſan P. Alexander, ex monumentis indubitatæ fidei conſtare, plurimas Eccleſias olim militiam Regibus debuiſſe; ſive autem ex fundatione deberent, ſive ex conſuetudine, ac pro Regni neceſſitate, legitimum fuiſſe illam exigendi Jus; cùm præſertim Epiſcopi ſeſe illi accommodaverint. Cùm autem hodie Rex Chriſtianiſſimus Jus illud nequaquàm exerceat, videri in ejus locum ſucceſſiſſe Regaliam. *Art.* 3. §. 5.

8. Si Regalia non niſi poſtquàm Eccleſia milites Regibus ſubminiſtrare deſiit, fuiſſet exorta, fateri cogeretur P. Alexander eam tardè exortam eſſe. Sin vero eodem tempore & Regalia exercebatur, & militia exigebatur, graviori quàm par eſſet, onere premebatur Eccleſia; cùm & vacante Sede, cunctis reditibus ſuis ac Beneficiorum diſpenſatione careret, & vivente ſaltem Epiſcopo milites in obſequium Regis alere teneretur. Verùm quocunque titulo, & à quibuſcumque Eccleſiis præſtita fuerit olim militia, certiſſimum eſt immunitatem ab illo onere, & ab aliis ejuſmodi ſervitiis feudalibus, titulo oneroſo fuiſſe comparatam, ut ſæpe notare cogimur. Nam quæ ſingulis annis Regi Chriſtianiſſimo penduntur decimæ, ac quinto quoque anno Donum, quod vocant gratuitum, emolumenta longè ſuperant, quæ ſua Majeſtas ex feudis Regalibus ab Eccleſiâ poſſeſſis juxta conſuetudines feudales ſibi vendicaret. Præterea ſæpe aliàs ingentia ſubſidia pecuniaria à Clero Gallicano Reges receperunt, pro quibus amortizata fuerunt omnia bona temporalia Eccleſiarum, & ab omnibus ſervitiis feudalibus liberata, ut conſtat ex Actis Cleri Gallicani tom. 3. ulti. Edit. part 4. cap. 9. cujus titulus eſt; *Exemption de rendre foy & homage aveus & denombremens*: id eſt, „immunitas à præſtandis fide, hominio, recogni-

Art. 3. cognitionibus, & declarationibus.„ Et cap. 10. cui iſtud eſt
§. 5. argumentum; *Exemption de toutes recherches & taxes des francs fiefs, nouveaux acqueſts & amortiſſemens*; id eſt, „ Immunitas ab omni inquiſitione ac penſo ratione feudo-„ rum francorum, novarum acquiſitionum, & amortizatio-„ num, & ex contractibus circa ſolutionem decimarum & do-„ ni gratuiti initis.

9. Alia teſtimonia à P. Alexandro relata, loquuntur de auxilio Eccleſiis præſtando ab iis, qui feuda Eccleſiaſtica obtinebant: Verbi gratiâ, illa ipſa verba Epiſcoporum Remenſis, & Rotomagenſis Provinciæ, quæ Autor ponderanda vult, ſignificant, non ſolùm res Eccleſiaſticas, ex quibus vivebant Clerici, ſed illas etiam, quæ Laïcis ſub onere militiæ ad Eccleſias defendendas præſtandæ, tradita fuerant, immunitate potiri debere; quandoquidem milites, quibus Epiſcopi prædia debent in feudum, Eccleſiam ipſam ab hoſtibus defendebant, ut Autor Diſſertationis agnoſcit. Si enim illa militia Regi, non Eccleſiis fuiſſet ſubminiſtranda, ſuæ Majeſtatis intererat, ut res Eccleſiaſticas, etiam non hortantibus Epiſcopis, à rapinis immunes ſervaret, ut hinc expenſæ alendis ejus militibus, pro ipſo Regnoque belligerantibus neceſſariæ deſumi poſſent. Id innuunt illa verba: *Ita & illæ ſub conſecratione immunitatis ſunt, de quibus debent militare Vaſſalli, & pari tuitione à Regiâ poteſtate* IN ECCLESIARUM USIBUS *debent muniri*. Id apertiùs declarant exempla quæ ſequuntur.

10. DISSERT. „ Chronicon Cameracenſe lib. 1. cap. „ 117. refert, quòd *Walterius Caſtellanus Epiſcopum precatus eſt, „ ut filio ſuo Walterio terram ſuam beneficiaret, eique filius ſalvo „ uſu paternæ hæreditatis militaret.* Vetus Charta ſub Lothario

„ rio Rege conſcripta, quam laudat Dominicy, lib.de Præro- *Art.3.*
„ gativâ Allodiorum, cap. 11. num 12. docet, Rodulphum §. 5.
„ Abbatem Figiacenſem militi, cuidam Nepoti Begonis Epi-
„ ſcopi Ruthenenſis, ſexaginta Eccleſias dediſſe, cum quin-
„ gentis manſis; eâ conditione ut de his fidem exhiberet, ſuiſ-
„ que ſumptibus, ſi opus foret, cum trecentis hominibus pro
„ ejus cauſâ militaret.

10. RESP. Militia, de quâ hîc ſermo eſt, ad Eccleſiæ defenſionem debebatur: quia nimirum cùm à Potentibus infeſtaretur, aliorum Potentum auxilium collatis beneficiis ſibi conciliabat. Id innuunt in Chronico Cameracenſi hæc verba: *eique*, ſcilicet Epiſcopo, *Militaret.* Nec diſſimulat P. Alexander circa chartam Rodulphi Abbatis Figiacenſis, quâ Militi dedit Eccleſiæ bona; *Eâ conditione, ut de his fidem exiberet, ſuiſque ſumptibus, ſi opus foret, cum trecentis hominibus* PRO EJUS CAUSA MILITARET. Quorſùm igitur hoc teſtimonium?

11. DISSERT. „ Ex his compertum eſt, Eccleſias Gal-
„ licanas ſub ſecundâ Regum noſtrorum Dynaſtiâ Feuda poſ-
„ ſediſſe, omnibus legibus & oneribus obnoxia, quibus illa ex
„ conditione ſuâ ſubiacent; & ratione hujusmodi feudorum
„ Epiſcopos conſueta ſervitia Regibus præſtitiſſe. Cùm itaque
„ lex feudorum ſit, ut deficiente Vaſſallo Dominus feudum
„ vacans ad ſe recipere poſſit, & retinere cum reditibus donec
„ Vaſſallus alter ſubſtitutus ſit, cui poſt hominium ac Jura-
„ mentum fidelitatis præſtitum, ejus Inveſtitura concedatur;
„ conſequens eſt Reges noſtros ſecundæ ſtirpis, morientibus
„ Epiſcopis, qui Vaſſalli ipſorum erant ob feuda Eccleſiis ad-
„ dicta, poſſeſſiones hujusmodi occupâſſe, detinuiſſe, ac fru-
„ ctus ſuos feciſſe, donec novus Epiſcopus Inveſtituram feu-

dorum

Art. 3. „ dorum ab iis recepiſſet, ac Juramentum fidelitatis homi-
§. 5. „ niumque eorum præſtitiſſet Majeſtati. Uſus-fructus feudo-
„ rum abſque controverſiâ pertinebat ad Regem, adeò ut ab
„ eorum perceptione illi arceri non poſſent, quibus ipſum con-
„ ceſſerat, etiamſi vitioſa eſſet ipſorum electio. Unde Hinc-
„ marus Archiëpiſcopus Remenſis Guntberto, cui Lotha-
„ rius Imperator Cameracenſem Epiſcopatum contulerat, re-
„ ſtitit, cunctiſque ipſius Eccleſiæ Clericis ac Militibus ſub
„ anathemate interdixit, ne quis eorum adulterum Paſtorem
„ ſuſciperet, vel cum ipſo familiaritatem iniret: *Uſum-fru-*
„ *ctum verò terræ, quod Imperatoris erat, tantummodò commo-*
„ *darent.* Refert Baldericus Noviomenſis Epiſcopus lib. 1.
„ cap. 48. Collatio porrò Beneficiorum inter fructus cenſetur,
„ ut Canonici Juris Interpretes docent. Jus itaque conferendi
„ Beneficia, vacante Sede, ad Reges Chriſtianiſſimos Dyna-
„ ſtiæ ſecundæ pertinebat. Jus ergo Regaliæ in ſuarum ditio-
„ num Eccleſiis exercebant.

12. RESP. Supponamus, feuda Eccleſiis eâdem quâ Militibus conditione à Principibus data fuiſſe. Non ſequetur, uſum-fructum eorum, multominùs aliorum Eccleſiæ bonorum, decimas & oblationes, defunctis Epiſcopis, ad Reges pertinere: cùm neque in feudis, quæ à Laïcis poſſidentur, ubique locum habeat Jus, quod Relevium vulgò nuncupatur, nec ad fructus bonorum non feudalium ſe extendat Jus iſtud. Itaque vitioſiſſima eſt ratiocinatio, quâ ex eo, quòd alicubi, mortuo Vaſſallo, Dominus percipit fructus feudi, donec novum Vaſſallum inveſtierit, generatim concluditur, mortuis Epiſcopis non ſolùm uſum-fructum feudorum, ſed & omnes Eccleſiarum viduatarum reditus, Regis eſſe, imò & ipſi facultatem competere, omnia Beneficia curam

ram Animarum non habentia pleno Jure conferendi. Art. 3.

13. Ipſummet Hincmari exemplum, quod profert P. Alexander, oſtendit, ſaltem diſtinguenda eſſe bona non feudalia à feudalibus; quandoquidem Cameracenſis Eccleſiæ Clericis ac Militibus permiſit, ut terræ tantùm, quæ Imperatoris erat, uſum-fructum derelinquerent deſtinato ab Imperatore Epiſcopo: quæ tamen certè Hincmari permiſſio non arguit, ipſum ſenſiſſe, uſum-fructum illius terræ juſtè ab Imperatore datum, & ab intruſo Epiſcopo acceptum fuiſſe; ſed tantùm minùs decuiſſe, Eccleſiam, Beneficii à Rege accepti memorem, injuriam circa illud acceptam Anathematis mucrone arcendam curare. §. 5.

14. Cur tam frequenter odioſa & iniqua proferuntur exempla, ut Jus Regaliæ comprobetur? Lotharius Imperator Clericos in Cathedram Epiſcopalem Cameracenſem per vim intrudere conabatur. Renitebatur Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis, Canonicæ diſciplinæ Studioſus. Imperator Clericis à ſe intruſis, ut reditibus fruerentur, auxilium præſtabat. Hincmarus, cùm omnia illa mala propulſare ab Eccleſiâ non poſſet, patiebatur ut falſi illi Epiſcopi fructus feudorum Regalium uſurparent. Ergone illi juſtè percipiebant illos fructus, quamvis ab Imperatore conceſſos? An etiamſi ex legibus feudorum Lotharius fructus bonorum feudalium ſuos facere potuiſſet poſt Epiſcopi mortem uſque ad Succeſſoris inſtitutionem, ei licuiſſet illos dare Pſeudoepiſcopis à ſe intruſis; aut etiam illos tutâ conſcientiâ percipere, ex quo per ipſum ſtabat quominùs fieret Canonica Epiſcopi electio? Neſcio an ex hoc exemplo inferret etiam P. Alexander licere Principibus, Clericos contra ſtatuta Canonum, ac renitentibus Epiſcopis, ad Epiſcopatum provehere. Libet rem to-

*Art.*3. tam ex Chronico Cameracenſi, cujus partem tantùm refert
§. 5. P. Alexander, narrare, ut videat Lector cujuſmodi ſit: *Imperator cuidam Clerico Gundberto Epiſcopii contulit dignitatem: Sed Archiepiſcopus cum ſuis Coepiſcopis, hoc fieri contra ſacros Canones advertens, cum omni auctoritate refragatus eſt, cunctiſque ipſius Eccleſiæ Clericis & Militibus ſub Anathemate interdixit, ne quis eorum adulterum Paſtorem ſuſciperet, vel cum ipſo familiaritatem iniret; uſum-fructum verò terræ, quod Imperatoris erat, tantummodò commodarent. Dehinc verò Imperator Tetboldum quendam Clericum intromiſit, ſed & ſimiliter eâ contentione fruſtratus, exivit. Tertiò quoque Hilduinum ſuum cognatum, ſed & ſuum Capellanum ipſi Eccleſiæ præficere æſtimavit. Sed quia contra legem Canonicam erat, Hincmarus quoque Benedictionem cum omni virtute negavit.* An ex ejuſmodi exemplis colligenda ſunt Principum in Eccleſias Jura?

15. Inquirendum ergò eſſet, ut ſuprà notavimus, quid à Principibus acceperit Eccleſia; quibus conditionibus, & alia quæ erga viliſſimos etiam homines obſervantur; ſi qua ſervandæ æquitatis ratio haberetur, cùm de Juribus Eccleſiaſticis agitur. An enim ſtatim ut aliqua Eccleſia feudum poſſidere comperietur, Rex in eam quodlibet Jus ſibi adſcribere poterit, nullo adhibito examine circa quantitatem, aut qualitatem bonorum, circa conditiones donationis, aut jus & conſuetudines loci ſeu Provinciæ?

§. SEX-

§. SEXTUS.

Art. 3. §. 6.

De Villâ Novilliaco in feudum à Regibus datâ.

1. „DISSERT. Id confirmatur ex eo quòd ſecundæ „ Stirpis Reges Chriſtianiſſimi, Beneficia Militaria ex Eccleſiæ bonis crearent, Fidelibuſque „ ſuis ac de Republicâ bene meritis concederent, ut „ conſtat ex Notitiâ de Villâ Novilliaco editâ in Appendice ad „ Flodoardum. Rex *Carolomannus per Præceptum Regiæ ſuæ „ Auctoritatis, tempore Tilpini Archiepiſcopi, tradidit Villam „ Novilliacum cum omnibus ad ſe pertinentibus, ad Eccleſiam „ Remenſem Sanctæ Mariæ, & Baſilicam S. Remigii. . . . . . „ Defuncto Tilpino Archiepiſcopo, tenuit D. Rex Carolus Remenſe Epiſcopium in ſuo dominatu, & dedit Villam Novilliacum in Beneficio Anſchero Saxoni. . . . . . . Poſt obitum „ Caroli, & defuncto ipſo Anſchero, Domnus Ludovicus Imperator donavit ipſam Villam Novilliacum Donato in Beneficio* &c.

2. RESP. Varias paſſa eſt Villa Novilliacum mutationes, quæ deſcribuntur in 2. Tomo Hincmari Remenſis, edit. Sirmon. ſub num. 60. ex Appendice ad Flodoardum, ubi Lector, ſicut & in plurimis aliis, notare poterit ingenium P. Alexandri, qui ex factis iniquis & ab Eccleſiâ damnatis, tentat juſtitiæ colorem Regaliæ comparare. Carolomannus Villam Novilliacum Eccleſiæ Remenſi dedit. Eam Laïcis in feudum tradiderunt Carolus Magnus, Ludovicus Pius, & Carolus Calvus. Hic tamen illam poſtmodùm Eccleſiæ Remenſi reſtituit: cùmque, illo Romam profecto, à Ludovico Balbo

ejus

*Art.*3. ejus filio Eccleſiæ Remenſi ſubtracta, & in feudum Donati
§.6. filiis Laïcis data rurſus fuiſſet; redux eam Eccleſiæ Remenſi aſſeruit. P. Alexander varias illas mutationes ad Jus Regaliæ refert. Sed æquus Lector in verbis ab illo prætermiſſis rationem animadvertet, cur Novilliacum Eccleſiæ reſtitutum ſit & aſſertum; quòd nimirum injuſtè ablatum illi fuiſſet. *Anno* 32. *Regni ſui* (verba ſunt Hincmari loco citato) *venit Domnus Carolus Rex Glorioſus in Baſilicam Sancti Remigii, ubi oſtendi ei locum ſepulcri Carlomanni Regis, & Præcepta ipſius Carlomanni & Caroli Avi de Villa Novilliaco*, ET AUCTORES SACRORUM CANONUM, QUALITER DAMNENT, SPIRITUS SANCTI JUDICIO, EOS QUI ELEEMOSINAS DEFUNCTORUM RETINENT, ET ECCLESIIS TRADERE DEMORANTUR, *qui ut infideles ab Eccleſiâ abjiciendi, & quaſi egentum necatores, nec credentes Judicium Dei habendi judicantur. Et reddidit Præcepto ſuæ Auctoritatis, quod habemus, Remenſi Eccleſiæ iſtam Villam cum omnibus ad ſe pertinentibus.* Et inferiùs; *Non attendentes, quia, ſicut in Capitulis Auguſtorum ſcriptum habetur, tales* (bona Eccleſiarum à Principibus accipientes) *de Regis proprietate, ut infideles judicandi ſunt*, ET SECUNDUM LEGES ECCLESIASTICAS *de rebus Eccleſiaſticis ſacrilegi judicantur.* En cujuſmodi ſunt argumenta Jus Regaliæ, juxta P. Alexandrum, adſtruentia.

§. SEPTI-

§. SEPTIMUS. *Art.* 3. §. 7.

De Præceptis Regiis circa bona Eccleſiaſtica.

1. DISSERT. „ Non eſt diſſimulandum, Concilium „ Meldenſe anno 845. Canone 18. Carolo Calvo „ Regi ſupplicâſſe, ut conceſſiones hujuſmodi re- „ rum Eccleſiaſticarum in Beneficia à ſe factas, Ma- „ jeſtas ejus reſcinderet: *Ut Præcepta illicita Jure Beneficiario „ de rebus Eccleſiaſticis facta à Vobis ſine dilatione reſcindantur, „ & ut de cætero ne fiant, à dignitate veſtri Nominis Regii cavea- „ tur.* Verùm omnia hujuſmodi Præcepta reſcindi Synodus „ non poſtulavit, ſed illicita dumtaxat, & quæ in grave de- „ trimentum Eccleſiarum, nullâ publicæ rei neceſſitate fie- „ bant, nec iis legibus quæ à Carolo Magno & Ludovico „ Pio erant poſitæ. Nam ejuſdem Synodi Patres Canone 78. „ Regem obſecrant: *Ut Capitula Eccleſiaſtica à Domno Carolo „ Magno Imperatore, nec non & à Domno Ludovico Pio Au- „ guſto promulgata, obnixè obſervari præcipiantur, ſicut & „ Legalia obſervanda eſſe noſcuntur.* At lib. 1. Capitularium, „ cap. 126. Regalia Beneficia de rebus Eccleſiaſticis inſtituta „ legimus, & à Principibus collata. *Conſideravimus itaque, „ quia per plurima loca fames valida eſſe videtur, ut omnes Epi- „ ſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Optimates, & Comites, ſeu „ domeſtici, & cuncti fideles,* QUI BENEFICIA RE- „ GALIA TAM DE BONIS ECCLESIASTICIS *quam- „ que & de reliquis* HABERE VIDENTUR, *ut unuſ- „ quiſque de ſuo Beneficio ſuam familiam nutricare faciat.*

2. RESP. Mera cavillatio eſt, dum epithetum illud, illi-

Art.3. §. 7. *illicita*, limitativè, ut ita dicam, & non denominativè à P. Alexandro accipitur: quaſi ſenſus Concilii Meldenſis eſſet, aliqua eſſe Præcepta Regia, licitè bona Eccleſiarum Laïcis tribuentia, neque hujuſmodi Præcepta, ſed ea tantum, quæ illicitè bona auferrent ab Eccleſiis, eſſe revocanda; cùm è contra hujuſmodi Præcepta omnia, & injuſta nuncupet Synodus, & abrogari poſtulet. Ea Patrum Meldenſium ſententia perſpicuè apparet in pluribus Canonibus, præſertim decimo octavo, & decimo nono. Sed omnem eximit dubitationem Canon vigeſimus ſecundus, in quo abſque ullâ exceptione illicita declarantur omnia ejuſmodi Præcepta. Hæc ſunt ejus verba: *Præcepta autem Regalia ſuper precariis Eccleſiaſticis fieri nec ratio ſinit, nec Auctoritas quolibet modo permittit. Quoniam Præcepta in Jure Eccleſiaſtico firmare indignum judicet neceſſe eſt Majeſtas Regia, niſi ab Eccleſiaſtico Rectore petantur.*

3. Quod autem addit P. Alexander, ejuſdem Synodi Patres Can.78. Regem obſecrare, ut Capitula Caroli Magni, & Luodovici Pii obſervari præciperet, libenter admittimus. Plurima enim ſunt in Capitularibus illorum Principum Eccleſiaſticæ libertati faventia: verbi gratiâ Capitulum 427. libri ſexti, cujus hæc ſunt verba: *Omnibus nos ipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, generaliter interdicimus, ut nullus laïcus homo, vel Imperator vel Rex, aut aliquis Præfectorum vel Comitum ſæculari poteſtate fultus, ſibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocumque modo invadere præſumat, Monaſterium, aut prædia, vel quaſcumque res de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis aut Abbatiſſæ.* Cavillatur alibi Autor circa hoc Capitulum propter verba illa, *Per violentiam*: *Invadere.* Sed quid reſpondebit ad illa, quæ generatim & abſque ullo temperamento dicuntur, quæque Præceptis Regiis reſpondent: *Aut à nobis competere?*

4. Quid

4. Quid aliud quàm Præcepta Regia damnat ejuſdem libri Capitulum 392. his verbis: *Iniquum eſt & Sacrilegii inſtar, ut quæ pro ſalute, vel requie Animarum ſuarum unuſquiſque venerabili Eccleſiæ contulerit, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè ſervari convenerat, auferri, & in aliud transferri?* Reſpondebit P. Alexander, hæc de bonis à privatis hominibus, non autem ab ipſis Principibus, datis intelligenda: quaſi verò non eadem in utriſque militet ratio, & utraque data non ſint pro ſalute vel requie Animarum. *Art.3. §.7.*

5. Sed quam diſtinctionem excogitabit circa hæc verba Capituli 393. ejuſdem libri: *Laïcis quamvis Religioſis, nulla de Eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur unquam attributa facultas?* Cur horum Capitulorum, & aliorum ſimilium obſervationem à Patribus Meldenſibus poſtulatam non credamus, utpotè in favorem bonorum Eccleſiæ editorum, potiùs quàm earum rerum, quæ in Capitularibus non tam ſtatuuntur, quàm enuntiantur factæ in detrimentum Eccleſiæ? Verba enim illa, quæ Autor recitat ex Capitulo 126. lib. 1. *Qui Beneficia Regalia tam de Bonis Eccleſiaſticis, quamque & de reliquis habere videntur*, &c. innuunt quidem Laïcos Beneficia Regalia de bonis Eccleſiaſticis obtinere: ſed præterquàm quòd ita poſſent accipi, ut Beneficia illa primò Eccleſiæ, ac deinde ab Eccleſia Laïcis fuiſſent conceſſa; non continent approbationem illius beneficentiæ, ſed ſuppoſitâ illâ ſive juſtâ ſive injuſtâ, ſtatuitur, quod juſtiſſimum eſt, ut hujuſmodi Beneficiis præditorum unuſquiſque propriam familiam tempore famis nutriat.

§.OCTA-

Art.3. §.8.

§. OCTAVUS.

An idem Concilium Meldenſe Jus Regium circa Eccleſiarum Cuſtodiam agnoverit.

1. DISSERT. „ Cæterùm Gallicani Præſules in Synodo Meldenſi agnoverunt Jus Cuſtodiæ, Defenſionis, & gubernationis Poſſeſſionum Eccleſiaſticarum ad Carolum Calvum Regem à Progenitoribus Regibus transmiſſum, adeòque & Jus Regaliæ „ quod idem eſt ſecundùm Concilium Lugdunenſe II. ſic autem Regem alloquuntur Can. XI. *Ante oculos reducentes „ tunicam Chriſti, qui uos elegit, & exaltavit, quam nec milites auſi fuerunt ſcindere, tempore veſtro quantocyùs reconſuite & reſarcite : & nec violentâ ablatione, nec illicitorum „ Præceptorum confirmatione* RES AB ECCLESIIS VOBIS AD TUENDUM ET DEFENSANDUM AC PROPAGANDUM COMMISSIS *auferre tentate : ſed „ ut ſanctæ memoriæ Avus & Pater veſter* EAS GUBERNANDAS VOBIS *fautore Deo* DIMISERUNT, *redintegrate, Præcepta Regalia earumdem Eccleſiarum conſervate & confirmate.*

2. RESP. Pigebit, ut arbitror, Lectorem toties eandem cantilenam audire, & ægrè feret, quòd ſe craſſâ æquivocatione tam frequenter deludere conetur Autor Diſſertationis; quaſi cuſtodia, quam Principes omnes univerſis ſuis ſubditis, ſed multò magis Eccleſiis nunquàm non debent, idem eſſet ac Cuſtodia illa ſpecialis, cujus occaſione in quaſdam Eccleſias inducta eſt Regalia, quæque tempore tantum vacationis locum habet.

7. Cæ-

3. Cæterùm, ſi verba Concilii Meldenſis æquè ponderentur, ſolidiora in illis inveniemus fundamenta libertatis Eccleſiaſticæ, quàm P. Alexander ſervitutis legitimæ. Nam, verbi gratiâ, quomodò res Eccleſiæ à Rege *propagabuntur*, ſi eas Laïcis diſtribuat; ſi earum reditus in Fiſcum deferri jubeat? An ita *gubernandas* Carolus Magnus & Ludovicus Pius *Carolo Calvo dimiſerunt?* An ita *Præcepta Regalia* in favorem data *earumdem Eccleſiarum, conſervantur & confirmantur?* Art.3. §. 9.

§. NONUS.

De bonis Eccleſiæ Clericis à Regibus datis.

1. DISSERT. „Clericis æquè, ac Laïcis Eccleſiæ „prædia in Beneficium data à Regibus veriſimile „eſt, maximè vacantibus Eccleſiis, cùm feuda „Regiâ munificentiâ ipſis collata ad ſe recipiebant, „Regalem Cuſtodiam exercebant, fructus percipiebant, „Inveſtituram novo Antiſtiti conceſſuri. Hujuſmodi autem „Beneficiorum conceſſionem Synodus Meldenſis non ægrè „tulit, ſed eam duntaxat, quâ paſſim laïcis hominibus, „nullâ neceſſitate concedebantur, & in allodium ſeu proprietatem vertebantur, & ad eorum hæredes tranſmittebantur, de quibus Canon quadrageſimus ſecundus ejuſdem Synodi: *Monenda eſt ſolertia Regia, ut ſtrenuos & fideles Miſſos per Regnum ſibi commiſſum dirigat, & inveſtigent ac diligenter imbrevient res Eccleſiaſticas, quas per ſubreptionem atque ignorantiam quorumcumque in allodium Ipſe aut Pater ſuus donavit, & conſulens periculo animarum, ſuæ videlicet ac*

Art.3. „ *Patris ſui, hoc ad tempus corrigere ſtudeat, ne fortè cùm vo-*
§.9. „ *luerit, minimè poſſit.* Nec ſolùm prædia quælibet Eccleſiaſtica, ſed & Monaſteria *quæ Prædeceſſores illius* CAUSA DEFENSIONIS ET MUNDEBURDI *ſuſceperant*, in *allodium* dederat Carolus Calvus, & quaſi hæreditario jure poſſidenda; *Unde contra omnem auctoritatem, contra Patrum Decreta, & totius Chriſtianæ Religionis conſuetudinem, in Monaſteriis Regularibus Laïci in medio Sacerdotum & Levitarum, ac cæterorum Religioſorum Virorum, ut Domini & Magiſtri reſidebant, & velut Abbates de illorum vitâ & converſatione decernebant, eoſque dijudicabant, & regimina Animarum, ac Divina eis ſecundùm Regulam, non ſolùm ſine præſentiâ, ſed etiam ſine conſcientiâ Epiſcopi, committebant Sacraria*: ut conſtat ex Canonibus 10. & 42. ejuſdem Concilii Meldenſis. Quamobrem Regia Præcepta, quibus de Beneficiis ac rebus Eccleſiaſticis hoc modo diſpoſuerat Carolus Calvus, ab ejus Majeſtate velut illicita reſcindi, Gallicani Præſules meritò poſtularunt.

2. RESP. Probandum eſt Regem Chriſtianiſſimum habere Jus Regaliæ in omnibus ſuæ Ditionis Eccleſiis. Pater Alexander Canones profert Concilii Meldenſis, quibus ſtatutum fuit, monendum eſſe Carolum Calvum, ut *conſulens periculo animarum, ſuæ videlicet, ac Patris ſui*, donationes bonorum Eccleſiaſticorum à ſe, vel à Patre ſuo Laïcis factas revocaret, & alios abuſus peſſimos corrigeret. Quæ conſequentia ab hâc monitione ad illud Jus? *Clericis*, inquit, *æquè ac Laïcis Eccleſiæ prædia in Beneficium data à Regibus veriſimile eſt: hujuſmodi autem Beneficiorum conceſſionem Synodus Meldenſis non ægrè tulit.* Primò quænam eſt vis argumentationis, quæ innititur facto, quod non verum, ſed *veriſimile* tantùm dicitur,

diċitur, & cujus veriſimilitudo non probatur, ſed gratìs ſup- *Art.3.*
ponitur? Secundò licet id factum veriſimile, aut etiam verum §. 9.
eſſet, num à Concilio Meldenſi, quod de illo ne verbum quidem fecit, approbatum cenſeretur? Ita, inquies; quia alia huic affinia improbavit. Sed ex aliorum abuſuum huic affinium damnatione ego colligam, iſtum non extitiſſe; alioquin pariter fuiſſe damnandum. Utrius noſtrûm ſolidior erit conjectura? Certè nullâ lege feudorum ex quo hæreditaria facta ſunt, nulloque alio jure licet Domino feudi in perpetuum dati, quando illud poſt mortem Vaſſalli recipit, partem ejus alteri in Beneficium dare. Poteſt ad ſummum fructus ad ſe pertinentes alicui cedere, donec novum Vaſſallum inveſtierit, idque in illis Provinciis, in quibus ea viget conſuetudo. Si ergo Reges, vacantibus Eccleſiis, prædia earum *in Beneficium dabant* ſive Clericis ſive Laïcis, injuriam faciebant Eccleſiæ. Plus enim ſine dubio his verbis, *Eccleſiæ prædia in Beneficium data*, intelligit P. Alexander, quàm quòd Reges fructus tempore vacationis provenientes concederent. Ut veriſimilis eſſet ejus conjectura, neceſſe foret, ut ſimiles donationes prædiorum Eccleſiaſticorum à Regibus factæ, à Conciliis fuiſſent approbatæ, aut ſaltem vel nunquam, vel raro improbatæ. Sed contrarium conſtat ex illis ipſis teſtimoniis, quæ ab ipſomet proferuntur variis in locis. Vide ſuprà §. §. 3. & 7. & infrà §. §. 12. & 13.

3. Minor fuiſſet injuſtitia, ſi Reges Clericis Eccleſiæ prædia in Beneficium dediſſent, id eſt ad vitam, quàm cùm in Allodium concedebant, aut dum *contra omnem auctoritatem, contra Patrum decreta, & totius Chriſtianæ Religionis conſuetudinem, in Monaſteriis Regularibus Laïci in medio Sacerdotum & Levitarum, ac cæterorum Religioſorum Virorum, ut Domini*

Art.3. *mini & Magiſtri reſidebant, & velut Abbates de illorum vitâ,*
§. 10. *& converſatione decernebant, eoſque dijudicabant, & regimina Animarum, ac Divina eis ſecundùm Regulam, non ſolùm ſine præſentiâ, ſed etiam ſine conſcientiâ Epiſcopi committebant Sacraria.* Quapropter etiamſi verum eſſet, quod hîc veriſimile tantùm eſſe vult Diſſertator; perperam ex ſilentio Concilii Meldenſis colligeretur tacita ejus approbatio: quoniam qui gravioribus morbis curandis incumbunt, leviores plerumque negligere coguntur.

§. DECIMUS.

An Patres Meldenſes Jus Regium Inveſtituræ agnoverint.

1. DISSERT. „Regibus Chriſtianiſſimis Jus Inveſtituræ ratione feudorum competere, adeòque „& Jus Regaliæ, quod idem eſt Inveſtituræ Juri, Synodus Meldenſis agnovit, Regem admonens ut vacantibus Eccleſiis Epiſcopos & Abbates deſignaret, quod ſaltem ad Regalium Inveſtituram pertinere, nemo negaverit his in ſtudiis mediocriter verſatus. Canon 8. „*Dei Legatione fungentes monemus, ut quandocunque Deo, diſpenſante, quilibet Epiſcopus ad Dominum migraverit, ſine dilatione, juxta auctoritatem Canonicam, Sedes vacans* EPISCOPUM A VOBIS REGULARITER DESIGNATUM, „*& gratiâ Sancti Spiritus conſecratum accipiat.* Canon 9. „LOCA VENERABILIA, *& habitum, ac Ordinem Sacrum, eis qui ad hoc vocati ſunt, Viris ſcilicet ex Clericali & Eccleſiaſtico, vel Monaſtico Ordine religioſis, ſeu & in ſuo*

ſexu

„*ſexu fœminis Deo dicatis atque devotis, & in Schola Chriſti* Art. 3.
„*eruditis, ad cuſtodiendum, & providendum* COMMITTA- §. 10.
„TIS: QUI ET QUÆ DEI SUNT DEO, ET QUÆ SUNT
„CÆSARIS CÆSARI REDDANT. *Qui ſi minùs perfectè,*
„*& in Divinâ Religione, & in Reipublicæ utilitate profecerint,*
„*aut corripiantur, aut meliores & utiliores in locis eorum ſubſti-*
„*tuantur.*

2. RESP. Si Canones integros protuliſſet Diſſertator, non poſſet Lector non advertere, illos nequaquam de Inveſtituris agere, ſed remedium adhibere ſacrilegiis, quæ præſertim vacantibus Epiſcopatibus & Abbatiis circa bona Eccleſiaſtica à Carolo Calvo perpetrabantur.

3. Vacantibus Sedibus Epiſcopalibus differebatur à Rege Epiſcoporum eligendorum licentia, atque, ut innuunt Patres in Canone octavo verbis à P. Alexandro prætermiſſis nullo appoſito omiſſionis ſigno in eâ quam exſcripſit parte, in concedendâ licentiâ interveniebat ſimonia. Quamobrem petunt, ut & abſque ſimoniâ, & ſine dilatione præficiantur vacantibus Eccleſiis Epiſcopi; idque juxta ſacros Canones: *Cùm Canonum etiam irrefragabilis autoritas ſuper Epiſcoporum Ordinatione evidentiſſimè præcipiat.* En Canonem integrum. *Quia benè noſtis ab illo, qui ſolus Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Eccleſiam diſpoſitam eſſe, ut Pontificali auctoritate, & Regali poteſtate gubernetur; & ſcriptum eſſe liquidò pervidetis: ubi non eſt Gubernator Populus corruit; & tantò periculoſiùs, quantò anima plus eſt precioſa, quàm corpus; Canonum etiam irrefragabilis auctoritas ſuper Epiſcoporum Ordinatione evidenter præcipiat; ferventiſſimè Dei Legatione fungentes monemus, ut quandocumque Deo diſpenſante, quilibet Epiſcopus ad Dominum migraverit,* SUBMOTA PENITUS PESTE SIMONIA-

Art. 3. §. 10. CÆ\HÆRESEOS, SINE DILATIONE, JUXTA AUCTORITATEM CANONICAM, *Sedes vacans Epiſcopum à vobis regulariter deſignatum, & gratiâ Sancti Spiritus conſecratum accipiat.*

4. At fortè Inveſtitura innuitur his verbis, à P. Alexandro grandioribus characteribus notatis: *Epiſcopum à vobis regulariter deſignatum.* Verùm vox illa, *regulariter*, ſatis indicat mentem Patrum non eſſe, quidquam declarare circa Inveſtituram Epiſcopatuum, ſed providere, ne ſimonia, vel aliud crimen in eligendis Epiſcopis admitteretur. Sed, inquies, conſtat ad minùs, Patres annuere, ut Epiſcopus à Rege regulariter deſignetur. Tot & tam immanes erant tunc temporis abuſus circa Epiſcoporum promotionem, ut, cùm nulla eſſet ſpes eos omnes ſimul funditùs ſubmovendi, gravioribus poſſe mederi maximæ felicitati tribueretur. Frequens autem Canonum mentio Epiſcoporum deſiderium de obſervandâ plenè diſciplinâ Canonicâ ſatis prodit; quæ quidem diſciplina ſolam Regibus facultatem permittebat conſenſum præbendi electioni, dum ſibi ac Regno ſuſpectus non erat electus. Itaque dum Principes majorem ſibi poteſtatem arrogabant, & Canones, & piorum etiam Principum Conſtitutiones violabant.

5. Carolus Magnus in Capitulari primo an. 803. cap. 2. renovato à Ludovico Pio an. 816. libertatem electionum à Clero & Populo juxta Canones faciendarum ſtatuerat: *Sacrorum Canonum non ignari, ut in Dei nomine Sancta Eccleſia ſuo liberiùs potiretur honore, adſenſum Ordini Eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & Populi, ſecundùm ſtatuta Canonum, de propriâ Diœceſi, ob vitæ meritum, & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo, & verbo ſibi ſubjectis*

ſubjectis uſquequaque prodeſſe valeant. Sed Carolus Calvus Patris & Avi pietatem & æquitatem non imitatus, circa Prælatos Eccleſiis Cathedralibus & Monaſteriis præficiendos multa peccabat, Epiſcopos liberè eligi non ſinens, Monaſteria Laïcis tradens. *Art. 3. §. 10.*

6. De Epiſcopis jam vidimus: de Abbatibus, & Abbatiſſis hoc teſtatur Canon nonus Meldenſis: *Sacrum quoque Monaſticum Ordinem, à Deo inſpiratum, & ab ipſis Apoſtolis fundatum, ſeu à nominatiſſimis ac Sanctiſſimis Patribus excultum, atque per iſtud Imperium à veſtris piæ memoriæ Prædeceſſoribus propagatum, & quædam etiam loca ſpecialiùs venerabilia, contra omnem auctoritatem & rationem, ac Patrum veſtrorum, ſeu Regum præcedentium conſuetudinem, Laicorum curæ & poteſtati, in maximo veſtro periculo, & illorum perditione, & Dei ac Sanctorum non modicâ ad iraſcendum provocatione, vos commiſiſſe dolemus.* Quamobrem Patres poſtulant, ut *loca venerabilia & habitum ac Ordinem ſacrum eis qui ad hoc vocati ſunt, viris ſcilicet ex Clericali & Eccleſiaſtico vel Monaſtico Ordine religioſis committantur.* Quod igitur Carolus Calvus circa Epiſcopatus & Abbatias factitabat, & Conciliorum Canonibus, & Regum Capitularibus erat adverſum. Nec mirum, ſi Patres Meldenſes deputandorum Abbatum aut Abbatiſſarum facultatem Regi illi negare auſi non ſunt: quandoquidem maximum bonum ſe conſecuturos exiſtimabant, ſi Monaſteria Laicis non conferrentur.

§. UNDE-

Art. 3. §. 11.

§. UNDECIMUS.

De obedientiâ Regibus Eccleſiam defendentibus præſtandâ.

1. Dissert. „ Denique juſtis Regum diſpoſitioni-„ bus ac Præceptis de Regalium Inveſtiturâ, per-„ ceptione fructuum Eccleſiæ vacantis ratione „ feudorum, collatione Beneficiorum quæ ad „ fructus pertinet, parendum eſſe Jure Divino, Eccleſiaſti-„ co, & Civili, colligitur ex eodem Concilio Canone 15. „ *Si quis*, inquit, POTESTATI REGIÆ, QUÆ NON EST „ *juxta Apoſtolum*, NISI A DEO, *contumaci ac inflato ſpi-„ ritu, contra auctoritatem & rationem pertinaciter contradice-„ re præſumpſerit, & ejus juſtis & rationabilibus Imperiis*, SE-„ CUNDUM DEUM ET AUCTORITATEM ECCLESIASTI-„ CAM, AC JUS CIVILE, *obtemperare irrefragabiliter nolue-„ rit, anathematizetur.*

2. Resp. Parùm abſum ab aſſentiendo ſapientibus quibuſdam Viris, qui exiſtimarunt, Diſſertationem iſtam ad deludendos vel ſimplices, vel parvæ literaturæ homines, compoſitam. Tam enim frequenter, tamque craſſè teſtimonia illic relata in alienum ſenſum detorquentur, ut vel Curiæ placendi deſiderio excæcatus fuerit Diſſertator, vel ſperaverit, Lectores fidem ſibi indubitanter daturos, nec fontes ipſos unquam vidiſſe, vel viſuros eſſe. Ex Canone 15. Meldenſi colligit, Regibus circa Præcepta de Regalium Inveſtiturâ, perceptionem fructuum, & collationem Beneficiorum Eccleſiarum vacantium, *parendum eſſe Jure Divino, Eccleſia-*

ſtico

ſtico & Civili. Quis vel mediocri ingenio & eruditione prædi- *Art.3.*
tus ſe tam indignè deludi patiatur ? Nam neque in illo Cano- §. 12.
ne, neque in præcedenti, neque in ſequenti ullum verbum eſt de feudo, de Inveſtiturâ, de uſu-fructu Eccleſiarum vacantium, vel de diſtributione Beneficiorum. Editi ſunt illi Canones, & alii quidam ad commendandam ſubditis obedientiam & fidem Regi debitam, idque non indiſtinctè ſed ſecundùm *auctoritatem, & rationem...... juſtis, & rationabilibus imperiis.*

§. DUODECIMUS.

De reſtitutione bonorum Eccleſiæ Remenſis tempore vacationis uſurpatorum, factâ à Ludovico Pio.

1. DISSERT. „ Præceptum Ludovici Pii Imperatoris „ apud Flodoardum lib. 2. Hiſtoriæ Remenſis, „ cap. 19. quiſpiam objiciet, quo ad renovandam „ & amplificandam S. Mariæ in urbe Remenſi Baſi„ licam, muros & portas civitatis, Ebone Archiepiſcopo rogan„ te, conceſſit, *cum cunctis impendiis quæ ex rebus & facultatibus „ ipſius Eccleſiæ & Epiſcopatûs Remenſis Aquis Palatio Regio „ peragi, & exolvi ſolitum fuerat. In eleëmoſynâ noſtrâ* (in„ quit) *& pro remedio animæ Domni ac Genitoris noſtri, atque „ cæterorum Prædeceſſorum noſtrorum, qui eumdem Epiſcopatum „ contra ſalutem ſuam aliquamdiù tenuerant, & in ſuos uſus „ contra Eccleſiaſticas Regulas res ac facultates Eccleſiæ ipſius „ expenderant.* Ex quibus verbis colligi poſſe videtur, ſecundæ „ Dynaſtiæ *Reges Chriſtianiſſimos uſum-fructum Eccleſiaſticarum „ poſſeſſionum* Sede vacante ſibi jure non vendicâſſe.

*Art.*3. §. 13. 2. RESP. Optima videtur conſequentia: videamus quomodò eam impugnet Diſſertator.

§. DECIMUS TERTIUS.

Expenditur Reſponſio Autoris ad Objectionem §. præcedentis.

1. DISSERT. „ At operoſa non erit Objectionis hujus „ ſolutio. Solum namque abuſum, non legiti„ mum uſum-fructum improbavit Religioſiſſimus „ Princeps. Epiſcopatûs vacationem protrahere, ut „ diutiùs aperta ſit Regalia, & fructus vacationis diuturnæ „ tempore provenientes in ſuos uſus convertere abſque urgenti „ neceſſitate, abuſus eſt: cùm enim Eccleſiæ bona depoſita „ ſint pietatis, oblationes fidelium, patrimonia pauperum, „ pretia peccatorum, debent in ejuſdem Eccleſiæ uſus, pau„ perumque ſolatium impendi. Quâ in re ſuos Deceſſores „ *peccâſſe, delicatiſſimæ conſcientiæ Princeps facilè ſibi per„ ſuaſit.*

2. RESP. Si Ludovicus Pius *delicatiſſimæ conſcientiæ Princeps* Theologos Patri Alexandro ſimiles nactus fuiſſet, ſcrupulos circa injurias à ſuis Prædeceſſoribus Eccleſiis factas deponere non ita fuiſſet illi difficile. Nam Principes illos Eccleſiarum fructus vacationis diuturnæ tempore provenientes in ſuos uſus abſque urgenti neceſſitate non convertiſſe, idque ſufficere ad conſcientiæ ſecuritatem, inſinuat §. quarto & alibi.

3. Porrò *cùm Eccleſiæ bona depoſita ſint pietatis, oblationes fidelium, patrimonia pauperum, pretia peccatorum, debent in* ejuſdem

ejuſdem Eccleſiæ uſus, pauperumque ſolatium impendi. Quidni, *Art.3.*
dum viduata eſt Eccleſia, perinde ac dum Paſtore ſuo gau- §. 13.
det? Num mortuo Epiſcopo immutatur illorum bonorum conditio, & ex Sacris profana fiunt? Num cùm Dei, ut loquitur Concilium Tridentinum poſt Canones dictos Apoſtolicos, & Eccleſiæ bona antea eſſent, tunc ad Principes pertinere incipiunt? An etiam bona ab aliis fidelibus oblata, feudorum à Rege datorum ſervitiis obnoxia ſunt?

4. Quodnam autem habuit fundamentum P. Alexander, verba illa Ludovici Pii (*in ſuos uſus contra Eccleſiaſticas Regulas res ac facultates Eccleſiæ ipſius expenderant*) ad illud tempus reſtringere, per quod dilata fuerat electio abſque neceſſitate, cùm in eo Inſtrumento nullum ſit ejus diſtinctionis veſtigium?

5. Dissert. „ Sed legitimum poſſeſſionum Eccleſiaſticarum uſum-fructum vacante Epiſcopatu, ratione feudorum, ſeu Juris Regaliæ, Prædeceſſoribus ſuis vitio non „ vertit. Nam feuda Eccleſiis à Regibus collata, conſuetis erga „ ipſorum Majeſtatem ſervitiis obnoxia eſſe, hoc ipſo Diplomate Ludovicus Pius declaravit: & Beneficia ex rebus Eccleſiaſticis concedi à Regibus graviſſimis de cauſis, ob Reipublicæ ac Eccleſiæ, quæ in ipſâ eſt, neceſſariam defenſionem, vel utilitatem, potuiſſe. *Cum cunctis impendiis*, inquit, *quæ ex rebus & facultatibus ipſius Eccleſiæ & Epiſcopatûs Remenſis Aquis Palatio noſtro Regio peragi, & exſolvi ſolitum fuerat*, &c. Et infrà: *Volumus etiam ut Vaſſalli, „ & quicunque Fideles noſtri ex rebus ejuſdem Epiſcopatûs alquid „ habent, eidem operi inſerviant, ſicut conſtitutum eſt à bonæ „ memoriæ Domno & Genitore noſtro, & ſicut decretum eſt à „ piæ recordationis Domno & Avo noſtro Pipino, decimas &*

 nonas

*Art.*3. „ *nonas eidem Eccleſiæ Sanctæ ex rebus quas exinde habent, per-*
§. 13. „ *ſolvant.* Idem ex Diplomatis initio confirmatur. *Si locis* „ *venerabilibus*, inquit, *ea quæ exinde à Prædeceſſoribus no-* „ *ſtris Regibus vel Imperatoribus ad Reipublicæ uſus exigeban-* „ *tur, religioſâ liberalitate in utilitatibus & neceſſitatibus* „ *eorumdem ſanctorum Locorum expendendis remittimus. . . . .* „ *maximum & animæ noſtræ, & Regi ac Regno providemus* „ *conſultum.*

6. RESP. Prædeceſſores Ludovici Pii ſibi ipſi vitio verterant, quòd poſſeſſionum Eccleſiaſticarum fructus uſurpâſſent vacante Epiſcopatu Remenſi: cur *delicatiſſimæ conſcientiæ Princeps* Ludovicus Pius id ipſis non vitio verterit? Vidimus articulo ſecundo §. 12. Carolum Calvum, cujus non ita delicata erat conſcientia, ſe ipſum accuſantem, quòd *res ex Epiſcopatu Remenſi magnâ neceſſitate, & per omnia invitus, dum à Paſtore Sedes illa ſancta vacaret, Fidelibus ſuis ad tempus, unde quoddam temporale ſolatium in ſuo haberent ſervitio, commendâſſet.* At, inquiet P. Alexander, *legitimum poſſeſſionum Eccleſiaſticarum uſum-fructum vacante Epiſcopatu ratione feudorum, ſeu Juris Regaliæ Prædeceſſoribus ſuis vitio non vertit.* Futilis eſt petitio principii. Negatur enim ſub ſecundâ Regum Dynaſtiâ Regaliam in uſu fuiſſe. Negatur, Reges fructus Eccleſiarum vacantium prætextu feudorum ſuos feciſſe. Id ergo Autor ſupponit quod ſibi probandum incumberet.

7. At ſaltem *feuda Eccleſiis à Regibus collata, conſuetis erga ipſorum Majeſtatem ſervitiis obnoxia eſſe, hoc ipſo Diplomate Ludovicus Pius declaravit: & Beneficia ex rebus Eccleſiaſticis concedi à Regibus graviſſimis de cauſis, ob Reipublicæ ac Eccleſiæ, quæ in ipſâ eſt, neceſſariam defenſionem, vel utilitatem, potuiſ-*

potuiſſe. Conſtat quidem ex hoc teſtimonio, Reges aliquid ex bonis Eccleſiaſticis exegiſſe: quid autem, ac quo titulo, non apparet. Factum id fuiſſe aliquandò prætextu neceſſitatum Regni, nec tamen omni culpâ vacâſſe, oſtendunt verba Caroli Calvi relata loco ſuprà citato: *Si illa*, inquit, *quæ quâcumque neceſſitate corrupta ſunt Regiâ noſtrâ autoritate corrigimus, & in melius commutamus, ſaluti noſtræ conſulimus*, &c. Aliquandò autem bona ſervitiis obnoxia collata fuerant à privatis perſonis, atque adeò ad Eccleſias cum ſuo onere tranſierant. Siquandò etiam Principes aliquid in ſuis donationibus ſibi reſervârant, ingrati animi fuiſſet, id libenter non exolvere. Perperàm autem ex eo quòd Eccleſia bona temporalia poſſideret, aut etiam Reges eâ occaſione aliquid ab Eccleſiâ recepiſſe legantur, concludit Diſſertator omnia feudalia fuiſſe, ac ubique ex legibus feudorum univerſos Eccleſiarum vacantium reditus, & Beneficiorum collationem pleno Jure ad Reges ſpectaſſe. Aliud demonſtrant ratio & autoritas. *Art.* 3. §. 13.

8. Atque ut in illâ ipſâ Eccleſiâ Remenſi, pro quâ factum fuit Ludovici Pii diploma, exemplum demus, referendum eſt Flodoardi teſtimonium, ex quo conſtat, quanta fuerit illius Eccleſiæ libertas, antequàm, Sancto Rigoberto Archiepiſcopo ab illâ per Carolum Martellum Ludovici Pii Proavum expulſo, in miſerabilem calamitatem incidiſſet. Sic igitur Flodoardus de Sancto Rigoberto ſcribit lib. 2. Hiſt. Rem. cap. 11. *A Dagoberto denique Rege Præceptum immunitatis ſuæ obtinuit Eccleſiæ; ſuggerens eidem Regi, qualiter ipſa Eccleſia ſub præcedentibus Francorum Regibus, à tempore Domni Remigii, & Clodovei Regis, quem ipſe baptizavit, ab omni functionum publicarum jugo liberrima ſemper extiterit. Qui præfatus*

Art.3. *ſatus Rex hoc Beneficium confirmare vel innovare diſponens, cum*
§. 13. *conſilio Procerum ſuorum ſtatuit, ad Prædeceſſorum formam Regum præcipiens, ut omnes ipſius Sanctæ Dei Eccleſiæ res, tam in Campaniâ, & infrà Urbem vel ſuburbanis, quàm in Auſtraſiâ, ſeu Neuſtriâ, & Burgundiâ, ſeu partibus Maſſiliæ: in Rodonico etiam, Gavallitano, Arvernico, Turonico, ſeu Pictavico, Lemovicino, vel ubicumque infra Regna ejus ipſa Remenſis Eccleſia, vel Baſilica Beatiſſimi Remigii Villas aut homines habere videbatur, ſub integrâ immunitate omni tempore poſſent manere. Sic quoque ut nullus Judex publicus in ipſas terras auderet ingredi, ut manſiones intrando faceret, aut quælibet Judicia, vel Xenia ibidem exigere ullatenùs præſumeret: ſed quodcumque à Prædeceſſoribus ſuis Regibus Eccleſiæ Remenſi vel Baſilicæ Sancti Remigii fuerat conceſſum, cunctis diebus, eadem Eccleſia valeret habere conſervatum. Sed & à filic ipſius ſuper hujuſce auctoritatis corroboratione, & à cæteris ſui temporis Regibus immunitatis ac teloneorum remiſſionis præcepta Eccleſiæ ſuæ obtinuit permanere. Item Theodorici Regis ſpecialiter pro Villa Calmiciaco, quam Grimoaldus Vir illuſtris Eccleſiæ Remenſi contulerat. Quarum adhuc Regalium monimenta præceptionum in Archivo Sanctæ hujus Remenſis ſervantur Eccleſiæ.*

9. DISSERT. „ Accedit, quòd Epiſcopatuum Inveſtituras Ludovicus Pius concederet, & Epiſcopis electis vel à ſe deſignatis bona Eccleſiaſtica traderet. Porro tradere illa non poterat, niſi in ſuâ poteſtate, & ſub manu ſuâ illa haberet. Neque novi Epiſcopi jus ac facultatem percipiendi & adminiſtrandi reditus Eccleſiaſticos habebant, antequàm Inveſtituram à Regibus accepiſſent. Fruebantur enim vi traditionis ſibi factæ à ſupremo feudorum Domino, ſcilicet Re-

„ Rege. Quòd verò Jus Inveſtituræ exerceret Ludovicus Pius, *Art.3.*
„ & Epiſcopos ac Abbates vacantibus Eccleſiis daret, coope- §.13.
„ rando electionibus, conſtat ex Concilio Pariſienſi VI. par-
„ te 3. cap.22. Ubi Gallicani Præſules ſic ejus Majeſtatem ad-
„ monent: *Magnitudini veſtræ ſuppliciter ſuggerimus, ut dein-*
„ *ceps in bonis Paſtoribus Rectoribuſque in Eccleſiis Dei conſti-*
„ *tuendis magnum ſtudium atque ſolertiſſimam adhibeatis cu-*
„ *ram, &c.* Ipſe Ludovicus Pius Imperator in Capitulari 2.
„ C.8. *Abbatibus quoque & Laïcis ſpecialiter jubemus, ut in*
„ *Monaſteriis, quæ ex noſtrâ largitate habent, Epiſcoporum con-*
„ *ſilio & documento ea quæ ad Religionem Canonicorum, Mona-*
„ *chorum, Sanctimonialium pertinent, peragant.*

10. RESP. Allatum eſt §. præcedenti Capitulum Caroli Magni, à Ludovico Pio confirmatum pro libertate electionum, quod Canonibus maximè conſentaneum eſt. Si quid illi Principes contra tam ſanctam, tamque juſtam diſciplinam fecerunt, lege potius quàm exemplo judicandum eſt. Ea eſt infirmitas hominum etiam piorum, ut quæ juſta cognoverint, imò ſolemniter declararint; non ſemper ad amuſſim exequantur. Peccâſſe autem & in hâc materiâ Ludovicum Pium, tum aliundè colligitur, tum ex ipſomet Concilio Pariſienſi capite ſequenti, ſcilicet vigeſimo tertio tertiæ partis, quod ſic incipit: *Similiter depoſcimus, ut in Abbatiſſis conſtituendis veſtrum ſpecialiter caveatis periculum, ſicut vobis ſæpè eſt admonitum, & per divinam Auctoritatem crebricis manifeſtatum.* Sed illud ipſum, quod enuntiatur in Capitulo à Patre Alexandro relato ex ſecundo libro Capitularium, poteſtne illi probari, & Canonicum videri, quòd ſcilicet Ludovicus Pius Monaſteria Laïcis contulerit; *Et Laïcis ſpecialiter jubemus, ut in Monaſteriis, quæ ex noſtrâ largitate habent* &c? An ex his verbis colligen-

dum

Art.3. dum erit, Regem Chriſtianiſſimum Jure Regaliæ poſſe omnia
§. 13. Fratrum Prædicatorum Monaſteria Laïcis conferre?

11. DISSERT. „ Jus Inveſtituræ à Carolo Magno ad „ Ludovicum ejus filium ac ſucceſſorem transmiſſum, conſtat „ ex Cap. *Hadrianus*, & ex Cap. *In Synodo*. Diſt. 63. quamvis „ falſum ſit, quòd Hadrianus I. id Juris Carolo Magno con- „ ceſſerit, & fictitia ſit Romana illa Synodus in quâ conceſſum „ ſupponitur.

12. RESP. Egregia probandi ratio! Synodum Romanam, in quâ ſupponitur editum Caput *Hadrianus*, fictitiam fatetur, & tamen hinc deſumit teſtimonium ad probandum uſum Inveſtiturarum.

13. Sed ut fictitia eſt illa Synodus Romana, cui tribuitur Caput *Hadrianus*, quod eſt 22. diſtinctionis 63. ita veriſſima eſt Synodus octava generalis, & veriſſimè condidit Canonem relatum in Cap. (ſiquidem per capita citandum eſt Gratiani Decretum) *Hadrianus*, quod eſt ſecundum ejuſdem diſtinctionis 63. ac in quo Laïci etiam Principes arcentur ab Epiſcoporum electionibus. Hæc enim ſunt verba Canonis vigeſimi ſecundi octavæ Synodi, in eo Capite contenti: *Promotiones atque conſecrationes Epiſcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, ac decreto Epiſcoporum Collegii fieri ſancta hæc & univerſalis Synodus definit & ſtatuit; atque jure promulgat, neminem Laïcorum Principum vel Potentum ſemet inſerere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confuſio, vel contentio, præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemquam poteſtaticorum vel cæterorum Laïcorum habere conveniat.* &c. Vide Canonem 12. ejuſdem Concilii. Ex hujuſmodi Regulis, non ex Canonibus fictitiis, aut ex

Ve-

Verorum Canonum violatione in cauſis Eccleſiaſticis ferendum eſt judicium. *Art.*3. §. 13.

14. Non minùs abſurdè adducitur à Patre Alexandro Canon *in Synodo*; ſiquidem Leonem VIII. à quo editus eſt, Antipapam fuiſſe non ſemel declarat ad ſæculum X. Tom. 1. Art. 21. *Confeſtim*, inquit, *Leo Romanæ Eccleſiæ protos criminarius, adhuc Laïcus, ut Sigebertus ſcribit, Pontifex, ſeu potiùs Antipapa electus & conſecratus eſt. Hæc acta anno Chriſti 963. poſt duos menſes à Romanis pulſus eſt* LEO ANTIPAPA. . . . . . . *damnatus* LEO ANTIPAPA &c. En præclara Juris Regaliæ fundamenta, Canones ſuppoſititii, aut à Pſeudopontificibus conditi. Mitto quòd, etiamſi Leo legitimus Pontifex extitiſſet, Canonem etiam *in Synodo* fictitium eſſe contendit Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad annum 774. & ad annum 964. Mitto, quòd non in favorem Regum Franciæ, ſed Othonis, à quo promotus fuerat Leo, & in favorem ejus Succeſſorum in Regno Italiæ, Privilegium conceſſum ſupponitur.

15. DISSERT. „Jus enim eſt Monarchiæ Chriſtianiſſi-„mæ coævum, Coronæ Regum noſtrorum flos pulcherrimus „& nunquam marceſcens, quo à Clodovei temporibus exor-„nata ſplendeſcit.

16. RESP. Undè acceſſit Monarchiæ Franciæ, dum Chriſtiana facta eſt, Jus illud conferendorum Epiſcopatuum, & Monaſteriorum, vel ſaltem concedendæ illorum Inveſtituræ? Nam ipſi Monarchiæ coævum non eſt, ſed ipſi, ut Chriſtianiſſimæ, atque, ut Scholaſtici loquuntur, reduplicativè: quandoquidem Corona Regum Francorum Flore illo pulcherrimo & nunquam marceſcente, non niſi à Clodovei temporibus exornata ſplendeſcere dicitur.

*Art.*3. §.13. 17. An, dum Clodoveus Eccleſiæ filius per Baptiſmum factus eſt, tantam in eam adeptus eſt autoritatem, ut vel ab ipſo, vel ex ejus Imperio Paſtores omnes in eâ conſtituendi eſſent? An Eccleſiis tot tamque pretioſa bona contulit, ut ſuâ libertate jus tam eximium ſibi comparârit? An præter ipſum nemo dotavit Eccleſias? An decimæ, oblationes, & ſimiles reditus, Clodovei dona ſunt.

18. Ubinam legit Diſſertator Clodoveum Inveſtituram Epiſcopatuum vel Abbatiarum conceſſiſſe? Nuſquam certè reperit, ipſum Epiſcoporum, multò minùs Abbatum electioni ſeſe immiſcuiſſe: cùm tamen ex quo Sacramento Baptiſmatis initiatus eſt uſque ad ejus obitum, vacârint ſine dubio plures Eccleſiæ, quandoquidem intervallum fuit annorum adminus quindecim. Vide Art. 2. §. 1.

19. DISSERT. „Idem confirmatur ex Cap. *Reatina*, „eâdem Diſt. Quo Leo IV. Lotharium & Ludovicum Imperatores orat ut Reatinam Eccleſiam Colono Diacono ad regendum concedant. *Veſtram*, inquit, *Manſuetudinem deprecamur, quatenùs Colono humili Diacono eamdem Eccleſiam ad regendum concedere dignemini, ut veſtrâ licentiâ acceptâ, ibidem eum, Deo adjuvante, conſecrare valeamus Epiſcopum. Sin autem in prædictâ Eccleſiâ nolueritis ut præficiatur Epiſcopus, Tuſculanam Eccleſiam, quæ viduata exiſtit, illi veſtra Serenitas dignetur concedere.* Alii etiam Pontifices à „Regibus Chriſtianiſſimis ſecundæ Stirpis Epiſcopatus poſtulârunt. Joannes VIII. Epiſcopatum Vercellenſem à Carolomanno Rege Italiæ petiit pro Goſperto Diacono, ejuſque „petitioni annuiſſe Carolomannum conſtat ex Epiſt. 221. „ejuſdem Pontificis datâ ad Carolum Regem. Sed ex Epiſtolâ præcipuè ſequenti colligitur Principum auctoritas in

dandis

„ dandis per ea tempora Epiſcopatuum Inveſtituris, adeòque *Art.*3.
„ & Regaliæ Jus, ne tunc quidem novum, ſed à Prædeceſſo- §. 13.
„ ribus Regibus acceptum. Sic enim ſcribit Pontifex ad Cle-
„ rum &Populum Vercellenſem: *Omnium veſtrûm cognoſcat*
„ *ſagacitas & laudanda fidelitas, quoniam dilectus ac Spiri-*
„ *tualis filius noſter Carolomannus glorioſus Rex iſtius Italici*
„ *Regni ipſum Vercellenſem Epiſcopatum* MORE PRÆDE-
„ CESSORUM SUORUM REGNUM, ET IMPERA-
„ TORUM, *conceſſit huic Gonſperto Viro Nobiliſſimo.* Cùm
„ itaque Inveſtitura ſit eadem Juri Regaliæ: cùmque Jus Re-
„ galiæ in feudorum conditione ſit fundatum; ſequitur Chri-
„ ſtianiſſimos ſecundæ Dynaſtiæ Reges Regaliæ Jus exercuiſſe
„ in Eccleſiis omnibus ditionum ſuarum, quæ feuda poſſide-
„ bant ipſorum, aut Prædeceſſorum Regum munificentiâ, &
„ quarum Inveſtituram concedebant.

20. RESP. Alios vellem mihi produci teſtes veritatis hujus Capitis. *Reatina*, ultra Gratianum, qui multos, ut nemini erudito ignotum eſt, ſuppoſititios, atque apocryphos Canones ſuo Decreto inſeruit. Nam cùm Epiſtola illa Leonis IV. ex quâ hoc Caput deſumptum dicitur, inter alias ejuſdem Pontificis Epiſtolas non extet, parva eſt ejus fides. Sed & ſi vera eſſet, quid aliud probaret, quàm coactos aliquando Pontifices Principum aſſenſum poſtulare? Sed libertatem Eccleſiæ, quantum per tempora licuit, ſacris Canonibus vindicatam, dubitare non ſinit ſuprà exſcriptus Canon Concilii Generalis octavi, aliquot poſt annos celebrati.

21. Epiſtola Joannis VIII. 187. (Nam 221. quam citat P. Alexander hâc de re verbum nullum facit) probat, poſtulâſſe hunc Pontificem aſſenſum Carolomanni pro conſtitutione Epiſcopi Vercellenſis, non autem Principem illum Jure

*Art.*3. Regio Epiſcopum conſtituiſſe. Id adhuc apertiùs declaratur §. 13. Epiſt. 171. quæ eſt ejuſdem argumenti, ubi refertur, Clerum & populum ad electionem proceſſiſſe; ſed quia eligentium vota diviſa fuerant, Papam, ut diſcordias ſopiret, ſuâ uſum autoritate, miſiſſe Diaconum, qui, cæteris excluſis, præficeretur; eamque autoritatem aſſerit ſummo Pontifici competere jure ſui Primatûs. *Quia*, inquit, *juxta noſtri Miniſterii Apoſtolicum officium & ſolicitudinem omnium Eccleſiarum Dei, nobis in ipſo Apoſtolorum Principe commiſſam, juxta Canonicam etiam Sanctorum Patrum Regulam dicentem : Si diviſio Clericorum, vel populi extiterit, & de futuri electione Pontificis contentio fuerit oborta, nullum ex his duobus in throno Epiſcopali eſſe aliquatenùs conſecrandum, ſed alterius electionem fieri debere Sacerdotis Eccleſiæ propriæ deſtitutæ Rectore, & ob id perturbatæ, jura pacis ferentes ſubvenire debemus.* Rogat quidem deinde Carolomannum, ut Epiſcopatum Diacono à ſe miſſo tribuat. Sed hoc nihil aliud eſt, quàm ut eum collatâ dignitate frui ſinat. Hanc enim Principes in Eccleſias ſervitutem inducere conabantur contra Canonicam ipſarum libertatem, ut non niſi ipſis permittentibus Epiſcopi Eccleſiarum ſuarum bonis fruerentur : eique neceſſitati aliquando ſerviendum erat ; ſed ubi facultas dabatur, aut cùm nimius erat abuſus, Pontifices obſiſtebant. Ita ipſemet Joannes Epiſt. 110. ſcribit Theodorico Biſuntienſi Archiepiſcopo, ne *ex juſſu Regis* Lauſanenſi Eccleſiæ præficiat Epiſcopum, donec ipſe negotium electionis diſcuſſerit. *Unde monemus per Deum Patrem & Filium & Sanctum Spiritum obteſtamur, Apoſtolicâque auctoritate expreſſè jubemus, & interdicimus, ut quoad ad commune eloquium noſtrum pervenias, ibi Epiſcopum* NEQUE JUSSU REGIS *neque ex petitu plebis conſecrare præſumas,*

quæ-

quatenùs, cùm unà allocuti fuerimus, auxiliante Deo, cum communi conſulto, QUEM UTILIOREM PRÆVIDERIMUS, CONSECRARE PERMITTAMUS DE MORE. Art. 3. §. 13.

22. Quemadmodum autem dubias electiones etiam jubente Rege ſuum effectum conſequi non patiebatur Joannes VIII. ita certas & Canonicas fructu ſuo fruſtrari non ſinebat: quod teſtatur ejus Epiſtola 245. quæ eſt ad Carolum Craſſum Carolomanni fratrem, in quâ clariùs indicat, ſe propter neceſſitatem à Principibus impoſitam, non verò ratione alicujus Juris ipſis competentis, ad Principes recurrere. *Omnium*, inquit, *Eccleſiarum Dei curam habemus commiſſam* . . . . *His Apoſtolatûs noſtri literis Excellentiæ veſtræ ſuggerimus, ut eum* (Hieronymum) *pro amore Dei, & Sancti Petri, & noſtro, & benignè recipiatis, & jam dictum Epiſcopatum Lauſanenſem ſibi divinitùs conceſſum, noſtrâque Apoſtolicâ etiam auctoritate commiſſum, ſub omni integritate recipere habereque ſecuriter permittatis, ne ampliùs eadem* Eccleſia, *contra ſtatuta Patrum, ſine proprio Rectore conſiſtat. Nam regulariter illum electum, & proprio Archiepiſcopo cauſſâ infirmitatis præbente conſenſum, & Epiſcopos Conſecratores illius literis, quas nobis oſtendit, rogante, conſecratum fuiſſe jam dictæ Eccleſiæ Epiſcopum, incunctanter agnoſcimus. Et idcirco volumus & rogamus ut abſque temporis protelatione, vel aliquâ contradictione, ſuum, ut diximus, Epiſcopatum habeat, teneat, atque cum Dei reverentiâ diſponat:* QUONIAM NOS IN ALTERIUS HOMINIS ELECTIONE, VEL CONSECRATIONE, ISTO VIVENTE, CONSENTIRE NULLO MODO PATIEMUR.

23. At, inquies, quod Joannes petit, ut Rex Epiſcopa-

Art. 4. §. 1. tum tribuat, ſaltem bonorum temporalium Inveſtituram à Principe dari ſolitam innuit? Nondum inductus fuiſſe videtur Epiſcopos Vaſſallorum more inveſtiendi uſus, ut id ſignificari potuerit verbis illis, *Epiſcopatum tribuatis*. Germanus illorum ſenſus his verbis numero præcedenti relatis exprimitur; *Recipere, habereque ſecuriter permittatis*, id eſt, quo minùs jure ſuo utatur, per vim, ne impediatis.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrum Jus Regaliæ in totâ amplitudine ſuâ, quatenùs ſcilicet uſum-fructum redituum Eccleſiæ vacantis, & Beneficiorum Collationem complectitur, Reges tertiæ Dynaſtiæ Chriſtianiſſimi ante Concilium Lugdunenſe exercuerint, illudque agnoverit & approbaverit Eccleſia?

§. PRIMUS.

An Jus Regaliæ ab Inveſtituris differat.

1. DISSERT. „ Jus Regaliæ ab Inveſtituris, aliisque feudorum Juribus longè differre nuperus Regiorum Jurium Impugnator, Tractatûs de *Regalià* lib. 1. cap. 2. tribus ratiunculis probare conatur, ita levibus, ut reſponſione penè ſint, indignæ. 1. Quòd „ Principes Inveſtituram conferentes *nihil ſpiritale ſe dare* intenderent: Nunc autem Rex pleno jure Beneficia & Dignitates

„ tates Eccleſiaſticas, quarum functiones omnes ſpirituales *Art.*4.
„ ſunt, conferat. 2. Quòd Principes novis Epiſcopis Inveſti- §. 1.
„ turam duntaxat concederent: Nunc autem Rex hujuſmodi
„ fructus ac reditus velut ſuos donet. 3. Quòd Inveſtituræ fie-
„ rent duntaxat ratione feudorum: Rex autem vi Regaliæ cæ-
„ terorum etiam redituum Eccleſiaſticorum fructus, imò &
„ decimarum ſibi vendicet, omniaque Beneficia & Dignitates
„ Eccleſiaſticas, curam animarum annexam non habentes,
„ quæ apertâ Regaliâ vacaverint, conferat. Has autem ra-
„ tiunculas facilè exſufflamus.

2. RESP. Rationes illæ adeò ſolidæ ſunt, ut neſciam an abſque arrogantiâ poſſint leves ac reſponſione indignæ judicari. Potuiſſet Autor Tractatûs *de Regaliâ* alias aſſignare differentias inter Regaliam & Inveſtituram. Ecquis enim unquam Inveſtituram definivit ut Diſſertator noſter Articulo primo Regaliam deſcripſit: *Jus Regium fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, & conferendi Beneficia curam animarum non habentia, quæ ab Epiſcopo conferri ſolent, donec novus Epiſcopus Juramentum fidelitatis Regi præſtiterit, Inveſtituram Bonorum Eccleſiaſticorum ab ejus Majeſtate acceperit* &c? Nonne hæc ipſa definitio Regaliam ab Inveſtiturâ differre declarat; cùm Inveſtitura in eâ ponatur tanquam terminus quo deſinat Regalia; *donec Inveſtituram acceperit?* Quamcumque Inveſtituræ definitionem effingat P. Alexander, niſi fortè vocum ſignificationem communiter receptam velit immutare, Juris ſcientiâ vel mediocriter imbutis probabile nunquam efficiet, Inveſtituram eſſe *Jus Regium fruendi reditibus Eccleſiæ vacantis, & conferendi Beneficia* &c. Inveſtit Dominus, cùm in novum Vaſſallum feudum transfert, ſeu illum in defuncti ſeu aliàs feudo privati Vaſſalli locum admittit; uno verbo, cùm eum feudo quaſi veſtit.

*Art.*3. ſtit. Rex verò Regaliâ fruitur per id tantùm tempus, quo va-
§. 13. cat Eccleſia, vel vacare cenſetur defectu Epiſcopi à Rege de feudis inveſtiti. Sed audiendus eſt Diſſertator qui Tractatûs Appamienſis rationes ſe tam facilè exſufflaturum autumat.

3. DISSERT. „ Ad primam reſpondemus, quòd Re„ges Chriſtianiſſimi Beneficia conferentes Jure Regaliæ, nihil „ ſpirituale dare intendunt, ſed ſolùm aliquid quod rebus ſpi„ritualibus connexum eſt per *antecedentiam*, ut Joannes Pari„ſienſis ait, quod Articulo 6. explicabimus. Nam Beneficia „ duntaxat ſimplicia conferunt, quæ in primâ ſui inſtitutione „ nihil aliud erant, quàm portiones quædam ex bonorum „ Eccleſiis à Regibus aliiſve Fidelibus collatorum copore deli„batæ, & Clericis ad uſum-fructum conceſſæ. Quod ergo „ de Inveſtiturâ dixit Goffridus Vindocinenſis, aliam eſſe In„veſtituram *quæ Epiſcopum perficit*, aliam, *quæ Epiſcopum* „ *paſcit*; idem de collatione Beneficiorum dixerim. Collatio „ Beneficiorum, quibus Juriſdictio Spiritualis annexa eſt & „ animarum cura, Clericum perficit: ideò ad Principes Re„galiæ Jure non ſpectat; quia *divino Jure habetur.* Miſſio „ enim ad functiones hujuſmodi obeundas neceſſaria eſt, quam „ ſoli Eccleſiæ majores Prælati, ſcilicet ſummus Pontifex & „ Epiſcopi concedere poſſunt. Collatio Beneficiorum quibus „ nulla Juriſdictio, nulla animarum cura annexa eſt, Cleri„cum paſcit, & ex *Jure humano* habetur: Unde non repu„gnat qnod Regii ſit Juris. *Non enim poſſeſſiones haberet Eccle„ſia, niſi à Regibus donarentur, & ab ipſis, non quidem Divi„nis Sacramentis, ſed poſſeſſionibus terrenis inveſtirentur.* De„nique poteſtatem functiones ſpirituales exercendi, nimirum „ operandi ſacris, Reges dare non intendunt, quam ab Epi„ſcopo in ordinatione ſuâ Presbyteri, cæterique Clerici acci-

piunt:

„ piunt: ſed deputationem duntaxat ad functiones Ordinum *Art*.4.
„ ſuorum in hâc Eccleſiâ obeundas recipiunt à Regibus ipſis §. 1.
„ Beneficia conferentibus, non per ſe, ſed conſequenter.
„ Quia ex eo quòd ipſis ſtipendia ex iſtius Eccleſiæ bonis præ-
„ beantur, unde & *Præbendæ* nomen, reſultat obligatio in illâ
„ Eccleſiâ Deo militandi, & Sacris operandi.

4. Resp. Si *Reges Chriſtianiſſimi Beneficia conferentes Jure Regaliæ nihil Spirituale dare intendunt*: cur Officiales Regii Canonicos Eccleſiæ Appamienſis partim carceribus concluſerunt, partim in exilium amandârunt? Illi enim jacturam bonorum ſuorum temporalium ſibi ab extraneis prætextu Regaliæ ereptorum cum gaudio ſuſtinebant, imò Eccleſiam & ſacram ſuppellectilem invadentibus non obſtiterant. Id unum dumtaxat poſtulabant, ne contra ſuam conſcientiam ad Divina Officia, quæ in ſemirutâ Eccleſiolâ celebrabant admittere cogerentur Clericos in Beneficia titulo Regaliæ abſque ullâ Canonicâ inſtitutione intruſos, eâque de cauſâ publicè excommunicatos; aut cum illis in Eccleſiâ Cathedrali Divinis Officiis intereſſe. An non Jus aliquod circa ſacras illas functiones à Rege Chriſtianiſſimo collatum fuiſſe credebant Officiales Regii, qui tam acerbè perſequebantur Canonicos renuentes Jus illud agnoſcere?

5. Triſtitiam rei lenitate verbi mitigare videtur Diſſertator, dum notat, quòd Reges Chriſtianiſſimi *Beneficia dumtaxat ſimplicia conferunt*. Hoc enim nomine plerumque hodie intelligitur genus quoddam Beneficiorum, quæ reſidentiam non poſtulant, nec certas aliquas functiones publicas habent (licet omni onere ſpirituali carere non debeant) cujuſmodi ſunt nonnullæ Abbatiæ, vel Prioratus abſque Monaſteriis, puta temporum injuriâ diſſipatis, & certæ Paro-

Art. 4. §. 1. chiæ à Parochiahis deſertæ. Minus damni pateretur Eccleſia, ejuſmodi Beneficiorum collatione ſpoliata. At gravi vulnere afficitur, cum Clerici ad munia & officia Eccleſiaſtica collatione Beneficiorum, deputantur à Laïcis.

6. Excipit quidem P. Alexander à Regaliâ Beneficia, *quibus Juriſdictio Spiritualis annexa eſt & animarum Cura*, quia *Miſſio ad functiones hujuſmodi obeundas neceſſaria eſt*. Sed hâc exceptione fateri cogitur, uſque ad annum 1682. quotquot Clerici Archidiaconatus, Præpoſituras, Præbendas Theologales, & ſimilia Beneficia Juriſdictionem ſpiritualem vel aliquam animarum curam habentia titulo Regaliæ obtinuerunt; intruſos fuiſſe, cùm Miſſionem non niſi à Regibus Chriſtianiſſimis acceperint.

5. Sanè quædam ſunt Beneficia, quæ licet curam Animarum habere non dicantur, Juriſdictione tamen ſpirituali prædita ſunt; atque adeò, etiam ex Patre Alexandro, ſunt quid ſpirituale, & juxta ejus Theologiam *Clericum perficiunt*: licèt juxta cæteros omnes Theologos non Juriſdictio ſpiritualis aut animarum cura, ſed vel Tonſura vel Ordinatio *Clericum perficiat*. Archidiaconi, Præpoſiti, & alii variè ſecundum varios Eccleſiarum uſus vocati, facultatem habent viſitandi, excommunicandi, & aliis cenſuris utendi, vel ab iis abſolvendi, & alia ſimilia præſtandi, quæ certè temporalia dici nequeunt. Hujuſmodi quidem Beneficia Regaliæ ſubtrahere videtur P. Alexander his verbis: *Collatio Beneficiorum quibus Juriſdictio Spiritualis annexa eſt, & animarum Cura, Clericum perficit: ideò ad Principes Regaliæ Jure non ſpectat* &c. Sed hanc confeſſionem tanquam invito ſibi & per vim à veritate extortam revocat, aut corripit Articulo ſexto §. 10. reſponſione quartâ ſub nomine Regii Juris Defenſorum.

rum. Rectène, an ſecùs ibi expendemus. Interim conceſ- *Art.4.*
ſis gaudeamus. §. 1.

6. Beneficiis *quibus Juriſdictio Spiritualis annexa eſt, & animarum Cura*, adjungendæ ſunt Præbendæ, quas Theologales vocant, cùm in illis etiam locum habeat illa ratio: *Miſſio ad functiones hujuſmodi obeundas neceſſaria eſt, quam ſoli Eccleſiæ Majores Prælati, ſcilicet ſummus Pontifex & Epiſcopi concedere poſſunt.* An non Miſſio ad prædicandum verbum Dei requiritur? *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* Rom. 10. vers. 15. Nonne qui Miſſionis illius neceſſitatem negat, Anathemate à Concilio Tridentino percellitur Seſſ. 23. de Sacramento Ordinis Canone ſeptimo?

7. Multa etiam Beneficia, quæ ſimplicia vocantur à P. Alexandro, Juriſdictionem ſpiritualem in aliquibus caſibus obtinent. Canonici verbi gratiâ Eccleſiarum Cathedralium, vacante Sede. Juriſdictionem Epiſcopalem exercent: imò & multa ſunt Capitula, quæ vivente etiam Epiſcopo, Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos Clericos & ſubjectas ſibi Parochias vindicant. Undenam ergo illis poteſtas abſolvendi in utroque foro, vel alia hujusmodi præſtandi? A Jure communi, reſpondebis, juxta quod Capitulum in Juriſdictione ſuccedit Epiſcopo: caſu autem evenit, quòd Capitulum conſtet ex Canonicis à poſtetate ſæculari conſtitutis. Si ita eſt; pari ratione Beneficia curam animarum habentia conferet Rex Chriſtianiſſimus, cùm Jure communi Parochus poſſit Sacramenta miniſtrare, & alia munia Parochorum propria obire, caſu autem fieri dicetur, quòd Rex Parochum conſtituerit; *Quia ex eo quòd ipſi ſtipendia ex iſtius Eccleſiæ bonis præbeantur, reſultet obligatio in Eccleſiâ Deo militandi, & ſacris operandi.* Quanquam Canonici Eccleſiarum, potiſſimum

Art. 4. §. 1. mum Cathedralium, cùm ſint Epiſcopi ſenatus, & ad Officia Divina publicè ſolemniterque celebranda deputati, Miſſione aliquâ Eccleſiaſticâ videntur indigere. Illi ergo deberent à Regalia penitùs eximi, ſicut alii omnes Juriſdictionem ſpiritualem & curam animarum habentes.

8. Denique quidquid dixerit Joannes Pariſienſis, ejuſdem cum Patre Alexandro inſtituti, ejuſdemque erga curiam Regiam affectûs, nullum eſt Beneficium quantumvis ſimplex, cujus præcipua pars non ſit ſpiritualis. Nunc enim, ut fatetur etiam Pater Alexander, Beneficia ejuſdem rationis non ſunt, cujus fuerunt in primâ ſuâ inſtitutione, ſeu potiùs in ſuis præambulis. Tunc, ut teſtatur Sanctus Symmachus in Epiſtolâ quintâ, quæ eſt ad Sanctum Cæſarium, & Concilium Agathenſe Can. 7. dabantur aliqua bona immobilia Clericis, quia de Eccleſiâ benemeriti fuerant, vel Monaſteriis aut Peregrinis titulo eleëmoſynæ. Et licèt illa Beneficia propriè non eſſent, prout hoc nomen nunc ſumitur; tamen quia hinc Beneficia originem duxiſſe creduntur, multi Juris Canonici periti ab eo quod in Beneficiis temporale eſt, Beneficia nuncupata fuiſſe volunt. Verùm hodiè præſtantior digniorque Beneficii pars eſt functio illa ſpiritualis, quæ Beneficiario imponitur: reditus autem temporalis eſt illius Acceſſorium, quippè cùm Clerico ideò tantùm detur, ut divinis vacans habeat unde congruè ſuſtentetur, nec ab illis diſtrahatur præ victûs ſibi aliunde quærendi ſolicitudine. Quamobrem Canone, *Si quis objecerit*. 1. quæſt. 3. id quod in Beneficio ſpirituale eſt, animæ comparatur; quod autem temporale corpori: & Canoniſtæ communiter Beneficia Eccleſiaſtica eſſe negant, niſi fuerint ab Epiſcopo inſtituta: nec poſſunt Laïci, ut multis Canonibus declaratum eſt, Benefi-

cia

cia propriè dicta conferre, etiamſi Eccleſias dotaverint; ſed *Art.4.*
tantùm ad illa præſentare: niſi fortè majorem aliquibus autoritatem indulſerit Eccleſia ſingulari quodam & extraordinario privilegio. §. 1.

9. Quamvis ergo dum Beneficia *nihil aliud erant quàm portiones quædam ex bonorum Eccleſiis à Regibus aliiſve Fidelibus collatorum corpore delibatæ, & Clericis ad uſum-fructum conceſſæ*: non licuiſſet Principibus bona Deo jam à ſe, vel ab aliis oblata ſine conſenſu Eccleſiæ donare, niſi id Juris ſibi reſervâſſent, ſi tamen id Juris uſurpâſſent, potuiſſent minus abſurdè obtendere, ſe nihil ſpirituale dare; ſiquidem inter illam bonorum portionem, ſeu uſum-fructum & functiones ſpirituales, non tanta erat connexio: verùm cùm Officium ſpirituale hodie potiſſima ſit pars Beneficii, reditus autem pars tantùm quaſi acceſſoria, fieri non poteſt, ut conferatur Beneficium Eccleſiaſticum cujuſcumque rationis ſit, quin aliquid ſpirituale detur. Qui autem ſecùs ſentiunt latiſſimam Simoniæ portam aperiunt. Quiſquis enim Canonicatum aut aliud Beneficium vendet aut emet, excuſabit ſe quòd nihil ſpirituale vendere, aut emere intendat.

10. Reſpondebit P. Alexander, id ex ſuâ ſententiâ non conſequi, quia fatetur, Principes dare *aliquid quod rebus ſpiritualibus connexum eſt per antecedentiam.* Sed ſi ſufficit, (ſufficere autem nec Pater ipſe Alexander negare auſit) quòd Beneficio aliquid ſpirituale ſive per antecedentiam, ſive per conſequentiam annexum ſit, ut vendi abſque Simoniâ nequeat: cur illa connexio non ſufficiet, etiam ut Beneficium à poteſtate ſpirituali conferendum ſit. Poſtulat enim ſpiritualitatis ratio non ſolùm, ut ſpiritualia gratis dentur,

 ſed

Art. 4. §. 1. ſed etiam, ut à diſpenſatoribus à Chriſto conſtitutis diſtribuantur.

11. Adde quòd, ut ſuprà innuimus, in Beneficiis etiam Juriſdictionem ſpiritualem & curam animarum habentibus militaret ratio, quâ P. Alexander collationem aliorum Beneficiorum Regi vendicare conatur: quia nimirum *ex eo quòd ipſis* (Clericis) *ſtipendia ex iſtius Eccleſiæ bonis præbeantur, reſultat obligatio in illâ Eccleſiâ Deo militandi & Sacris operandi.* Vel ergo ad vitandum intruſionis vitium ſatis eſt, ut deputatio ad functiones ſpirituales obeundas detur à Rege conſequenter tantùm; & hoc pacto poterit ſua Majeſtas etiam Beneficia conferre, quibus animarum cura ineſt, quia ſpiritualitas non dabitur, ſed emanabit per reſultantiam; ſiquidem hâc bonorum portione gaudentibus incumbit animarum cura: vel ſufficit ut animarum cura ſit functio ſpiritualis ad hoc, ut etiam per conſequentiam tradi non poſſit abſque autoritate Eccleſiæ; & eâdem ratione, cùm nullum ſit Beneficium, quod non exigat aliquod officium ſpirituale, nullum erit quod abſque interventu Eccleſiæ concedi queat. Quanquam, ſi rectè ac verè loquamur, non functio ſpiritualis, cujuſmodi ſit, ad portionem ſeu uſum-fructum bonorum temporalium, ſed uſus-fructus ad functionem ſpiritualem conſequitur: juxta illud: *Beneficium propter Officium.*

12. Quàm malè Goffridum Vindocinenſem interpretetur Diſſertator, ex comparatione collationis Beneficiorum, quæ fit titulo Regaliæ, cum Inveſtituris, de quibus dicit Goffridus, quòd Epiſcopum paſcunt, manifeſtè cernitur. Tunc enim de feudis tantùm Principes profitebantur ſe inveſtire Epiſcopos; non autem dignitatem Epiſcopalem, ne dum Ordinem, eis conferre. Quamobrem optimè diſtinguit inter Inveſtituram,

quæ

quæ Epiſcopum perficit, quæ ſcilicet confirmatione, ac conſe- *Art.* 4
cratione conſtat, & illam, *quæ Epiſcopum paſcit*, quæ non §. 1.
niſi de reditibus temporalibus poteſt intelligi. Itaque tunc Principes nihil ſpirituale neque per *antecedentiam*, neque per conſequentiam tradebant. At verò Rex Chriſtianiſſimus non ſolùm de bonis temporalibus inveſtit Canonicum : ſed etiam eum Canonicum conſtituit abſque interventu Eccleſiæ.

13. Cæterùm quando Goffridus Inveſtituras conſideravit quatenùs per illas aliquid ſpirituale conferri exiſtimabatur, illas apertè damnavit, ut videre licet præcipuè in Opuſc. 3. ſeu Epiſtolâ ad Calliſtum II. quæ ſic incipit : *Cùm Simonia, & Laïcorum Inveſtitura hæreſis dicatur, quare utraque ſit hæreſis, & merito hæreſis appellari debeat, præſenti brevique ſatis Epiſtolâ monſtrabitur, ne ſuper hoc deinceps dubitetur.* At ſic concluditur; *Vale & Simoniam & Laïcorum Inveſtituram omni occaſione, vel quâlibet diſpenſatione ſepoſitâ, impugnare ſatagite.*

14. Nullum poterat Autorem adducere P. Alexander, qui luculentiùs, ejus adverſus Eccleſiaſticam libertatem machinas diſſolveret, & ſophiſmata in magnâ hujus Articuli parte congeſta enodaret, multòque conſultius ab hoc Autore, & pluribus aliis, utpotè ſibi è regione oppoſitis, citandis abſtinuiſſet. Quatuor docet Goffridus, quæ ſi attentè notentur, quàm pluribus teſtimoniis à Patre Alexandro adductis ſatis erit factum. Sunt autem illa Goffridi effata. Primum Principes in res Eccleſiaſticas nullam habere poteſtatem. Secundum Inveſtituram etiam rerum temporalium Principibus non competere. Tertium nihilominùs quia Inveſtitura illa rerum temporalium non erat de ſe criminoſa, toleratam fuiſſe ab Eccle-

Art. 4. §. 1. Eccleſiâ, majorum malorum vitandorum cauſâ. Quartum Inveſtituram illam plerumque malam evadere propter intentionem Principum, imò aliquando cum hæreſi eſſe conjunctam.

15. Primò, quòd Principes in res Eccleſiaſticas poteſtatem non habeant, explicat his verbis Opuſc. 4. à Patre Alexandro citato: *Non ſit Imperatoribus & Regibus moleſtum quod dicimus, nec conſuetudine ſibi vindicare nitantur, quod eis veritate negatur. Cùm Laïcis, etiam Religioſis, diſponendarum Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum rerum omnis facultas ab Apoſtolis prohibeatur, manifeſtum eſt, quòd eis Inveſtitura negatur ab ipſâ veritate, à Chriſto videlicet qui in Apoſtolis loquebatur.*

16. Secundò, quòd Principibus Inveſtitura rerum, etiam temporalium, non competat, tradit ibidem his verbis. *Res etiam quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, Reges iterum eas dare, vel de ipſis inveſtire, nec debent, nec convenienter poſſunt. Nam alicui dare quod habet, & de hoc inveſtire aliquem, quod ille jam tenet, ſuperfluum eſt & vacuum.*

17. Tertiò, rationem aſſignat in eodem Opuſc. ſeu Cap. Cur Eccleſia Inveſtituram illam toleraverit. *In Eccleſiaſticis poſſeſſionibus*, inquit, *quamvis nec in legibus, nec in Canonibus inveniatur, tamen propter ſcandalum & ſchiſma vitandum, talis Regibus Inveſtitura conceditur, ut nec ipſi propter hoc pereant, nec Sancta Eccleſia detrimentum patiatur.* Id autem ab Eccleſiâ tolerari, ſeu, ut loquitur Goffridus, concedi potuiſſe, colligitur ex eo quòd verbis in præcedenti numero relatis, ſcilicet, *ſuperfluum eſt, & vacuum*, addit; *Non tamen videtur criminoſum.*

18. Quartò, cauſas propter quas Principes Inveſtituras uſurpa-

uſurpabant, non ſine ſalutis ſuæ diſpendio ac hæreſis ſuſpicione, detegit Opuſc. ſeu Cap. 2. ubi inter alia inquit; *Hæc præterea hæreſis de Inveſtiturâ, ſi rectè perſpiciatur, etiam hæreſis Simoniaca eſſe vivâ & verâ ratione probatur. Nam quare ſæcularis poteſtas ſibi vendicare nititur Inveſtituram, niſi ut per hoc aut pecuniam extorqueat, aut, quod eſt gravius, ſibi inordinatè ſubjectam efficiat Pontificis perſonam.* Hactenùs de primâ differentiâ inter Inveſtituras & Regaliam. Circa ſecundam, ex eo petitam, quòd Inveſtitura non complecteretur uſum-fructum bonorum Eccleſiaſticorum, quem continet Regalia, ſic diſputat P. Alexander. *Art.* 4. §. 1.

19. DISSERT. „ Ad ſecundum reſpondeo, Reges novis „ Epiſcopis bonorum Eccleſiaſticorum Inveſtituram dare non „ potuiſſe, niſi ea in ſuâ poteſtate & in manibus ſuis habe„ rent. Quis enim dat quod non habet? Fructus etiam Eccle„ ſiarum vacantium percepiſſe, cùm ut honorarium ratione „ Cuſtodiæ & Defenſionis; tum ut ſervitium ratione Feu„ dorum; quorum ea conditio eſt, ut mortuo Vaſſallo, „ uſus-fructus ſupremum ad Dominum redeat, donec novus „ Vaſſallus fidem & hominium præſtiterit, ac Inveſtituram ab „ ipſo receperit. Has Feudorum Leges cùm agnoſcat nuperus „ Autor quem refellimus, agnoſcere etiam debuit, ſi rectè „ & conſequenter ratiocinatus eſſet, uſum-fructum Feudo„ rum, quæ ex Regum munificentiâ poſſident Eccleſiæ, ad „ eorum pertinere Majeſtatem poſt Epiſcoporum obitum, do„ nec Præſul novus clientelaribus officiis perfunctus fuerit, & „ Inveſtituram acceperit. Id verò & ex iis quæ hucuſque dicta „ ſunt compertum eſt, & iis quæ poſtea dicemus ampliùs con„ firmabitur.

20. RESP. Inveſtitura ſecundùm primariam ſuam inſti-

Art. 4. tutionem non niſi de bonis feudalibus intelligebatur, nec
§. 1. ſemper ſupponebat Dominum Feudi fructus ſuos feciſſe poſt mortem præcedentis Vaſſalli: hæc enim conſuetudo in Provinciis Juris ſcripti nunquam locum habuit, quod etſi ſæpè dictum eſt, dicendum tamen eſt ſæpiùs. Principes autem prætextu feudorum omnia alia bona temporalium Eccleſiarum poſt mortem Epiſcoporum ad ſe deinde receperunt: ſed primùm quidem citra uſum-fructum, deindè verò etiam uſum-fructum ſibi vendicârunt in illis Provinciis, in quibus feuda huic oneri ſubjacebant: poſteà etiam decimas, ac denique Beneficiorum collationem, ex quibus omnibus conflata eſt Regalia, quæ intra eas Provincias hucuſque conſtiterat, in quibus ea viget conſuetudo, ut Dominus mortuo Vaſſallo bonorum feudalium fructus ſuos faciat, vel loco uſus-fructûs certam pecuniam Jure Relevii accipiat. Itane levis eſt hæc ratio, ut facilè à P. Alexandro exſufflari queat?

21. Neque ab Autore Tractatûs Appamienſis Dominis, generatim Jus percipiendi uſum-fructum feudi, mortuo Vaſſallo, eſt attributum; ſed hanc conditionem ſæpiùs feudis, dum hæreditaria eſſe cæperunt, apponi ſolitam dixit. Nuſquàm autem eam legem ad Feudi naturam pertinere, aut ſemper adhibitam fuiſſe agnoſcit. Quin etiam lib. 3. cap. 1. Jus illud in pluribus Galliæ Provinciis generatim locum non habere affirmat, in iis ſcilicet quæ Jure ſcripto reguntur.

22. Erat igitur Patris Alexandri probare, in omnibus Franciæ Provinciis, ac ſpeciatim in illis ad quas novè extenſa eſt Regalia, eam eſſe feudorum legem, ut cùm mortuus eſt Vaſſallus, Dominus fructus bonorum feudalium ſuos faciat, imò & alios reditus Vaſſalli & officia, ſi quæ fortè à Vaſſallo quocumque titulo conferri ſolebant, Dominus conferat. Certè hoc

hoc & à veritate planè alienum eſt, & à juſtitiâ. Fruſtrà verò *Art.4.* P. Alexander, ut hanc injuſtitiam occultet, ad Cuſtodiam *§. 1.* recurrit: cùm agatur hîc de Inveſtiturâ tantùm; quæ, ſaltem ſi legitimè fiat, non niſi feuda attingit; quod erat tertium diſcrimen inter Inveſtituras & Regaliam notatum in Tractatu Appamienſi, de quo diſcrimine ait P. Alexander.

23. DISSERT. „ Ad tertium reſpondeo, Inveſtituras, „ & Regaliam, non in feudorum dumtaxat legibus, verùm „ etiam in Jure Cuſtodiæ & Defenſionis Eccleſiarum, præ„ ſertim vacationis tempore, quo his præſidiis magis indi„ gent, eſſe fundata. Porrò non ſola Feuda, ſed bona etiam „ reliqua, ipſaſque decimas Cuſtodiâ & Defenſione Regali mu„ nitas eſſe oportet ne uſurpentur ac diripiantur.

24. RESP. Theſis ſuæ oblitus eſt P. Alexander. Nam quæritur hîc, utrùm Autor Tractatûs Appamienſis rectè Regaliam ab Inveſtituris diſtinxerit. Fruſtrà igitur ait Diſſertator, *non ſola Feuda, ſed bona etiam reliqua, ipſaſque decimas Cuſtodiâ ac Defenſione Regali munitas eſſe oportere.* Non enim eſt quæſtio, an Cuſtodia, ſed an Inveſtitura reſpiciat; non ſolùm bona feudalia, ſed etiam reliqua, ipſaſque decimas; quod affirmare nimis eſt abſurdum, quàm ut confutari neceſſe ſit.

25. Dum objicietur Diſſertatori, quòd omnes fructus Cuſtodiæ pro Cuſtodiæ ipſius mercede adjudicare iniquum ſit, recurret ad leges Feudorum; ſecundùm quas univerſim ſupponit, ſed falſò, fructus omnes Feudorum poſt mortem Vaſſalli ad Dominum pertinere: dum illas leges ad bona feudalia ſaltem eſſe reſtringendas ipſi opponitur, redit ad Cuſtodiam, ut vitioſo illo circuitu ſententiæ ſuæ injuſtitiam occultet.

Art.4. *§.1.* cultet. Sed remotis ambagibus reſpondeat : An, quia in aliquibus Provinciis, quæ jure conſuetudinario reguntur, bonorum feudalium fructus ad Dominum pertinent, mortuo Vaſſallo, uſque ad Inveſtituram Succeſſoris : ideò Rex mortuo Epiſcopo jure poſſit, non ſolùm bonorum feudalium, quæ in pleriſque Eccleſiis pauciſſima ſunt, ſed etiam aliorum omnium bonorum fructus, ipſaſque decimas, ſuas facere ; idque in illis etiam Provinciis, in quibus Jus Relevii locum non habet ? An quia Rex Eccleſias vacantes protegit, pro illius protectionis mercede meritò ſibi omnes fructus vendicabit ? Certè, quamvis daremus, Eccleſias & Epiſcopos, quoad bona feudalia à Principibus collata, ejusdem eſſe conditionis ac Laïcos ; imò licet concederemus, Jus Relevii, quod uſu-fructui feudorum vacantium ſucceſſit, non ſolùm in Provinciis juris conſuetudinarii, ſed etiam in Provinciis Juris ſcripti (ut vocant) hoc eſt in toto Regno Galliæ, locum habere ; hinc conſequeretur tantùm, poſſe Regem Chriſtianiſſimum, mortuo Epiſcopo, uſque ad Inveſtituram Succeſſoris fructus feudorum à ſuis Prædeceſſoribus datorum, ſuos facere. Aliunde ſi ſupponeremus Regem ex proprio officio, & ex aliis titulis, impedire non teneri ſacrilegam bonorum Eccleſiaſticorum uſurpationem ; ſaltem pro ſuâ protectione nihil exigere poſſet, præter impenſas hâc de cauſâ factas. Regiâ enim Majeſtate indignum eſſet, ut mercenarii more de rebus Deo Sacris mercedem expoſceret. Ac ſi exigeret, merces eſſet æquanda laboribus. Et licèt ambos illos titulos Feudi & Cuſtodiæ conjungas, non efficies, ut univerſi reditus Epiſcopatûs, & Beneficiorum collatio pleno jure ad Regem Chriſtianiſſimum pertineant, ſecluſâ conſuetudine ac reſervatione fundationi appoſitâ. Quid ſi Eccleſiæ in illis conſiſtant

ſtant Provinciis, ubi neque Relevium, neque ſpecialis illa Cuſtodia, quæ Regaliæ anſam præbuit, locum habeant, ut revera non habent in Provinciis de novo Regaliæ ſubjectis? *Art. 4. §. 1.*

26. DISSERT. „ Præterea cùm Patrimonia Epiſcopatûs velut bona nobilia poſſideantur ab Epiſcopo, ut probat „ Cariſiacenſe Capitulare Caroli Calvi anno 870. conditum, „ cap. 8. *In libro*, inquit, *Capitulorum Avi*, *& Patris noſtri* „ *conjunctè ponitur ut res & mancipia Eccleſiarum eo modo contineantur*, *ſicut res ad Fiſcum Dominicum pertinentes contineri* „ *ſolent*: hujuſmodi bona evecta ſunt per conſequentiam ad „ dignitatem feudorum.

27. RESP. Eximius ſanè favor! Quia bona Eccleſiæ bonorum nobilium dignitate prædita ſunt, ideò pejoris eſſe debent conditionis. Heu! Quomodò ratiocinantur Theologi Principibus adverſus Eccleſiam Dei patrocinantes. Reges Chriſtianiſſimi, ut bona Eccleſiæ tutiora eſſent eaque impii contingere magis reformidarent, ſtatuerunt, ut eodem loco haberentur quo res ad Fiſcum Dominicum pertinentes: hinc concludit P. Alexander, hujuſmodi bona evecta eſſe per conſequentiam ad dignitatem feudorum: ut hinc ulteriùs inferat, quòd quemadmodùm in Provinciis, quæ jure conſuetudinario reguntur, olim feudorum uſus-fructus ad Dominos, nunc autem Jus Relevii pertinet, ita univerſorum Eccleſiæ bonorum uſum-fructum mortuo Epiſcopo Reges ſibi in toto Regno jure vindicare poſſint.

28. Mentem Regum, quando bona Eccleſiarum eodem, quo bona Regia, Privilegio gaudere decreverunt, non fuiſſe, ut utrorumque ſimiliter fructus ſibi adſcriberent, ſed ut res Deo conſecratæ non ita facilè uſurparentur, teſtatur ipſummet

 met

Art. 4. met Cariſiacenſe Capitulare Caroli Calvi ab Autore citatum.
§. 1. Nam poſt verba ab eo relata ſequuntur iſta : *Juſtè & rationabiliter de rebus & Mancipiis quæ in Regiâ & in Eccleſiaſticâ veſtiturâ fuerunt, uniformiter, & uno modo tenendum eſt, ut ſicut quæcunque res & Mancipia in Regiâ veſtiturâ Avi, & Patris noſtri fuerunt, & nunc ab aliis detinentur, demonſtretur qualiter de Regiâ veſtiturâ Avi & Patris noſtri, & noſtrâ exierunt, (quia plures inde per mendacium quædam obtinuerunt, & quidam plura per fraudem obtinent) ita & de rebus quæ in Eccleſiaſticarum Veſtiturâ fuerunt, unde quæſtio fuerit, demonſtretur, quâ auctoritate in proprietatem eas quiſque obtineant* &c.

29. DISSERT. „ Denique Eccleſiæ cum decimis & „ oblationibus, Laïcis in feudum datæ fuerant à Pipino, „ Carolo Magno, & Ludovico Pio, cum Eccleſiæ Gallicanæ conſenſu, quæ deinde Eccleſiaſticis Viris conceſſæ ſunt „ ex permiſſu Regum. Ideo ſervitia & debita feudorum hu„ juſcemodi reditibus impoſita, non eſſe omnino extincta vi „ conſenſûs Regii adhibiti liberalitati ſeu æquitati Laïcorum, „ qui ea Eccleſiis reddiderant noſtrates Juriſconſulti exiſtimâ„ runt ; adeòque decimas non ſecùs ac alios reditus, ſub Re„ gis eſſe manu Sede vacante : Qui ipſis uti-frui jure optimo „ poteſt : & Beneficia conferre ſimplicia, quorum Proviſio „ ad Epiſcopum pertinebat : Quia Collatio ad fructus pertinet. „ Firmum itaque ſit ac ratum, Jus Regaliæ non eſſe diverſum „ ab Inveſtituris.

30. RESP. Non minùs abſurda eſt hæc ratiocinatio quàm ſuperior. Notum eſt quanta Eccleſiis damna intulerit Carolus Martellus. Ea pii ejus filii ac poſteri reſarcire pedetentim ſtatuerunt. Sed quia propter ingentia quæ ſuſtinere cogebantur

tur bella, integram reſtitutionem bonorum uſurpatorum *Art.4.*
præſtare non potuerunt, illorum partem aliquam, adhibitis §. 1.
variis temperamentis poſſeſſoribus retineri permiſerunt. Primò; ut ſub precario & cenſu annuo tenerentur: Secundò ut aliquanto dumtaxat tempore: Tertiò, ut ſi moreretur poſſeſſor, ad Eccleſiam reverterentur: Quartò, ut Eccleſiæ vel Monaſteria penuriam paupertatemque non paterentur; ſed eo caſu omnia reſtituerentur. Hæc omnia patent ex cap. 2. Concilii Liptinenſis. *Statuimus quoque*, inquit Carolomannus Martelli filius, *cum conſilio Servorum Dei, & populi Chriſtiani propter imminentia bella & perſecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, ut ſub precario & cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adjutorium exercitûs noſtri cum indulgentiâ Dei aliquanto tempore retineamus, eâ conditione, ut annis ſingulis de unaquâque caſatâ ſolidus, id eſt duodecim denarii ad Eccleſiam vel Monaſterium reddantur: eo modo, ut ſi moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Eccleſia cum propriâ pecuniâ reveſtita ſit. Et iterum, ſi neceſſitas cogat, aut Princeps jubeat precarium revocetur, & reſcribatur novum. Et omnino obſervetur, ut Eccleſiæ & Monaſteria penuriam paupertatemque non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit: & ſi paupertas cogat, Eccleſiæ, vel Domui Dei integra reddatur poſſeſſio.*

31. Notanda ſunt illa verba, *ut ſub precario cum indulgentiâ Dei aliquanto tempore retineamus.* Precariæ formula extat apud Marculfum lib. 2. cap. 5. ex quâ patet, precariam non à Rege, ſed ab Epiſcopo illius Eccleſiæ, ad quam bona ſpectabant, petitam, ab eoque conceſſam olim fuiſſe. Nonne res eſt indigna, ut ex eo quòd Principes Chriſtianiſſimi cum Epiſcoporum conſenſu bona Eccleſiæ cum ſuprà recenſitis con-

Art.4. conditionibus per aliquod tempus in manibus Laïcorum, quorum ope indigebant, reliquerunt, inferatur, illa, dum Eccleſiæ, ad quam pertinebant, à Laïcis reſtituta ſunt; imò decimas ipſas & oblationes huic oneri obnoxias eſſe debere, ut mortuo Epiſcopo ad Regem pertineant?
§. 2.

§. SECUNDUS.

De Inveſtituris Epiſcoporum ſub Regibus tertiæ Dynaſtiæ.

1. DISSERT. „Jus autem Inveſtiturarum Chriſtianiſ„ſimi tertiæ Dynaſtiæ Reges ante Lugdunenſe „Concilium II. contradicente nemine exercue„runt. Franco Pariſienſis Eccleſiæ Decanus, & „Roberti Regis Cancellarius, Azelino ſponte abdicanti in „Pariſienſi Epiſcopatu ſubſtitutus eſt, *eligente Clero ſuffra„gante Populo*, DONO REGIS, &c. ut ſcribit Fulbertus „Carnotenſis Epiſcopus Epiſt.8. Philippus I. eo Jure uteba„tur, nec id Gregorius VII. improbavit, modò gratis do„num Epiſcopatûs ejus Majeſtas concederet; ut conſtat ex „iſtius Pontificis Epiſtolâ ad Roclenum Cabilonenſem Epi„ſcopum trigeſimâ quintâ libri primi. *Hujus*, inquit, *pro„miſſionis fidem in Matiſconenſi Eccleſiâ Paſtoris regimine diu de„ſolatâ volumus experiri, ut ſcilicet Auguſtodinenſem Archidia„conum, unanimi Cleri & Populi conſenſu, ipſius etiam (ut „audivimus) Regis aſſenſu electum*, EPISCOPATUS DONO „*gratis, ut decet, conceſſo, Eccleſiæ præfici patiatur.*

2. RESP. Per vocem, *Donum*, quæ in teſtimoniis hîc exſcriptis, & in pluribus aliis uſurpatur, & per alias ſimiles, intel-

intelligitur libertas à Regibus Epiſcopis relicta juribus ſuis fruendi. Si enim Epiſcopatûs donum acciperetur pro dignitate ac poteſtate Epiſcopali, hæreſis eſſet, Principibus illam conferendi adſcribere facultatem. Si ſumatur pro bonis temporalibus, ad Eccleſiam pertinentibus, docuit §. ſuperiori Goffridus Vindocinenſis, quòd *res, quæ ſemel Eccleſiæ datæ ſunt, Reges iterum eas dare, vel de ipſis inveſtire, nec debent nec convenienter poſſunt*, niſi fortè eam ſibi facultatem in donatione expreſſè vel ſaltem tacitè reſervaverint. Art. 4. §. 2.

3. Libet hîc rurſus animadvertere, cujuſmodi teſtimoniis utatur Autor in defendendo Jure Regaliæ ſeu Inveſtituræ, quod idem ac Regaliam eſſe contendit. An poterat teſtem ſibi magis contrarium producere, quàm Gregorium VII. ob damnatas, ac viriliter impugnatas Inveſtituras celeberrimum? Audi eum in Synodo Romanâ V. celebratâ an. 1078. C. 2. *Quoniam Inveſtituras Eccleſiarum contra ſtatuta Sanctorum Patrum, à Laïcis perſonis in multis partibus cognovimus fieri, & ex eo perturbationes plurimas oriri, ex quibus Religio Chriſtiana conculcatur; decernimus ut nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatûs, Abbatiæ, vel Eccleſiæ, de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicujus Laïcæ perſonæ, viri vel feminæ ſuſcipiat. Quod ſi præſumpſerit, recognoſcat Inveſtituram illam Apoſtolicâ auctoritate irritam eſſe, & ſe uſque ad condignam ſatisfactionem excommunicatum.*

4. Id confirmavit in Concilio Romano VII. an. 1080. C. 1. & C. 2. cujus verba in Principes ipſos diriguntur: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſæcularium poteſtatum, Inveſtituram Epiſcopatuum vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit ejuſdem ſententiæ* (ſcilicet interdicto ab introitu Eccleſiæ) *vinculo ſe obſtrictum eſſe ſciat.*

Art. 4. §. 2. 5. Vides quàm faverit Diſſertatori Sanctus ille Pontifex. Verùmtamen in literis ejus ſub initium Pontificatûs, ſcilicet an. 1074. adverſùs Philippum I. Regem Franciæ, Eccleſias prætextu Inveſtiturarum vendentem ſcriptis, voculas illas *Epiſcopatûs Dono* aucupatus eſt P. Alexander, quaſi per illas Gregorius probaverit, Eccleſias à Regibus donari, modò gratuita eſſet donatio. Peſſimam & communiſſimam conſuetudinem à pleriſque Principibus uſurpatam, non permittendi novis Epiſcopis juribus ſuis uti, niſi acceptâ ab eis pecuniâ, invenit hic Pontifex, ac non ſine multis laboribus & periculis extirpare conatus eſt. Si autem principio ad id, quod deterius erat, animum attentiùs advertenti aliquod verbum excidiſſet, num tanquam definitiva ejus ſententia, eſſet excipiendum? Vult experiri an abſque ſimoniâ Philippus Epiſcopum Matiſconenſi Eccleſiæ præfici permiſſurus ſit; quod his verbis exprimit; *Epiſcopatûs Dono gratis, ut decet, conceſſo, Eccleſiæ præfici patiatur*; quibus verbis etiamſi ſignificata fuiſſet Inveſtitura bonorum temporalium etiam non feudalium: quid inde concludendum eſſet, niſi Gregorium VII. initio ſui Pontificatûs majoribus intentum nonnulla minora diſſimulâſſe, quæ poſtea penitus abolere contendit?

6. DISSERT. Fervente controverſiâ de Inveſtituris, earumque ſolemnitate per baculum & annulum Sedis Apoſtolicæ ac frequentium Synodorum Decretis damnatâ, hominiorum etiam ab Epiſcopis, cæteriſque ſacratis Viris præſtatione pro Eccleſiaſticis Honoribus ſub pœnâ excommunicationis prohibitâ, cùm Henricus Imperator, & Henricus alter Angliæ Rex, & ſolemnis Inveſtituræ morem pertinaciter retinerent, & hominia exigerent, Philippus

„ pus I. Rex Chriſtianiſſimus Sedis Apoſtolicæ ac Synodo- *Art.4.*
„ rum Decretis morem gerens, damnatam Inveſtituræ ſo- §. 2.
„ lemnitatem, hominiique exactionem dimiſit, ſed à Re-
„ galium, ſeu feudorum Inveſtiturâ abſque annuli & Baculi
„ Paſtoralis traditione concedendâ non deſtitit, eorumque ra-
„ tione bona vacantis Epiſcopatûs ſub manu ſuâ tenere & ad-
„ miniſtrare, donec novus Epiſcopus Juramentum fidelita-
„ tis præſtitiſſet. Nec id Summi Pontifices improbârunt,
„ quia ipſum Jure ſuo uti noverant. Id conſtat ex Ivone Car-
„ notenſi Epiſcopo Epiſt. 60. ad Hugonem Lugdunenſem
„ Archiepiſcopum, & Sedis Apoſtolicæ Legatum datâ, de
„ Conſecratione Daimberti Senonenſis Archiepiſcopi. *Poſt*
„ *Canonicam* (inquit) *electionem, Reges ipſos Apoſtolicâ Au-*
„ *ctoritate à conceſſione Epiſcopatuum prohibitos minimè vide-*
„ *mus. Legimus enim ſanctæ recordationis Summos Pontifices*
„ *aliquando apud Reges pro Electis Eccleſiarum, ut eis ab ipſis*
„ *Regibus concederentur Epiſcopatus ad quos electi erant, in-*
„ *terceſſiſſe: Aliquorum, quia conceſſiones Regum nondum con-*
„ *ſecuti fuerant, Conſecrationes diſtuliſſe* . . . . . . *quæ con-*
„ *ceſſio ſive fiat manu, ſive nutu, ſive linguâ, ſive virgâ, quid*
„ *refert? Cùm Reges nihil ſpirituale ſe dare intendant, ſed*
„ *tantùm aut votis petentium annuere, aut Villas Eccleſiaſticas*
„ *& alia bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent*
„ *Eccleſiæ, ipſis Electis concedere.* Tum Regium illud Jus in-
„ ſigni S. Auguſtini teſtimonio confirmat ex Tractatu 6. in
„ Joannem. *Quo Jure* (inquit) *defendis Villas Eccleſiæ, di-*
„ *vino an humano? Divinum Jus in ſcripturis habemus, huma-*
„ *num in Legibus Regum. Unde quiſque poſſidet quod poſſidet,*
„ *nonne Jure humano? Nam Jure Divino, Domini eſt terra &*
„ *plenitudo ejus. Jure humano dicitur, hæc Villa mea eſt,*

Art. 4. „ *hæc domus mea eſt, hic ſervus meus eſt. Tolle Jura Imperato-*
§. 2. „ *rum, quis audet dicere, hæc Villa mea eſt, meus iſte ſervus,* „ *mea eſt iſta domus?* Item: *Noli dicere, quid mihi & Regi?* „ *Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per Jura Regum poſſidentur* „ *poſſeſſiones. Dixiſti, quid mihi & Regi? Noli dicere poſſeſſio-* „ *nes tuas, quia ad ipſa Jura renuntiaſti humana, quibus poſ-* „ *ſeſſiones poſſidentur.* Addit ibidem S. Ivo Carnotenſis, „ Urbanum II. Pontificem Maximum *Reges à corporali dun-* „ *taxat Inveſtiturâ excluſiſſe, non ab Electione in quantum ſunt* „ *Caput populi, vel Conceſſione.* Itaque Regalium Inveſtitu- „ ra, & bonorum Eccleſiæ vacantis, quæ ſub manu Regum „ erant, tum ratione Cuſtodiæ, cùm ex legibus Feudorum, „ conceſſio, ab Eccleſiâ ſolemnitatem Inveſtiturarum dam- „ nante, improbata non fuit. Philippum I. Regem Chri- „ ſtianiſſimum eo Jure uſum confirmat Epiſtola centeſima „ quarta Ivonis Carnotenſis ad Paſchalem II. in gratiam Ga- „ lonis Epiſcopi Bellovacenſis electi ſcripta: *Rex* (inquit) *non* „ *vult Electioni aſſenſum præbere, nec Electo bona Epiſcopalia di-* „ *mittere.*

7. RESP. Reſponderi poſſet, non ita facilè ceſſiſſe Principes Eccleſiæ Decretis, Inveſtituras prohibentibus, propter eas, quas ſuprà ex Goffrido rationes adduximus, *ut per hoc aut pecuniam extorquerent, aut, quod eſt gravius, ſibi inordinatè ſubjectam efficerent Pontificis perſonam.* Sed ſi Eccleſia Inveſtituras toleravit *propter ſcandalum, & ſchiſma vitandum,* quæ ſunt verba ejuſdem Goffridi, non probavit tamen, ut Principes fructus Eccleſiarum vacantium ſuos facerent, ſaltem ex bonis non feudalibus, aut in Provinciis, in quibus non erat ea lex feudorum. Si autem ſupponamus, Inveſtituram legitimè à Principibus datam, reſtringenda eſt ad ſola feu-

feuda Regalia. Si etiam ſupponemus, Principes fructus ejuſmodi feudorum ſuos feciſſe, id tantùm locum habere potuit in Provinciis, ubi ea conditio feudis ex conſuetudine inerat. *Art. 4. §. 2.*

8. Ivo Carnotenſis, in loco à Patre Alexandro exſcripto excuſare Inveſtituras nititur, quatenus ſignificabant Regem electioni Epiſcoporum aſſenſum præbere *votis petentium annuere*, aut ad ſummum *Villas Eccleſiaſticas & alia bona exteriora, quæ de munificentiâ Regum obtinent Eccleſiæ, ipſis Electis concedere*. Inde tamen non ſequitur, ipſum confeſſum eſſe, Principes ante datam Inveſtituram, feudorum fructus ſuos feciſſe, cùm eo jure non fruerentur ſaltem in Provinciis juris ſcripti, etiam quoad feuda à Laïcis poſſeſſa: multò minùs ex verbis Ivonis inferendum eſt, alios Eccleſiarum vacantium reditus ad Reges pertinuiſſe.

9. In poſterioribus literis illius Sancti Antiſtitis apparet, quid de Inveſtituris in ampliori ſignificatione acceptis ſenſerit, præſertim Epiſt. 233. quæ eſt ad Henricum Abbatem Angeliacenſis Monaſterii, quæque ſic incipit: *De Inveſtituris Eccleſiarum quas Laïci faciunt ſententiam præcedentium Patrum Gregorii & Urbani, quantum in me eſt, laudo atque confirmo. Quocunque autem nomine talis pervaſio propriè vocetur, eorum ſententiam qui Inveſtituras Laïcorum defendere volunt, ſchiſmaticam judico.* Ne quis autem putet, Ivonem ita locutum propter ſola Summorum Pontificum Decreta, non autem propter ipſarummet Inveſtiturarum injuſtitiam, ſcribit Epiſt. 236. quòd *manualis illa Inveſtitura per Laicos facta, alieni juris eſt pervaſio, & ſacrilega præſumptio.*

1. Locus S. Auguſtini à Beato Ivone adductus probat, poſ-

Art.4. ſe Principes, poſtulante Eccleſiâ, Schiſmaticos bonis tempo-
§. 2. ralibus Eccleſiarum privare, illaque in Epiſcopos Catholicos transferre, quemadmodum Conſtantinus Donatiſtis, contra quos ibi diſputat S. Auguſtinus, Villas abſtulerat ac legitimis Epiſcopis conceſſerat, quia ſcilicet bonorum temporalium poſſeſſio legibus Imperialibus ſubjacet, maximè dum Eccleſiæ conſenſus intervenit quoad bona Eccleſiaſtica. Sed neque S. Auguſtinus neque Ivo Carnotenſis ſenſerunt, Principes eſſe bonorum temporalium Dominos, præſertim dum ex ipſorum conſenſu in Eccleſiam translata ſunt, ut ea vel eorum fructus uſurpare poſſint vel aliis dare, ut libuerit; *Res enim Eccleſiaſticæ*, ut inquit idem Ivo Epiſtolâ centeſimâ undecimâ, *ſicut teſtantur etiam ſæculi Leges, quia Divini Juris ſunt, in nullius bonis ſunt. Et ideò prorſus errat, qui pro ſuis occaſionibus, aut* PRINCIPUM JUSSIONIBUS, A QUIBUS EAS MAXIME SERVARI CONVENIT, USURPAT, *& malè tractat. Unde ait Papa Symmachus in ſextâ Synodo: qui prædia Eccleſiæ petierit, vel acceperit, vel poſſederit, vel retinuerit, niſi ſe citò correxerit, anathemate feriatur, ſitque danti, & accipienti, vel poſſidenti anathema.*

11. DISSERT. „ Auguſto illo Jure fruebantur etiam „ Angliæ Reges; & nihil aliud ab Henrico I. Paſchalis „ II. poſtulavit, niſi ut ſolemnitatem Inveſtituræ per an- „ nulum & baculum dimitteret, indulgens etiam ut homi- „ nia ratione feudorum exigeret, ut probavi Diſſerta- „ tione 4. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam 11. & 12. ſæculi Ar- „ ticulo 7.

12. RESP. Potuiſſet Paſchalis II. conſentire, ut Rex Angliæ hominium exigeret ab Epiſcopis feuda Regalia obtinen-

nentibus, quia licèt hoc parum deceret dignitatem Epiſcopa- lem, non ita tamen à juſtitiâ aberat, ut qui bonis Eccleſiæ datis fruebantur, illud exhiberent Donatoribus grati animi ſignum. Verùm hominium plurimùm differt à Relevio, arctiuſque feudis inhæret. Unde conceſſio hominii non eſt argumentum conceſſionis uſus-fructûs feudorum poſt mortem Epiſcopi: multò minùs aliorum redituum & collationis Beneficiorum, atque adeò Regaliæ, quæ illa complectitur, & de quâ eſt quæſtio. Art. 4. §. 2.

13. Fuiſſet illa conceſſio potiùs injuſtæ vexationis redemptio, quàm legitimi Juris agnitio. Quia enim Principes ſpiritualem autoritatem Epiſcopis conferre velle videbantur, nonnullas conditiones Religioni minùs repugnantes tolerare Pontifices maluerunt, quàm uſum adeò pernicioſum non abolere: quod exemplo in §. ſequenti à Patre Alexandro referendo confirmabitur. Accedit, quòd nihil concludi poſſet ex facto Paſchalis II. ſi metuens Eccleſiæ majora mala, Henrico Angliæ Regi aliquid ei minimè debitum in Eccleſiam permiſiſſet; ſicut nec ex eo quòd Henrico Regi Germaniæ propter vim ſibi ab eo illatam Inveſtiturarum Privilegium contulit.

14. Sed patet, Paſchalem II. nequaquam indulſiſſe Henrico Angliæ Regi, ut hominia ratione feudorum exigeret, ſed permiſiſſe ut qui hominium ei præſtitiſſent, nihilominus conſecrarentur; idque donec Regis cor emollitum eſſet. Sic enim ſcribit Paſchalis ad S. Anſelmum apud P. Alexandrum ad ſæc. XI. & XII. diſſ. 4. art. 7. *Si qui verò deinceps, præter Inveſtituras, Eccleſiarum prælationes aſſumpſerint, etiamſi Regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc à Benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Domini gratiam ad hoc omittendum*

Art.4. *dum cor Regium tuæ prædicationis imbribus molliatur.*

§. 2. 15. Cùm Reges Angliæ hanc inter alias peſſimas conſuetudines inducere tentâſſent, ut Eccleſiarum vacantium fructus omnes uſurparent, obſtitit S. Thomas Archiepiſcopus Cantuarienſis; quo in certamine Martyrii palmam adeptus eſt, ejuſque conſilium & conatus fovit Alexander III. imò Deus ipſe comprobavit plurimis, quæ per ipſum edidit, miraculis. Sed & ipſemet P. Alexander ad ſæculum undecimum & duodecimum Diſſert. 10. Art. 1. confeſſus eſt, reditus illos non potuiſſe Regem Angliæ ſuos facere; ſed ad ſummum in pios uſus expendere: *Quod ſpectat*, inquit, *conſuetudinum Clarendunæ promulgatarum Capitulum duodecimum id ab Alexandro III. damnatum non fuit, quâ parte fructus Eccleſiarum vacantium Regi adjudicabat, ſed quia vendicabat ipſi ſicut Dominicos: cùm æquitas ac pietas ſuaderent, ut reditus illi, quos patrimonia pauperum, oblationes fidelium, pretia peccatorum, Patres appellant & Concilia, in profanos uſus non cederent, nec in proprias utilitates à Rege converterentur, ſicut alii redditus Regales, ſed pios in uſus erogarentur: Quâ in re maximè Regum Chriſtianiſſimorum pietas ſemper emicuit.* Æquior Eccleſiæ hâc in parte fuit P. Alexander, quàm qui ſcripſerunt, poſſe Regem Chriſtianiſſimum ejuſmodi fructus in fiſcum deferri facere.

§. TER-

§. TERTIUS. Art. 4. §. 3.

De reſtitutione feudorum ad tollendas Inveſtituras.

DISSERT. „ Argumento ex legibus Feudorum ſumpto convictus ac perſuaſus in cauſa Inveſtiturarum „ Paſchalis II. anno 1110. cum Henrico Germaniæ „ Rege pactionem iniit, ut Epiſcopi Regalia dimitterent ejus Majeſtati, ipſa verò Inveſtituris renuntiaret, „ ut refert Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi lib. 4. „ cap. 37. Scripſit autem ad Regem in hæc verba : *Miniſtri „ Altaris Miniſtri Curiæ facti ſunt, quia Civitates, Ducatus, „ Marchionatus, monetas, curtes, & cætera ad Regni ſervitium pertinentia, à Regibus acceperunt. Unde etiam mos Eccleſiæ intolerabilis inolevit, ut electi Epiſcopi nullo modo Conſecrationem acciperent, niſi priùs per manum Regiam inveſtirentur . . . . . . Tibi itaque & Regno Regalia illa dimittenda „ præcepimus quæ ad Regnum manifeſtè pertinebant tempore Caroli, Ludovici, Ottonis, & cæterorum Prædeceſſorum tuorum. Interdicimus etiam, & ſub Anathematis diſtrictione „ prohibemus, ne qui Epiſcoporum ſeu Abbatum eadem Regalia „ invadant, id eſt, Civitates, Ducatus, Marchias, Comitatus, Monetas, Telonium, Advocatias, Jura Centurionum, „ & Curtes quæ Regni erant, cum pertinentiis ſuis, Militiam „ & Caſtra, & ne ſe deinceps niſi per gratiam Regis de ipſis „* REGALIBUS *intromittant.* Intelligebat nimirùm Paſchalis II. Epiſcopos quandiù Feuda Regum munificentiâ „ Eccleſiis conceſſa poſſiderent, omnibus officiis erga ipſos perfungi debere, quæ Feudorum Legibus invecta ſunt.

Art. 4. §. 3. 2. RESP. Paſchalis II. feuda Imperatori reſtitui volebat, ut Epiſcopos liberaret non à juſtis feudorum conditionibus, ſi quæ bonorum feudalium donationibus fuiſſent appoſitæ, ſed à pernicioſâ illâ ſervitute, cui contra omne jus ac contra Religionem ſubjiciebantur, eâ ſcilicet inveſtiendi ratione, quæ electionum libertatem perimebat, atque Epiſcopatibus per ſimoniam diſtrahendis viam aperiebat, quæque ſignificare videbatur, poteſtatem ſpiritualem Epiſcopis à Principibus tradi, quod non ſecùs ac hæreſim deteſtati Pontifices cum temporalium rerum diſpendio abolere ſatagebant. Sed Epiſcopi Germaniæ Paſchalis Zelo non ſunt obſecuti, grave nimis æſtimantes, reditibus illis temporalibus carere.

3. Non ergo *argumento ex Legibus Feudorum ſumpto convictus ac perſuaſus in cauſâ Inveſtiturarum Paſchalis II. an.* 1110. *cum Henrico Germaniæ Rege pactionem iniit, ut Epiſcopi Regalia dimitterent ejus Majeſtati; ipſa vero Inveſtituris renuntiaret:* niſi fortè P. Alexander inter Leges feudales computet jus tollendi Libertatem electionum, Epiſcopatus vendendi, & ſignificandi dignitatem Epiſcopalem à Principibus conferri. Alia certè fuit Paſchalis ſententia, ut teſtantur hæc ejus verba in Epiſtolâ nonâ, quæ eſt ad Henricum Regem Angliæ: *Si conſentiamus aut patiamur, Inveſtituras à tuâ excellentiâ fieri, & noſtrum procul dubio, & tuum erit immane periculum.* Verùm quia Rex reſponſurus videbatur, ſe non jus novum poſtulare, ſed antiqui confirmationem, addit Pontifex: *Dices itaque: Mei hoc Juris eſt. Non utique: non eſt Imperatorium, non Regium, ſed Divinum.*

4. Idem confirmat in aliis Epiſtolis, præſertim 96. edit. Labb. *Sancta Romana Eccleſia & Apoſtolica,* inquit ad eundem

dem Henricū, ſcribens, *per Prædeceſſores noſtros Regiæ uſurpationi & Inveſtituræ abominabili vivacitèr obviare curavit, & graviſſimis perſecutionibus per Tyrannos affecta, uſque ad noſtra tempora non deſtitit. Confidimus autem in Domino, quoniam nec in nobis confidentiæ ſuæ virtutem Eccleſiæ Princeps Petrus & Epiſcoporum primus amittet.* Vide Epiſtolam 97. quæ eſt ad eundem. Art. 4. §. 4.

§. QUARTUS.

De ſententiâ Goffridi Vindocinenſis circa Inveſtituras.

1. DISSERT. „ Ejuſdem argumenti vim ſenſit Goffridus Vindocinenſis Abbas, Sanctæ Romanæ „ Eccleſiæ Cardinalis, ſolemnis Inveſtituræ Impugnator acerrimus, Opuſculo 3. ad Caliſtum II. „ *Ex Jure Divino*, inquit, *Regibus quidem & Imperatoribus* „ *dominamur: ipſis tamen ex eodem Jure, quia Chriſti Domini* „ *ſunt, honorem debemus & reverentiam, ſicut dicit Apoſtolus:* „ *Regem reverimini. Ex Jure autem humano tantùm illis debemus, quantùm poſſeſſiones diligimus, quibus ab ipſis, vel à* „ *parentibus ſuis* Eccleſia *ditata & inveſtita dignoſcitur. Unde* „ *S. Auguſtinus ſuper Joannem ſic loquitur: Noli dicere, quid* „ *mihi & Regi? Quid tibi & poſſeſſioni? Nam per Jura Regum poſſeſſiones habentur*, &c. *Poſſunt itaque ſine offenſione* „ *Reges, poſt Electionem Canonicam, & Conſecrationem*, PER „ INVESTITURAM REGALEM, IN ECCLESIASTICIS POSSESSIONIBUS CONCESSIONEM, „ AUXILIUM ET DEFENSIONEM EPISCOPO DA-

Art.4. „ RE, *quod quolibet ſigno factum extiterit, Regi vel Pontifici,*
§. 5. „ *ſeu Catholicæ fidei non nocebit.*

2. RESP. Oſtendimus §. 1. hujus Articuli quænam eſſet Goffridi ſententia circa Inveſtituras. Vide, ſi placet, quæ ibi diximus. Nam quæ hîc à Patre Alexandro ex illo Autore exſcripta ſunt, ex illic relatis manifeſta fient; ſcilicet Goffridum exiſtimâſſe, Inveſtituras ad Principes non pertinere: de ſe tamen criminoſas non eſſe, ſi ita fierent, ut Principes ſpiritualem poteſtatem Epiſcopis conferre non viderentur, ut non videntur, dum fiunt quemadmodum hîc notat Goffridus, *post Electionem Canonicam & Conſecrationem*; quia nimirùm tunc Epiſcopus poteſtatem omnem ſpiritualem adeptus eſt. Eâ tantùm conditione dixit non nocere quocumque ſigno fieret Inveſtitura. Nam Opuſc. 4. ait; *Inveſtituram per virgam, & annulum accipere, niſi à ſuo Conſecratore manifeſeſtum eſt eſſe damnoſum.* Sed quoquomodo fierent Inveſtituræ, multùm à Regaliâ diſcrepabant, ut §. 1. hujus Articuli oſtendimus.

§. QUINTUS.

De Inveſtituris à Calliſto II. Henrico Imperatori conceſſis.

1. DISSERT. „ Jus illud Regium non læſit vel imminuit Calliſtus II. in Concilio Lateranenſi, in „ quo controverſia de Inveſtituris finita eſt; cui „ Concilio adfuit Sugerius Sandionyſianus Ab„ bas, Ludovici VI. Regis Chriſtianiſſimi Orator, ut con„ ſtat ex Calliſti Reſcripto Concilii ſententiâ comprobato:

Ego

„ *Ego Calliſtus Servus Servorum Dei dilecto filio Henrico Dei gra-* *Art.* 4.
„ *tiâ Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epi-* §. 5.
„ *ſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum perti-*
„ *nent, in præſentiâ tuâ fieri . . . . Electus autem* REGALIA
„ *per Sceptrum à te recipiat . . . . Et quæ*
„ *ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis verò partibus Imperii*
„ *conſecratus, infrà ſex menſes* REGALIA, *per Sceptrum à*
„ *te recipiat.*

2. Inutiliter coacervantur hujus generis teſtimonia, niſi Diſſertator ſperet ſe æquivocationibus deluſurum Lectorem. Conſenſit Calliſtus, ut Epiſcopi electi Regalia per Sceptrum ab Imperatore reciperent. Nemo certè per Regalia aliud intelliget, quàm feuda à Regibus ſeu Imperatoribus conceſſa. Conſenſit, ut Epiſcopi, quæ ex hujuſmodi feudis Regalibus jure Imperatori deberent, facerent. Reſtat, ut Pater Alexander probet, ratione feudorum *Epiſcopos* Franciæ etiam in Provinciis juris ſcripti conſtitutos *jure debere* Regi Chriſtianiſſimo Regaliam, hoc eſt univerſos reditus & Beneficiorum collationem quamdiù Sedes vacaverit. Sed quomodò poſſet Epiſcopus Regi debere id, quo jam Rex fruitus fuiſſet? Regalia enim exercetur tantùm vacante Sede, hoc eſt dum Epiſcopo caret. Mens Calliſti fuit, ut Epiſcopi Inveſtituram bonorum tantùm feudalium ab Imperatore reciperent, eique ſervitia, quæ in dandis feudis fuerant reſervata perſolverent. Cùm ergo probandum eſſet, Regaliam, ut à Patre Alexandro deſcripta eſt, lege communi feudorum Domino feudali deberi, aut Regi Chriſtianiſſimo vel ex fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine competere in Provinciis ad quas novè porrecta eſt, ipſe Diſſertator, relicto controverſiæ puncto, circa Inveſtituras vagatur, & circa alia quæ ab eâ quæſtione de quâ modò agitur, longiſſimè diſtant.

 §. SEX-

Art. 4. §. 6.

§. SEXTUS.

De contentione inter Ludovicum Craſſum & Hildebertum Archiëpiſcopum Turonenſem circa collationem duarum dignitatum Eccleſiaſticarum.

DISSERT. „ Regaliæ Jus deinceps magis explicatum „ viſuri ſumus. Ludovicus ſextus vulgò Craſſus nun- „ cupatus, Jus illud in totâ amplitudine ſuâ exerce- „ bat, Præbendas ac Dignitates, quæ Eccleſiis vi- „ duatis vacaverant, conferebat. Jus illud fruſtrà turbare co- „ natus eſt Hildebertus Turonenſis Archiëpiſcopus, anno mil- „ leſimo centeſimo vigeſimo quinto creatus; ut diſcimus ex e- „ jus Epiſtolâ ad amicum Epiſcopum, Tomo 13 Spicilegii „ editâ, pag. 265. *Cùm*, inquit, *ex Præcepto Romani Pontifi-* „ *cis de Epiſcopatu ad Turonicam Metropolim tranſiiſſem, Archi-* „ *diaconatum in eâ atque Decaniam Perſonis vacantes inveni.* „ *Deinde peracto ferè in eâdem Metropoli anno, Regis literas accepi* „ *continentes*, REGEM PRÆSCRIPTAS DEDISSE „ DIGNITATES, *atque mihi præcipere, quòd Perſonas* „ *quibus eas ipſe dederat, in ſedibus earum Dignitatum mittere* „ *non differrem. Quo audito, nolui in cauſâ Dei contra Dominum* „ *parere Poteſtati.* Quam ob cauſam Regias Proviſiones admit- „ tere, & ſacram Juſſionem exequi recuſaverit Hildebertus, „ an ob rationes Perſonas ipſas ſpectantes, an quòd intra annum „ vacantes Dignitates Rex non contuliſſet, incertum eſt.

2. RESP. Quo Jure Ludovicus Craſſus illas Dignitates contulerit, ignoramus. Pater Alexander eam collationem Juri Regaliæ adſcribit, cujus ſententiæ aliud fundamentum pro-

probabile non video, quàm quòd Epiſcopali Sede Vacante, ipſæ vacâſſent. Sed multa ſunt argumenta contraria. Ut ut ſit, nihil ad hujus Diſſertationis controverſiam refert: cùm Eccleſia Turonenſis extra illarum numerum ſit, ad quas Regalia de novo extenſa eſt. Hinc tantùm ſequeretur Regaliæ uſum ante Ludovicum Juniorem cœpiſſe. Verùm non rectè concluderetur, uſum illum juſtum aut generalem in regno fuiſſe. *Art.4. §.6.*

3. Etenim S.Hildebertus in verbis ipſis à P. Alexandro relatis teſtatur, factum Ludovici ſexti fuiſſe injuſtum ; *Nolui*, inquit, *in cauſâ Dei contra Dominum parere Poteſtati.* Præterea Epiſt.67. quæ eſt ad Honorium II. Papam, id factum fuiſſe contra conſuetudinem antiquam ; ac præterea inſinuat, Regem non ſtatim pleno jure, ut apertâ Regaliâ ſit, dediſſe illas Dignitates, ſed recuſante Archiëpiſcopo illas juxta Regis voluntatem conferre. *His*, inquit, *aliiſque premor anguſtiis, quia zelo zelatus Legem Domini Dei*, QUIA NON SUM TRANSGRESSUS TERMINOS QUOS PATRES NOSTRI POSUERUNT; QUIA DIGNITATES ECCLESIASTICAS, NEC EX REGIS PRÆCEPTO DISPOSUI, NEC EI DISPONENDI FACULTATEM INDULSI. Hinc & ex aliis Hildeberti verbis mox referendis conjicere licet, Ludovicum non Jus Regaliæ exercentem, ſed in perſonas, quibus Hildebertus Dignitates vacantes contulerat, offenſum, alias eis ſubſtitui voluiſſe.

4. Huic enim controverſiæ calumniam iis, quos Hildebertus præfecerat, illatam, occaſionem præbuiſſe colligere licet, ex his Hildeberti in præcitatâ Epiſtolâ 67. verbis: *Sciens enim quia oportet magis Domino obedire quam hominibus, perſonas elegi, quæ in exequendis Eccleſiæ negotiis pondus diei porta-*

Art.4. *portarent, & æſtus. Alteri igitur Archidiaconatum, alteri De-*
§.6. *caniam dedi. Nullus omninò fuit, qui ei quem in Decanum promovi, quando promotus eſt, aliquid opponeret, ſeu quando fuit in Sede collocatus. Omnes ipſius gratiam habebant, omnium ipſe.* Et continuò cauſam affert, quæ adverſùs Decanum invidiam concitavit, & adverſùs omnes ſuperiores officio ſuo probè defungentes concitare ſolet: *Sequenti autem*, inquit, *tempore contigit, ut quoſdam Canonicorum, qui ſub virgâ erant propter eorum turpia verba, & reprimendorum enormitates operum, Decanus ex officio Decaniæ Eccleſiaſticâ corrigeret diſciplinâ; quam nimis graviter iidem Canonici ferentes, adverſùs eum inexorabili odio exarſerunt.* Cui ſcilicet odio plurimum ex quâdam diſcordiâ eſt additum, quæ inter eoſdem Canonicos & fratres Decani ſuſcitata, ex verbis ad rixam uſque pervenit. *Ex occaſione hujuſmodi, ſimulque ſuffragio diſciplinæ præſcripti Canonici de ſuâ egreſſi Eccleſiâ, ad Regem Francorum, cujus iram circa Decanum noverant implacabilem, tranſierunt, ipſius indignationem, quantis & quibus potuêre delationibus in eum cumulantes.*

5. Epiſtolâ ſequenti, quæ eſt ad eumdem Honorium teſtatur, neminem Decani promotioni ſeſe oppoſuiſſe: quod argumentum eſt, ipſam juſtam & Canonicam fuiſſe: *Decano*, inquit, *ſic data eſt à nobis in Capitulo Decania: ſic ipſe ſubſtitutus in Sede, ut huic ejus promotioni nemo prorſus aut verbo reſiſteret, aut opere contrairet.*

6. Crimina igitur, vel veriſimiliùs calumniæ, non autem Jus Regaliæ, contentioni inter Ludovicum Craſſum, & Hildebertum occaſionem præbuère. Sanè jurium ſuorum tenacior erat Ludovicus, quàm ut per annum Decanum ſibi minùs gratum Decanatu potiri permiſiſſet, ſi ad ſe illius Dignita-

tis collatio Jure Regaliæ pertinuiſſet. Videri poteſt apud Sugerium in hujus Principis vitâ, quàm ægrè tulerit ſine ſuo aſſenſu ipſum Sugerium electum fuiſſe Abbatem, biennio aut triennio ante controverſiam iſtam Eccleſiæ Turonenſis; quàmque graviter ejus electionis nuntios habuerit. Art. 4. §. 6.

7. Supràdictis conjecturis autoritatem Patris Alexandri adjicimus, ut plena ſit probatio. Ipſe enim §. primo hujus Articuli agnovit, quòd *collatio Beneficiorum, quibus Juriſdictio ſpiritualis annexa eſt & animarum cura, ad Principes Regaliæ jure non ſpectat; quia Divino Jure habetur. Miſſio enim ad functiones hujuſmodi obeundas neceſſaria eſt, quam ſoli Eccleſiæ majores Prælati, ſcilicet Summus Pontifex, & Epiſcopi concedere poſſunt.* Atqui Archidiaconatui & Decanatui annexa erat Juriſdictio ſpiritualis, ut de Archidiaconatu conſtat ex Jure communi, & de Decanatu patet ex ſuprà relatis: ergo juxta P. Alexandrum, collatio illarum Dignitatum ad Ludovicum Craſſum Regaliæ Jure non ſpectabat.

8. Denique negotii exitus comprobat, Regem Jure Regaliæ Dignitates illas non contuliſſe. Nam in illarum poſſeſſione confirmati ſunt ii, quos Hildebertus inſtituerat. Id enim, ut puto, ſignificant hæc verba Sancti illius Archipræſulis in Epiſtolâ ad Regem Anglorum, quæ extat apud eruditiſſimum Domnum Lucam Dacherium in Append. Tom. 13. Spicil. pag. 260. ſub num. 2. *Nolo autem veſtram latere Majeſtatem, Eccleſiæ noſtræ pacem Regis redditam,* CLERICOS INVICEM PACIFICATOS, *nos in gratiam Regis gravamine ingenti rediiſſe,* &c.

9. DISSERT. „ Ut ut eſt, non Pontificem Maximum, „ non Synodum appellavit Archipræſul, ſed Regem, quem

Art. 4 „ unum cauſarum Jus Regaliæ ſpectantium Judicem eſſe no-
§. 6. „ verat: in ejus Curiâ cauſam dixit, rationem protulit, cauſâ cecidit: *Attendens*, inquit, *oportere conveniri Regem . . . . . . agendi cum eo diem ſuſcepi, affui ſtatuto die & loco in Audientiâ eorum, qui convenerant, paratus reſpondere objectis, & Canonicum ſubire Judicium. Dehinc auditâ utriuſque partis cauſâ, cùm ego adhuc debitum exſpectarem Judicium, Rex mihi per ſe ipſum prohibuit, ne quidquam de prædictarum reditibus Dignitatum aut præſumerem, aut ordinarem. Fruſtrà preces attuli, fruſtrà protuli plurima, &c. Denique ſic regreſſum à Rege ſecutus eſt nuntius, qui diceret dixiſſe Regem, ne fructus poſſeſſionum Turonenſis Eccleſiæ, quas Regis poteſtas attingit, ad præfatam deferretur Eccleſiam, ſed Fiſco deinceps adſcriptus, Regiis uſibus deſerviret; quod ita factum eſt. Terra quoque ipſius ita mihi ſuſpecta eſt, ut eam ingredi non audeam, nec tamen hæc loquor tanquam vobis clamorem ſuper Chriſto Domini deponens*, &c.

10. RESP. Res ita geſtas eſſe aſſerit Diſſertator, ut geſtas vellet. Notat, Hildebertum apud Regem, utpotè controverſiarum de Regaliâ unicum Judicem, cauſam dixiſſe. Verùm illa ipſa quæ profert ex Epiſtolâ Hildeberti à Domno Dacherio editâ, ipſius propoſito adverſantur. Significant enim, Regem non ut Judicem habitum ab Hildeberto fuiſſe, ſed ut partem. Nam *convenire aliquem, & agendi cum illo diem ſuſcipere*, partis potiùs quàm Judicis perſonam deſignant. Præterea hæc verba; *in Audientiâ eorum, qui convenerant, paratus reſpondere objectis, & Canonicum ſubire Judicium*, indicant, Sanctum illum Antiſtitem alios, & quidem Eccleſiaſticos viros Judices poſtulâſſe. Alioquin enim quomodò *Canonicum* fuiſſet *Judicium*. Id clariùs exprimit in Epiſtolâ

ad

ad quemdam Epiſcopum : *Arguar mendacii* , inquit , *niſi venerabilis Andegavorum Epiſcopus , nec non plures cum eo Sacerdotes mihi teſtimonium peribuerint , quòd paratus fuerim juſtitiam exequi , quod eorum ſubdidi judicio , qui de me non habebant judicare*. In Append. To. 13. Spicil. num. 6. Hæc autem verba : *Dehinc auditâ utriuſque partis cauſâ , cùm ego adhuc debitum expectarem Judicium , Rex mihi per ſe ipſum prohibuit* &c. innuunt , à Judicibus , quorum ſe ſubdiderat judicio , licèt de illo non haberent judicare , nullam fuiſſe prolatam ſententiam , ſed *Regem per ſe ipſum* non jus dixiſſe , at per vim voluntatem ſuam expleviſſe , non ſolùm prohibendo , ne Hildebertus circa Dignitatum illarum Eccleſiaſticarum reditus aliquid ordinaret ; verùm etiam poſſeſſionum Eccleſiæ Turonenſis fructibus , quas Regis poteſtas attingebat , illum ſpoliando. *Art.4. §. 6.*

11. Fructus in Regium Fiſcum delati ſunt , ſed jam repletâ Sede , ac Rege in Archiepiſcopum propter ejus conſtantiam excandeſcente. Id autem injuſtum fuiſſe tanquam rem certam affirmat idem Archipræſul ante verba mox relata. Sic enim Epiſtolam inchoat : *Quantis tribulationum turbinibus agitetur Eccleſia , veſtram Venerande Pater latere non credo Sanctitatem. Adhuc enim Francorum Rex innocentiam meam tanto perſequitur odio* , UT TRADUCAT IN GRAVAMEN ECCLESIÆ ; ET QUOD CONSTAT ESSE SANCTUARII , ADDIXIT FISCO.

12. DISSERT. „ Regem in Eccleſiæ commoda propen„ ſiſſimum , Sedi Apoſtolicæ addictiſſimum , qui Romanos „ Pontifices tantâ pietate ſuſcepit , tantâ obſervantiâ coluit , „ tantâ generoſitate adverſùs Germaniæ Reges tuitus eſt , qui „ Inveſtiturârum ſolemnitatem per annulum , & baculum

*Art.*4. „ ultrò dimiſit, qui hominiis etiam renuntiavit ut Eccleſiæ
§. 6. „ morem gereret: de quo ſcribebat S. Ivo Carnotenſis Epi-
„ copus ad Paſchalem II. Epiſt. 238. *Rex Francorum, utpotè „ homo ſimplicis naturæ, erga Eccleſiam Dei eſt devotus, eſt Sedi „ Apoſtolicæ benevolus.* Hunc (inquam) Regem Eccleſiæ Jura „ uſurpâſſe, ſibi aliquid in Regaliæ negotio tribuiſſe quod ſibi „ jure non competeret; nequaquàm veriſimile eſt.

13. RESP. Non eſt ergo veriſimile, Ludovicum Craſſum contuliſſe Archidiaconatum & Decanatum Eccleſiæ Turonenſis prætextu Regaliæ: quandoquidem, ex Patre Alexandro, Beneficia, quibus Juriſdictio ſpiritualis annexa eſt, huic juri non ſunt obnoxia; atque adeò Ludovicus illa conferre non potuiſſet, niſi *Eccleſiæ Jura uſurpans, ſibique tribuens quod ſibi jure non competebat.*

14. Sed huic *ad hominem* argumento addendum, fruſtrà hîc alia Ludovici laudabilia facinora commemorari; cùm in hâc cauſâ, & in aliis etiam conſtet illum æquitatis metas exceſſiſſe. In promptu eſſet vituperationem Ludovici Craſſi texere, quæ fortè laudationi ejus à P. Alexandro adornatæ præponderaret. Materiam ſubminiſtrârent, quæ Princeps adverſùs Stephanum Epiſcopum Pariſienſem & Henricum Archiëpiſcopum Senonenſem geſſit eodem fere tempore, quo Hildebertum malè habuit; quâ de re videri poteſt Sanctus Bernardus Epiſt. 45. & ſeqq. potiſſimùm verò 59. Sed ne extra noſtrum argumentum vagemur: etſi Ludovicus jus habuiſſet Dignitates conferendi, non potuiſſet Archiëpiſcopum *convenientem Regem*, ſe ſiſtentem *ſtatuto die & loco, paratum reſpondere obiectis, & Canonicum ſubire Judicium preces afferentem, proferentem plurima*, tam acerbitèr exagitare. Num enim quando aliquis in Senatu Pariſienſi litigat adverſùs alium pro Beneficio, quod in Regaliâ

Regaliâ non vacâſſe contendit quaſcunque rationes afferat omnibus ſuis bonis privatur, & in exilium aut in carcerem mittitur? Concutiuntur etiam interdum optimorum Principum Animi variis perturbationibus adverſùs eos, qui ipſorum voluntati obſiſtunt. Art. 4. §. 6.

15. DISSERT. „Quis præterea Gallicanos Præſules univerſos, S. Bernardum, & Sugerium Abbates, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ac Libertatis ſtudioſiſſimos, qui aliàs Epiſcoporum patrocinium apud Regem libertate incredibili ſuſceperunt, in cauſâ Hildeberti Archipræſulis ſilentium ſervaturos crediderit, niſi perſuaſum habuiſſent cauſam ipſius malam eſſe, ipſum imprudenti conſilio Jus Regium turbâſſe, Regiæ collationi Dignitatum in Eccleſiâ Turonenſi Jure Regaliæ vacantium præter fas & æquum reſtitiſſe. Ipſos verò cauſam Hildeberti deſeruiſſe, probat illius Epiſtola 75. „*Silent Amici*, (inquit) *ſilent Sacerdotes Jeſu Chriſti, denique ſilent & illi, quorum ſuffragio credidi Regem mecum in gratiam rediturum. Credidi quidem, ſed ſuper dolorem vulnerum meorum Rex illis ſilentibus adjecit.*

16. RESP. Deſertus quidem fuit Hildebertus ab iis, à quibus opem ſperabat, ſed hæc deſolatio cauſam, quam tuebatur injuſtam fuiſſe non arguit. Id enim non rarò contingit iis etiam, qui pro apertiſſimâ juſtitiâ certant. Exempla quàmplurima ſuppeditant Hiſtoriæ, cùm in aliis, tum in materiâ Inveſtiturarum, quas à Regaliâ non diſtinguendas contendit P. Alexander. Unicus Sanctus Injurioſus obſtitit Clotario ſecundo reditus Eccleſiarum uſurpare volenti, ut tradit Gregorius. Turonenſis libro 4. Hiſt. Franc. cap. 2. Unicus Egelvuïnus Dunelmenſis Epiſcopus Eccleſiæ invaſores & rerum Eccleſiaſticarum raptores excommunicatione propulſavit, ut

 refert

Art. 4. §. 6. refert Matthæus Paris an. 1070. ſub Guill. Conqueſt. Idem Hiſtoricus an. 1094. ſub Guill. II. ſcribit hæc verba: *Anſelmus à Rege ut Læſæ Majeſtatis reus poſtulatur. Huic accuſationi & plurimi Epiſcopi, præter Gondulphum Roffenſem Epiſcopum ſuum calculum adjiciebant, & facti ſunt ut canes non audentes latrare.*

17. Ecquid mirum, ſi Ludovico Craſſo in Hildebertum irâ accenſo, ſeu odio affecto, atque adeò audiendi conſilii, & perſpiciendæ veritatis ac juſtitiæ minùs capace; nec non in Decanum ab Hildeberto conſtitutum commoto, ſiluerint Epiſcopi; cùm hocce tempore Ludovico XIV. moderatiſſimo clementiſſimoque Principe, Illuſtriſſimum pientiſſimumque Epiſcopum Appamienſem, Religioſiſſimumque illius Eccleſiæ Capitulum redituum ſpoliatione, exilio, atque carceribus ad præſtandum Regaliæ conſenſum adigente, nemo fuerit, qui afflictis apertè patrocinaretur: licèt eos pro Eccleſiæ ſuæ, atque adeò aliarum quàmplurimarum Canonicâ Libertate illa mala perpeti nemo non videat?

18. Sanè præter modernos Regaliæ Defenſores, nullum Scriptorem legi, qui Hildebertum tanquam Regii Juris Oppugnatorem incuſaverit: niſi fortè aliorum Epiſcoporum ſilentium tacitam deputemus ejus accuſationem. Sed culpandum potiùs eſſe hujuſmodi ſilentium ex ejuſdem Archiepiſcopi Epiſtola 75. ediſcimus. Nam poſt verba à Patre Alexandro relata, ſcilicet; *Silent Amici, ſilent Sacerdotes Chriſti* &c. Sequitur: *Eorum tamen erat gravamen Eccleſiæ, Canonicis obviare inſtitutis: eorum erat (ſi res ita poſtulâſſet) opponere ſe murum pro Domo Iſraël.*

19. At, inquit P. Alexander, ſiluerunt etiam S. Bernardus & Sugerius Abbates. Infirmum argumentum. Nam tunc tem-

temporis S. Bernardus & Sugerius nondum eâ erant apud Ludovicum ſextum autoritate, quâ poſtea valuerunt apud ipſum, ſed multòmagis apud Ludovicum ejus filium. Præterea quis ſcit utrum ſiluerint ? Quis ſcit an non ſecretò, ut ferè fit, Regem monuerint? *Art.4. §. 7.*

§. SEPTIMUS.

De Regaliâ in Eccleſiis Aquitaniæ.

1. DISSERT. „ Rex idem Ludovicus Craſſus Regaliam Epiſcopis Aquitaniæ remiſit ; quod Privilegium Ludovicus VII. ejus filius ac ſucceſſor „ confirmavit. Extat in Regeſtis Parlamenti Pariſienſis itemque in Regeſtis Cameræ Computorum, ſub „ titulo *De Remiſſione Regaliæ Burdegalenſis, ac totius Provinciæ, & conceſſione Canonicæ Libertatis.* Editum eſt Tom. „ 1. Galliæ Chriſtianæ, in Archiepiſcopis Burdegalenſibus in „ Gaufrido de Oratorio, pag. 211. verba Privelegii hæc „ ſunt : *Ea propter petitionibus veſtris, communicato priùs Epiſcoporum, Abbatum, & Procerum noſtrorum conſilio, aſſentiente Ludovico filio noſtro jam in Regem ſublimato, duximus annuendum & in Sede Burdegalenſi, & in prædictis Epiſcopalibus Sedibus, & Abbatiis ejuſdem Provinciæ, quæ defuncto Illuſtri Aquitanorum Duce Comite Pictavienſi Guillelmo, per filiam ipſius Alienoram jamdudum filio noſtro Ludovico ſorte matrimonii cedit, in Epiſcoporum & Abbatum ſuorum electionibus Canonicam omninò concedimus Libertatem, abſque hominii, juramenti, ſeu fidei per manum datæ obligatione. Porrò decedentis Archiepiſcopi, & Suffraganeorum ipſius Epiſcoporum,*

Art. 4. „ *rum, ſive Abbatum decedentium res univerſas Succeſſoribus Re-*
§. 7. „ *giâ auctoritate ſervari volumus, & concedendo præcipimus il-*
„ *læſas. Hoc quoque adjicientes, ut omnes Eccleſiæ infra deno-*
„ *minatam Provinciam conſtitutæ prædia, poſſeſſiones, & uni-*
„ *verſa ad ipſas jure pertinentia, ſecundùm Privilegia, juſti-*
„ *tias, & bonas conſuetudines ſuas habeant & poſſideant illi-*
„ *bata. Quin imò Eccleſiis ipſis univerſis, & earum Miniſtris,*
„ *cum poſſeſſionibus ſuis, Canonicam in omnibus concedimus Li-*
„ *bertatem.* Cùm itaque Privilegium legem communem obli-
„ gationemque ſupponat, quâ ſolvuntur qui illo danati ſunt,
„ conſequens eſt Aquitaniæ Eccleſias Regaliæ Juri obnoxias
„ fuiſſe antequam Privilegium illud à Ludovico VI. & Ludovi-
„ vico VII. obtinerent.

2. RESP. Non continet hoc Diploma remiſſionem Regaliæ, ſed liberationem à peſſimis conſuetudinibus & injuſtis oneribus, quibus Duces & Comites Eccleſias eo tempore premere ſolebant; cujuſmodi erant illi abuſus, quibus paulò poſt renunciârunt etiam Comites Toloſani, & Vicecomitiſſa Narbonenſis de quibus infrà §. §. 26. 27. 28. Ut iſtud ad clariorem lucem deducatur, quatuor in hâc conceſſione diſtinguenda ſunt. Primum Libertas electionis Epiſcoporum, ſecundum immunitas ab hominio & juramento, tertium conſervatio rerum Epiſcoporum & Abbatum decedentium pro futuris Succeſſoribus, quartum Canonica Libertas Eccleſiarum earumque Miniſtrorum ac poſſeſſionum. Horum autem nullum ad Regaliam pertinet. Non primum; nec enim in definitione Regaliæ continetur, quòd Libertatem electionum opprimere Principibus liceat. Non ſecundum; nam hominium, & juramentum fidelitatis præſtabantur à novo Epiſcopo; Regalia autem vacante tantùm Sede exercetur: nec homi-

hominium & juramentum fidelitatis ſupponebant Dominum Feudi fructus antea ſuos jure feciſſe : Aquitania enim Provincia eſt juriſcripti, ubi feuda huic conditioni non ſubjacent. In hoc fortè Articulo aliquis favor impenſus eſt Eccleſiis Aquitanicis, quamvis à Regaliæ remiſſione diverſus, ſi abſolutè remiſſa ſunt hominium ac juramentum ratione feudorum ab Epiſcopis debita, ac non tantùm reſecti abuſus ab Eccleſiâ damnati. Tertium fuit liberatio à peſſimo illo abuſu quem à Conciliis damnatum fatetur etiam P. Alexander Articulo ſecundo §. 16. his verbis: *De ſpoliis Epiſcoporum defunctorum, quæ à Potentibus paſſim & impunè diripiebantur : morem peſſimum qui in Galliis etiam invaluerat Patres* (Trosleiani) *exſecrati ſunt, & ſacrilegii damnârunt*. Quartum nihil aliud erat quàm aſſertio immunitatis Canonicæ, quâ communiter Perſonæ Eccleſiaſticæ, & omnia quæ Deo conſecrata ſunt, gaudere debent, & quâ ſæpe ſpoliabantur, Potentum rapinis, aliiſque injuriis. Nulla quoque in iis Diplomatis mentio collationis Beneficiorum, quæ potiſſima Regaliæ pars eſt. Art.4. §.7.

3. Non Privilegium, ſed injuſtè impoſitæ ſervitutis relaxationem fuiſſe hanc Ludovici Craſſi ejuſque filii conceſſionem, cùm alia multa ſuadent, tum ipſa ejus verba, præſertim iſta : *Canonicam in omnibus concedimus Libertatem*, quæ bis ibi leguntur. Quid enim illa ſibi volunt, niſi reſtitui Eccleſias in eam Libertatem, quæ ſibi juxta Canones competit ; neque adimi abſque Canonum violatione poteſt ?

4. Cæterùm quâ Religione viſum eſt Aulicis, debere Ludovicum XIV. Eccleſias illas Libertate à Ludovico VI. & à Ludovico VII. ipſis vindicatâ, & Senatusconſulto Parlamenti anno 1277. lato, ut dicetur §. ſequenti, confirmatâ ſpo-

 liare ?

Art. 4. liare? An poſſeſſio pluſquàm quadringentorum quinquaginta annorum, qui à tempore Diplomatis prædictorum Regum effluxerant, atque à trecentis ampliùs annis dicto Arreſto aſſerta, non debuit ſub finem ſæculi proximè elapſi impedire, ne Senatus Pariſienſis violaret Eccleſiarum illarum Libertatem, eas Regaliæ ſubjiciendo? An non debuiſſet etiam tam diuturna præſcriptio nuper Regis Chriſtianiſſimi Conſiliarios deterrere à propoſito illas Eccleſias in ſervitutem redigendi?

§. 8.

§. OCTAVUS.

Sententia D. de Marca circa Libertatem Eccleſiis Aquitaniæ conceſſam à Ludovico VI. & Ludovico VII.

1. DISSERT. „ Diſſimulandum non eſt Domino de „ Marca libro 8. de Concordiâ Sacerdotii & Imperii, cap. 27. num. 2. & 3. viſum eſſe, nequaquàm hîc agi de Regaliâ, quam nondum „ eo ævo introductam contendit, præſertim in Aquitaniâ, „ ubi pietas Guillelmi Ducis, ac nupera Conciliorum Pictavienſium Edicta obſtiterant ne conſuetudo illa irreperet. „ Nam (inquit) anno milleſimo centeſimo Synodus Pictavienſis à Paſchali II. Papa cum conſenſu Guillelmi Aquitaniæ Ducis coacta prohibuerat, ne quis Epiſcoporum, Abbatum, aliuſve è Clero, donum Epiſcopatûs aut Abbatiæ „ à Rege, Comite, aut quovis Laïco accipiat. Hæc ſunt „ verba Canonis primi: *Decrevit Sancta Synodus, ut nullus Epiſcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet perſona de Clero, accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cujuslibet Laïcæ perſonæ,*

„ *næ , donum Epiſcopatûs , Abbatiæ vel Eccleſiæ . . . . . .* *Art.* 4.
„ *Si verò Laïci Canonicis Decretis reſiſtentes , Eccleſias violenter* §. 8.
„ *retinere præſumpſerint , ipſi excommunicentur.* Aliud deinde
„ Concilium in Urbe Pictavienſi habitum eſt à Legatis ejuſ-
„ dem Papæ anno milleſimo centeſimo nono , in quo prohi-
„ bitum eſt, ne Clerici Laïcis præſtarent homagium. Hæc ſunt
„ verba Canonis : *Ut Clerici nunquam alicui Laïco hominium fa-*
„ *cere præſumant.* Verùm Illuſtriſſimo Archipræſuli aſſentiri
„ non poſſum, nec me movent ejus rationes.

2. RESP. Adeò cautus erat adeòque peritus D. Petrus de Marca, ut Diſſertator nunquam mihi perſuaſurus ſit , Illuſtriſſimum illum Antiſtitem tam aſſeveranter locuturum fuiſſe de Libertate Eccleſiarum Aquitaniæ , niſi fundamentis innixum firmiſſimis. *Aquitaniæ nunc tractanda cauſa eſt* , inquit lib.8. cap. 27. num. 1. *circa quam duo quædam conſtituere poſſumus , quæ veriſſima ſunt , citra omnem controverſiam. Primum , Reges Franciæ nunquàm contendiſſe Jus Regaliæ porrigi ad eam Provinciam. Secundum , ſi Jus illud in uſu illic fuiſſet , ad Duces Aquitaniæ pertinere debuiſſe.* Iſtud ſecundum, utpotè hîc ſibi commodum , admittit P. Alexander, ſaltem de facto, contigiſſe, quamvis nullatenùs cohæret cum doctrinâ quam Articulo 1. §. 1. tradidit , exponens verba illa , *Jus Regium.*

3. Solet ubi vel minimam nanciſcitur cum Regaliâ ſimilitudinem, omnes effingere Regaliæ partes & conditiones , quas recentiores Regaliſtæ excogitârunt. Ego certè id quod à Ludovico Craſſo aboletur, abuſum fuiſſe non dubito , & quidem à Regaliâ diſtinctum. Deerat enim in Aquitaniâ etiam ille prætextus , qui Regaliæ in Provinciis juris conſuetudinarii occaſionem præbuiſſe creditur, conditio ſcilicet feudorum,

 quâ

*Art.*4. quâ ipſorum fructus poſt mortem Vaſſalli uſque ad Succeſſoris
§. 8. Inveſtituram pertinebant ad Dominum.

4. DISSERT. „ Nam de Regaliâ hîc agi, conſtat ex ipſo „ Privilegii titulo in Regeſtis Supremi Senatûs & Cameræ „ Computorum. Secundò, id probatur ex Arreſto Supremi „ Senatûs Pariſienſis lato anno 1277. quo, ſecundùm Literas „ Eduardi Angliæ Regis, pronuntiatum eſt, Regem Angliæ „ tunc Aquitaniæ Ducem REGALIA in Eccleſiâ Burdegalenſi non habere. Et inſpectis quibuſdam ejuſdem Eccleſiæ „ Privilegiis, cuſtodia bonorum Archiepiſcopalium, Sede „ vacante, Capitulô adjudicata eſt. Verba Arreſti hæc ſunt: „ *Viſis quibuſdam Privilegiis Eccleſiæ Burdegalenſis, pronuntiatum fuit per Curiæ noſtræ Judicium, cuſtodiam bonorum Archiepiſcopalium, Sede Burdegalenſi vacante, ad dictum Capitulum pertinere.* Privilegia illa ſunt literæ Ludovici VI. & „ Ludovici VII. Regum Chriſtianiſſimorum: de Regaliæ itaque remiſſione in iis agebatur.

5. RESP. Quid mirum eſt, ſi Libertas ab abuſu, qui cùm Regalia quandam habere videbatur affinitatem, quamvis ab eâ plurimum differret, à Regiis Officialibus exemptio à Regaliâ ſit appellata, & à Senatu habita ut titulus ſufficiens ad arcendam ab Eccleſiis Aquitaniæ Regaliam, quam in eas invehere tentabat Rex Angliæ, tanquàm illius Provinciæ Dux? Nec enim verbum, *Regalia*, legitur in Diplomatis illis, nec in Arreſto Senatûs Pariſienſis *remiſſio Regaliæ* nuncupantur. Appoſitus illis fuit hic titulus, quando in Camerâ Computorum cum aliis Inſtrumentis ſunt ordinatè diſpoſita.

6. Cæterùm licet Senatus Pariſienſis in eo Arreſto anni milleſimi ducenteſimi ſeptuageſimi ſeptimi Diploma Ludovici

vici *Privilegia* nominet ; voce illâ intelligenda tantùm eſt Canonicæ Libertatis vindicatio. Privilegium enim frequenter appellantur exemptiones quælibet, etiam ab oneribus injuſtis. *Canonicam omninò concedimus Libertatem*, inquit ſemel & iterùm in illo Diplomate uterque Ludovicus ; id eſt, à ſervitute ac oneribus per Canones prohibitis liberamus. Ad minùs certiſſimum eſt, non putâſſe Regem Angliæ ſe poſſe vel debere Privilegia illa, quamvis à ſe non conceſſa, revocare : quâ in re meliùs ſenſit,quàm Diſſertator, ſeu Theologi & Juriſconſulti, quorum ſententiam ſe recitare profitetur. *Art.* 4. §. 8.

7. DISSERT. „ Tertiò, Pictavienſia Concilia ſolemnitatem dumtaxat Inveſtiturarum, ſeu donum Epiſcopatûs „ per traditionem annuli, & baculi à Laïcis accipi prohibent, „ & hominii præſtationem : at bonorum temporalium conceſſionem feudorumque Inveſtituram poſt aſſenſum electioni præſtitum, non damnant. Sicut ergo Reges Chriſtianiſſimi, poſtquàm ſolemnitas Inveſtiturarum & hominii exactio à Romanis Pontificibus, & à Synodis, etiam in Galliis habitis, Claromontanâ, Trecenſi, Remenſi damnatæ „ ſunt, nihilominùs Jus conceſſionis bonorum temporalium „ Epiſcopatûs vacantis, & Inveſtituræ feudorum conferendæ novo Epiſcopo, cujus electio ipſis grata eſſet, & qui „ Juramentum fidelitatis eorum Majeſtati præſtitiſſet, conſervârunt, approbante, & æquum judicante Eccleſiâ, ut „ ſuo illo Regio Jure fruerentur : ita Guillelmus Aquitaniæ „ Dux, cùm Inveſtiturarum ſolemnitatem per annulum & „ baculum, & hominii exactionem, ſecundùm Pictavienſium Conciliorum Decreta dimiſiſſet, Regalium Inveſtituram ſervavit. Quartò, cùm Jus Regaliæ diverſum non eſſe „ ab Inveſtituris, quinimò ipſas eſſe Inveſtituras, prout cum

Art. 4. „ Regum noſtrorum conſenſu modificatæ fuerunt in Con-
§. 8. „ ciliis Claromontano, & Remenſi, & à Calliſto II. aſſerat „ Illuſtriſſimus Archipræſul, mirum eſt quâ ratione conten- „ dat nondum eo ævo introductam fuiſſe Regaliam, quo Inve- „ ſtituras obtinuiſſe extra controverſiam eſt.

8. RESP. Non is erat Illuſtriſſimus Archipræſul, qui ſibi tam citò, tam apertè contradiceret. Capite decimo octavo num. undecimo luculenter tradit; *Reditus Patrimoniorum Eccleſiæ vacantis, ac ſpolia Epiſcoporum decedentium, nunquàm pertinuiſſe ad Principes* &c. Imò in ipſomet numero tertio Capitis vigeſimi ſeptimi à. P. Alexandro citato idem aſſerit his verbis: *Non ſolùm autem Comes* (Guillelmus Aquitaniæ Dux, & Pictavorum Comes) *conſenſit adimi ſibi autoritate hujus Canonis* (Synodi Pictavienſis primæ) *Inveſtituram ſpiritualem, ſed etiam retentionem Eccleſiarum. Has enim retineri receptum erat* CITRA USUM-FRUCTUM REDITUUM, *donec Inveſtitura temporalis conceſſa fuiſſet.* Dum ergo ait, Jus Regaliæ diverſum non eſſe ab Inveſtituris, mens ejus eſt, quòd compoſitâ controverſiâ circa Inveſtituras, Principes, Eccleſiâ non refragante, de bonis feudalibus inveſtirent, ſublatis ſcilicet abuſibus propter quos Summi Pontifices & Concilia Inveſtituras profligare tanto conatu contenderant; & in illis Provinciis in quibus mos erat, ut mortuo Vaſſallo Dominus bonorum Feudalium fructus perciperet uſque dum Inveſtituram Succeſſori daret, Principes quoque fructus Feudorum Regalium Eccleſiis collatorum ſuos facerent uſque ad Inveſtituram novorum Præſulum; cùm antea ab illis abſtinerent, ut obſervavit D. Marca lib. 8. de Concord. cap. 27. n. 3. atque hæc prima propriaque fuit acceptio Regaliæ. Poſtmodùm adjunctus eſt uſus-fructus aliorum bonorum Eccleſiaſticorum;

corum; imò decimæ, oblationes atque Beneficiorum colla- *Art.4.*
tio: cùm econtrà, inquit D. Marca cap. 22. num 5. *in il-* §. 8.
lis (Provinciis) *quæ huic Juri Relevii obnoxiæ non ſunt, nihil à Regibus tentatum fuerit quoad uſum-fructum Regalium.*

9. Dabit veniam P. Alexander, ſi ejus ſententiæ anteponamus doctrinam Illuſtriſſimi Archipræſulis rerum Gallicanarum peritiſſimi, Præſidis officio, aliiſque muniis, quæ Regum Chriſtianiſſimorum Jura ignorare non ſinunt, perfuncti, credamuſque, quod aliundè conſtat, Eccleſias retentas fuiſſe à Principibus *citra uſum-fructum redituum:* adeòque fruſtrà deſudâſſe prædictum Theologum in conquirendis teſtimoniis, quibus Principes bona Eccleſiarum vacantium ad ſe recepiſſe probaret, ut hinc Regaliæ, id eſt uſus-fructus omnium redituum, & collationis Beneficiorum praxim admodùm antiquam eſſe inferret. Quapropter futile eſt quod addit.

10. DISSERT. „Quintò, Regaliæ Jus ſub primâ & „ ſecundâ Regum noſtrorum Dynaſtiâ viguit & Chriſtianæ „ Monarchiæ coævum eſt, ut demonſtravimus Articulo ſu- „ periori: falſum igitur eſt quòd ea lex nondum benè recepta „ eſſet in Regno, prout ſcripſit doctiſſimus Archipræſul.

11. RESP. Non ſolùm falſam, ſed etiam chimericam eſſe iſtam reſponſionem conſtat ex iis, quæ hactenùs dicta ſunt.

12. DISSERT. „Sextò, facilè conciliari non poſſunt duæ „ illæ Summi Viri Propoſitiones: Ex eo Ludovici Craſſi & Lu- „ dovici Junioris Privilegio ſequi, uſum Regaliæ non eſſe in- „ troducendum in futurum in Provinciam Burdegalenſem, & „ nihilominùs in eo nequaquàm agi de Regaliâ. Si enim de „ Regaliâ in eo Privilegio non agitur, nihil obſtat quo minùs „ in futurum Jus illud in Provinciam Burdegalenſem introdu- „ catur. Septimò, etſi Privilegium illud valuerit ut à Lege Re-

Art. 4. „ Regaliæ immunes eſſent Burdegalenſis Provincia, & Auſci-
§. 8. „ tana, ſeu Vaſconia, quæ Aquitaniæ Ducibus parebat, Regnantibus Ludovico ſexto, & Ludovico ſeptimo, qui illud „ conceſſerant, & quandiu revocatum à Regibus Chriſtianiſſimis non eſſet: non tamen ut perpetua eſſet ac irrevocabilis hujuſmodi Immunitas. Ea enim eſt Privilegii conditio, ut à ſimili Poteſtate revocari poſſit: neque Reges, cùm „ de Regio Jure aliquid remittunt indultis Privilegiis, Succeſſoribus ſuis legem ſtatuant: cùm Regia Jura nec alienari poſſint, nec præſcribi. Non obſtantibus itaque Illuſtriſſimi „ Archipræſulis conjecturis, conſtat Privilegium à Ludovico „ ſexto Eccleſiis Aquitaniæ indultum, Regaliam ſpectare; ac „ proindè Provincias, Burdegalenſem & Auſcitanam Regaliæ „ legi fuiſſe obnoxias antequàm illo Privilegio donatæ fuiſſent. „ Ex his omnibus confutatum manet Authoris nuperi, qui de „ Regaliâ contra Regis Chriſtianiſſimi Jura ſcripſit, Caput „ octavum libri primi, quo probandum ſibi ſumpſerat, Jus „ Regaliæ ſub prioribus tertiæ Dynaſtiæ Regibus receptum „ non fuiſſe.

13. RESP. Optimum argumentum eſt ad probandum, uſum Regaliæ non eſſe introducendum in futurum in Provinciam Burdegalenſem, quòd ei reſtituta ſit Canonica Libertas circa diſpenſationem redituum Eccleſiarum vacantium. Argumenti vis, quam diſſimulat Diſſertator, hæc eſt: Ludovicus Craſſus repoſuit Eccleſias Aquitaniæ in Canonicâ Libertate bonis ſuis fruendi poſt mortem Epiſcoporum: ergo Regalia, quâ hujuſmodi bonorum uſum-fructum ſibi Principes vendicant, ab illis Eccleſiis arceri debuit, licèt de illâ, utpotè nondum exortâ, non agatur in Diplomate Ludovici.

14. Non fuit autem hæc Libertatis reſtitutio gratuitum Privile-

Privilegium, quod poſſit ad libitum revocari, ut patet attentè perpendenti Inſtrumenti, de quo agitur, rationem & tenorem. Sed, etſi merum Privilegium fuiſſet, ac Regaliæ propriè dictæ remiſſio; certiſſimum eſt, & ab ipſis Regaliſtis, qui antequàm de porrigendâ ad omnes Eccleſias Regaliâ cogitaretur, ſcripſerunt, traditum, nominatim à Ruzæo Privilegio undecimo, quòd *Jus Regaliæ poteſt remitti per Regem.* Poteſtatis revocandorum Privilegiorum ratio aſſignatur, quòd Jura Regia cedi aut præſcribi nequeant. Quæ Doctrina, ſi univerſim intelligatur, revocari poterunt quæcumque à Principibus non ſolùm Eccleſiis, ſed etiam quibuslibet civitatibus & communitatibus, necnon quibuslibet hominibus ſive nobilibus, ſive plebeis conceſſa fuerint: quâ doctrinâ nihil eſt publicæ fidei ac tranquillitati magis pernicioſum. *Art.4. §. 8.*

15. Quapropter turpiſſimum eſt, Theologum officialibus Regiis Libertatem Canonicam Eccleſiarum eo prætextu violantibus patrocinari. In Præfatione proteſtatus eſt, ſe *Regem Chriſtianiſſimum, prout ex officio tenetur, à calumniâ vindicare velle*, quod eum fruſtrà ſuſcepiſſe illìc oſtendimus, cum nemo ſuam Majeſtatem calumniatus ſit, neque de Illâ niſi debito cum honore in tota hâc Controverſiâ locutus ſit. Sed videat ipſe annon hujuſmodi doctrina Glorioſiſſimum Principem graviter offendat, dum ſuam Majeſtatem conjicit in periculum violandi juramenti ab Eâ de conſervando Epiſcopis *Canonico privilegio* in ſuâ inauguratione præſtiti. Sic enim jam à tempore Caroli Calvi in auguſtâ illâ ceremoniâ jurant Reges Chriſtianiſſimi: *Promitto vobis* (Epiſcopis) *& perdono, quòd unicuique de vobis & Eccleſiis vobis commiſſis* CANONICUM PRIVILEGIUM *& debitam legem atque juſtitiam ſervabo: & defenſionem quantùm potero adjuvante Domino, exhibebo,*

Art.4. ſicut Rex in ſuo Regno unicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi com-
§. 9. miſſæ per rectum exhibere debet.

§. NONUS.

De ſpoliis Epiſcoporum decedentium à Ludovico Juniore perceptis.

1. DISSERT. „ Ludovicus Junior Juribus à Patre „ cum Regio nomine ac dignitate ad ſe devolutis „ fruebatur, & inter alia auguſto Regaliæ Jure. „ Ipſum anno milleſimo centeſimo quadrageſimo, „ cùm bona omnia Pariſienſis Epiſcopatûs vacantis in ejus „ eſſent poteſtate Jure Regaliæ, piâ munificentiâ eleëmoſy- „ nam perpetuam conſtituiſſe pro Cathedralis Eccleſiæ lumi- „ naribus, docet ejuſdem Eccleſiæ tabularium. *Rex Ludovi-* „ *cus, Ludovici Groſſi filius, vacante Epiſcopatu, dum uni-* „ *verſa ad ſtatum Epiſcopalem pertinentia in ipſius eſſent poteſta-* „ *te*, &c. Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo, „ cum profectionem in Paleſtinam adornaret, Epiſcopatûs „ Catalaunenſis ſupellectilem Regaliæ Jure fiſco tradi ſolitam, „ Bartholomæo Epiſcopo & ejus ſucceſſoribus liberam dimi- „ ſit, auro, argento, & annonâ ſibi ſervatis. Privilegium iſtud „ editum eſt inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, „ cap. 16. num. 1. pag. 362. *Dilectiſſimi noſtri Bartholomæi Cata-* „ *launenſis Epiſcopi precibus annuentes, ſibi & ſucceſſoribus ſuis* „ *Epiſcopis in perpetuum condonamus, ne poſt deceſſum Catalau-* „ *nenſis Epiſcopi, ſicut antiquæ conſuetudinis hujuſque tenor ha-* „ *buerat, in Domibus Epiſcopalibus quicquid ligneum aut ferreum,* „ *ſive per Nos, ſive per Miniſteriales noſtros, de cætero capia-*

mus,

„ *mus; animalia quoque Epiſcopi, & cætera omnia quæcunque* *Art.* 4.
„ *ad ſupellectilem Domorum Epiſcopalium pertinere dignoſcuntur,* §. 9.
„ *ſub eâdem Immunitate concludimus, præter annonam, vinum,*
„ *aurum, & argentum, quæ omnia juxta vetuſtam conſuetudi-*
„ *nem, & manu & Poteſtate Regiâ retinemus.* Idem Princeps
„ ſimile Privilegium conceſſit Galterio Epiſcopo Laudunenſi,
„ anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, cujus
„ hæc ſunt verba: *Decedente Epiſcopo, in manum Regiam res*
„ *Epiſcopatûs deveniunt. . . . . Decedens Epiſcopus ſicut teſta-*
„ *tus fuerit, ratum erit: & ſi deceſſerit inteſtatus, quod abſit,*
„ *Juris erit Regii aurum & argentum ejus totum, annona*
„ *tota* &c. *Si vacaverit Sedes meſſium tempore, cuſtodes gran-*
„ *giarum retinebunt quod ſufficiat ſeminandis agris. Cæterum Re-*
„ *gii Juris erit, cæterique omnes reditus, præter ea, quæ liberta-*
„ *te donavimus, Juris Regii erunt.*

2. RESP. Digna Religioſo Theologo methodus! Artic. II. in variis §. §. præſertim 13. in medio 15. poſt initium, & 16. circa medium, uſum ſpolia Epiſcoporum decedentium percipiendi, à Regaliâ diſtinguit: ut ſcilicet Regaliam à Canonibus & aliis autoritatibus uſum ſpolii tanquàm ſacrilegum damnantibus intactam fuiſſe defendat. Nunc autem, ut Regaliam in uſu fuiſſe ſub Ludovico Juniore oſtendat, praxim illam uſurpandorum ſpoliorum profert, quaſi idem ac Regalia fuerit. Declamat prædicto §. 16. Articuli ſecundi contra Autorem Tractatûs Appamienſis de Regaliâ, eumque malæ fidei accuſat, quòd hæc duo non diſtinxerit. *Hunc,* inquit, *Trosleiani Concilii locum integrum referre operæ pretium fuit, ut nuperi Autoris qui Tractatum de Regaliâ contra Regia Jura edidit, mala fides comprobetur, qui verum hujus Canonis ſenſum diſſimulat, ideòque verba illius non refert, ne*

Art.4 *fraus ejus pateat omnibus, qui Canonem ipſum attentè legerint,*
§. 9. *animadverterintque, quod facillimum eſt, Trosleianæ Synodi Patres illum condidiſſe, contra illos qui ſpolia Epiſcoporum decedentium diripiebant.* Aut igitur Diſſertator adductis hîc ſpoliorum exemplis, non probat, Regaliam tempore Ludovici Junioris in uſu fuiſſe, aut illam ſub ſecundâ Regum Dynaſtiâ à Concilio Trosleiano, & ſub primâ à Regenſi, quod à Trosleiano citatur, ab Aurelianenſi, necnon à Pariſienſi quinto; ſub tertiâ autem à Pictavienſi & à pluribus aliis omnis ævi Conciliis fuiſſe damnatam fateri cogetur.

3. Certè in Privilegiis ipſis, ut Pater Alexander vocat, ſincero mentis oculo ea conſiderantibus apparent indicia violati antea Eccleſiæ Juris. Nam, verbi gratiâ, Diploma in favorem Eccleſiæ Catalaunenſis datum, cujus hîc fragmentum refertur, ſic incipit : *Inter univerſa quæ agit magnitudo Regalis, nihil religioſius dignoſcitur, quàm quòd Eccleſiarum tranquillitati ſtudet inpoſterùm providere, & Libertatem earum ad honorem nominis Chriſti adaugere :* Quibus verbis inſinuatur, uſum, qui abrogatur, contra tranquillitatem & Libertatem Eccleſiæ inductum fuiſſe. In fine pariter declarat Rex, ſe, quæ ſibi reſervat ex bonis Epiſcopi mortui, retinere non poſſe, ſi Epiſcopus ea teſtamento ſuo aliis reliquiſſet : *Quòd ſi de his præfatæ Sedis Epiſcopus ante obitum ſuum ſub legitimo teſtamento diſpoſuerit, illius ordinationem nec contradicere poſſumus nec debemus.* Si Epiſcopi teſtamentum condentis voluntas ad transferenda in alios bona ex Eccleſiâ provenientia, ſufficit ut Rex ea ſibi vindicare nequeat : multò magis idem efficiet autoritas Canonum ea Eccleſiæ ipſi vel futuro Succeſſori reſervare jubentium ? Verba quidem illa tabularii Eccleſiæ Pariſienſis : *Rex Ludovicus, Ludovici Groſſi filius, vacante Epiſco-*

piſcopatu, dum univerſa ad ſtatum Epiſcopalem pertinentia in Art. 4.
ipſius eſſent poteſtate, aliud à ſpolio ſignificant. Denotant §. 10.
res Epiſcopatûs Pariſienſis in manu Regis fuiſſe, non autem explicant, an ejus reditus ſuos fecerit. Certè D. de Marca illius Eccleſiæ Archiepiſcopus, qui de Regaliâ tam eruditè, támque ſolidè ſcripſit, illud inſtrumentum ad Regaliam prout nunc accipitur non pertinere judicaverat: quandoquidem primum monumentum de Regaliâ mentionem faciens, illud eſſe dixit, de quo in § ſeq. agitur.

§. DECIMUS.

De Regaliâ in Eccleſiâ Pariſienſi.

I. DISSERT. „ Idem Rex in Diplomate dato anno „ mileſimo centeſimo ſexageſimo primo ait, Pa„ riſienſem Epiſcopatum & Regalia poſt mortem „ Epiſcopi Theobaldi in manum ſuam veniſſe, „ ſed nolle ſe in proprios uſus convertere oblationes & reditus „ Altaris Capiceriæ, quas Hederæ donat Monaſterio. Di„ ploma iſtud quod incipit: *Ego Ludovicus*, editum eſt „ Tom. 10. Spicilegii Dacheriani, pag. 648. inter Probatio„ nes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, pag. 362. & Tom. 1. Gal„ liæ Chriſtianæ, in Epiſcopis Pariſienſibus, in Theobaldo. „ Cujus Diplomatis hæc ſunt verba: *Poſt obitum Pariſienſis* „ *Epiſcopi bonæ memoriæ Theobaldi, Epiſcopatus* ET REGA„ LIA IN MANUM NOSTRAM VENIT, *& ſimiliter* „ *Capiceriæ reditus: ſed cùm oblationes & reditus Altaris nol*„ *lemus aſſumere in uſus Regios, Monaſterium Virginale de He*„ *derâ conſpeximus multis indigere, & Sacrarum Virginum indi-*

Art. 4. *„gentiæ ſuccurrere dignum duximus. Notum itaque facimus quòd*
§. 10. *„pro noſtrâ, & Anteceſſorum noſtrorum Regum Franciæ animabus, quicquid capiebamus in Capiceriâ Eccleſiæ Pariſienſis „Sede vacante*, & EPISCOPATU EXISTENTE IN „MANU REGIA, *conventui Sororum de Hederâ, quoties vacaverit Epiſcopatus, donavimus habendum, uſque ad ipſam diem „quâ facta fuerit electio.*

2. RESP. Primum iſtud pro Regaliæ uſu teſtimonium, & omnium antiquiſſimum eſſe notavit Illuſtriſſimus D. Petrus de Marca in Commentario an. 1655. ab ipſo, poſtulantibus Cleri Gallicani Comitiis, edito, eumque ſecutus eſt Autor Tractatûs Appamienſis lib. 1. cap. 9. Quamvis nulla hîc collationis Beneficiorum, quæ præcipua eſt Regaliæ pars, ſit mentio.

3. Cæterùm, cùm nulla proferatur Eccleſiæ, ſine cujus conſenſu induci non potuit, Regaliæ conceſſio, ſed ſolo uſu inducta fuerit quædam ejus præſcriptio; ſitque commune Jurisperitorum effatum: *Tantum præſcriptum quantum poſſeſſum*; quæcunque probationes illius uſus adducentur, pro ſuis tantùm caſibus & circumſtantiis valebunt; quod diligenter obſervandum eſt. Quamvis enim Concilium Generale Lugdunenſe II. Regaliam, etiam fundatione acquiri poſſe judicaverit: attamen cùm nullum extet fundationis Inſtrumentum, quo reſervatum hujuſmodi Jus Regibus Chriſtianiſſimis perhibeatur, patet ſolam Regibus Chriſtianiſſimis ſuffragari poſſe conſuetudinem, nec ultra illam poſſe procedi ſive ut Regalia ad Eccleſias liberas extendatur, ſive ut novo modo exerceatur in Eccleſiis huic oneri ſubjectis.

4. Hoc ſemel obſervato, ut ſcilicet teſtimonia in favorem Regaliæ poſtmodùm à Patre Alexandro citanda ultra ſuos limites

mites non extendantur, magnum fiet compendium, ac bre-*Art.* 4.
vioribus quàm hactenùs, opus erit reſponſionibus. Nec §. 11.
enim negamus poſt hæcce tempora Regaliam in certis quibuſdam Eccleſiis ac Provinciis in uſu fuiſſe: (quanquàm non id probant quæcunque à Diſſertatore deinde referentur) ſed uſum illum omnes conditiones complexum fuiſſe, quæ hodie Regaliæ affinguntur, vel in omnibus Eccleſiis viguiſſe, aut potuiſſe poſt Concilium Lugdunenſe ad illas produci, pernegamus.

5. Itaque teſtimonium hujus §. probat Regaliæ uſum in Eccleſiâ Pariſienſi quoad reditus: non poteſt autem hinc legitimè concludi ejus uſus quoad Beneficiorum collationem; multò minùs quoad alias Eccleſias.

§. UNDECIMUS.

De Eccleſiâ Bituricenſi.

1. DISSERT. „ Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo nono, Rex idem Ludovicus Junior remiſit Archiepiſcopis Bituricenſibus veterem „ conſuetudinem, quâ omnia mobilia in Ædibus „ Archiepiſcopalibus reperta, vi Juris Regaliæ capiebantur. „ Verba Privilegii hæc ſunt: *Noverint univerſi præſentes atque futuri, Nos amore Dei, & pro reverendâ prece jam dicti „ amici noſtri Archipræſulis Petri, Eccleſiæ Bituricenſi domos „ Archiepiſcopales quittâſſe, & in eiſdem domibus liberâſſe „ quicquid de ligno eſt, & ferro, ære quoque & vitro, plumbo „ & ſtanno, plumâ & cori, lanâ, cannabe, & lino, mareſmo, & omnia domorum utenſilia. Liberas eidem Eccleſiæ con-*

Art. 4. §. 11. „ *conceſſimus grangias & in eiſdem grangiis bergerias, boverias, & porcarias, & quamcumque nutrituram, ubicunque eam habuerit, ſalvam eſſe, quantùm ad Regiam ſpectat poteſtatem. De fructibus vero omnium terrarum & vinearum ſuarum, anno obitûs ſui, Archiepiſcopo conceſſimus plenariam poteſtatem faciendi Teſtamenti ſui, & legandi vinum & annonam, & legumina ſecundùm quod voluerit.* Refertur in „ Patriarchio Bituricenſi, Tom 2. Bibliothecæ novæ M S S. „ librorum P. Philippi Labbe l. 1. quàm latè Regia manus, „ apertâ Regaliâ extenderetur, ex hoc aliiſque ſuperiùs relatis „ Privilegiis compertum eſt.

2. RESP. Miſcetur hîc ſpolium cum uſu-fructu bonorum Eccleſiæ vacantis. Itaque ſicut conſtat, nec potuit ipſe P. Alexander diffiteri, prohibitum fuiſſe à ſacris Canonibus, ne quis Epiſcopi decedentis bona diriperet, ſed, ſi ab Eccleſiâ proveniſſent, futuro Succeſſori, aut ipſi Eccleſiæ reſervarentur penes Oeconomum Eccleſiaſticum; ita certum eſt vetitum fuiſſe, ne quis bonorum Eccleſiarum vacantium reditus ſibi vendicaret, atque adeò redituum univerſorum uſurpationem ſaltem in ſui principio, & quamdiu ab Eccleſiâ tolerata non fuit, non minùs fuiſſe injuſtam, quàm bonorum ab Epiſcopo relictorum direptionem. Imò, nonnulli Regaliam in ſuâ origine nihil aliud fuiſſe autumant, quàm ſpolium: quæ opinio ſatis veriſimilis eſt, ſi uſum-fructum bonorum feudalium excipias in Provinciis juris conſuetudinarii, ubi Dominus, vacante Feudo, fructus faciebat ſuos, donec novus Vaſſallus inveſtiretur, ut jam alibi obſervatum eſt.

3. Tam multa in hoc Inſtrumento ad Regem poſt Epiſcopi mortem pertinuiſſe ſupponuntur, ut in eorum enumeratione videre mihi videar, non Jus Regaliæ in Legibus feudalibus,

libus, aut in Jure Cuſtodiæ fundatum, ſed *peſſimam* illam *conſuetudinem* bona Epiſcoporum decedentium, & Eccleſiarum viduatarum expilandi. Quis enim ſibi perſuadeat Reges, ſi tam amplum jus primùm habuiſſent, à multis quæ hîc recenſentur, poſtea fuiſſe abſtenturos? Multiplicantur progreſſu temporis, non minuuntur jura Principum in Eccleſias. *Art.* 4. §. 12.

§. DUODECIMUS.

De Ludovici Junioris Elogio:

1. DISSERT. „Ludovicus Junior, Princeps, ſi „quis unquam erga Eccleſiam & Sedem Apoſtoli„cam devotiſſimus, qui Summos Pontifices In„nocentium II. Eugenium III. & Alexandrum „III. in Galliis honorificentiſſimè & amantiſſimè ſuſcepit, „qui Pontificiam Majeſtatem contra Fredericum Ænobar„dum tuitus eſt, qui S. Thomæ Cantuarienſis & Eccleſiaſti„cæ Libertatis cauſam tam acriter defendit, quem idem S. Ar„chipræſul & Martyr Epiſt. 79. lib: 3. *Virum Deo plenum* prædi„cavit; de quo ſcripſit Epiſt. 86. libri 2. *Eccleſiam venera„tur, & protegit, in Miniſtris ſuis ſuſcipit Chriſtum, & u„niverſorum gratiam benignitate provocat & beneficiis obligat „affectiones. Non ſævit in ſubditos, nec occaſiones Juſtitiæ „prætextu quærit, quibus cruciet pauperes, exhauriat & ſpo„liet copioſos.* Ad quem ſcribebat Alexander III. Epiſt. 30. „Append. 2. *Tu verò Progenitorum tuorum laudabilis Imitator „exiſtens, ut ita paternarum virtutum ſicut & Regni hære„dem te veraciter exhiberes, ad eorum exemplum ſingularem &*

Art. 4. „ *unicam Matrem tuam Sacro-ſanctam Romanam Eccleſiam, ex*
§. 12. „ *quo Excellentiæ tuæ Regnum à Deo commiſſum eſt gubernandum,*
„ *propenſiùs dilexiſti, in preſſuris & neceſſitatibus ſuis ei fideliter*
„ *liter aſſtitiſti, & nihil unquam fuit quod à devotione & ſub-*
„ *ventione ipſius Regium potuerit animum revocare* . . . .
„ *Nullum in toto orbe Principem eſſe credimus, quem Anteceſſo-*
„ *res noſtri & Nos ipſi ampliori affectu diligere teneamur, &*
„ *cui magis à nobis quàm tuæ Celſitudini ſit deferendum.* Cui ab
„ expeditione Sacrâ reduci *cùm quidam Clericus Papale Privile-*
„ *gium attuliſſet, quòd in omni Cathedrali Regni ſui primam va-*
„ *caturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus,*
„ *ille confeſtim combuſſit literas, dicens; Se malle tales combu-*
„ *rere, quàm animam ſuam in inferno torqueri:* Ut refert
„ Thomas Walſinghamus in Ypodigmate Neuſtriæ: Prin-
„ ceps (inquam) adeò religioſus Regaliam non exercuiſſet,
„ nec ſibi Jus illud tribuiſſet, niſi fuiſſet legitimè quæſitum:
„ & ſi quid hâc in re uſurpâſſet, Alexander III. Pontifex vi-
„ gilantiſſimus, S. Bernardus Vir Apoſtolicæ Libertatis, Su-
„ gerius Abbas piiſſimus & prudentiſſimus, cujus conſiliis &
„ operâ in Regni adminiſtratione plurimùm utebatur, ipſum
„ admonuiſſent arguiſſentque, quòd novum Jus ſibi tribue-
„ ret, novum inventum ſuperioribus Regibus incognitum,
„ Eccleſiæ grave invexiſſet. At non ſolùm ſiluerunt, ſed S.
„ Bernardus & Sugerius hunc morem ceu legitimum appro-
„ bavêre. Alexander III. à reprehenſione Regaliæ, quam exer-
„ cebat Rex Chriſtianiſſimus, procul aberat, qui hanc Angliæ
„ Regi competere agnoſcebat: cùm tamen ante Willelmi I.
„ tempora Jus iſtud ſibi non tribuiſſent Anglorum Reges, & è
„ Galliâ in Angliam à Normanniæ Ducibus iiſdemque Angliæ
„ Regibus invectum eſſet.

2. RESP. Quibuſcumque dotibus prædicus fuerit Ludo- *Art.4.*
vicus Junior, nec impeccabilis, nec à peccato immunis fuit. §. 12.
Quantumvis Eccleſiæ in occaſionibus à P. Alexandro recenſitis faverit; non eodem ſemper affectu illam proſecutus eſt, ut videre licet in Epiſtolis S. Bernardi à Diſſertatore §. 14. referendis, ubi præcipuè notanda ſunt hæc verba Epiſt. 122. *Quo Jure obſecro, de quo jure præſumit, ut Eccleſiarum poſſeſſiones & terras devaſtet, ut Chriſti ovibus paſtores præfici non permittat, ut his quidem electorum promotionem prohibeat, aliis verò, quod hactenùs inauditum eſt, dilationem electionis indicat, donec univerſa conſumpſerit, donec diripuerit pauperum facultates.* Num hæc culpâ vacâſſe ſuaderent, quæ de Ludovico narravit P. Alexander? Num Regaliam ad omnes Eccleſias Galliæ protendi poſſe inferemus, ex eo quòd Ludovicum Juniorem alicujus Eccleſiæ vacantis fructus percepiſſe legimus, etiam ſilentibus S. Bernardo, & Sugerio, imò Alexandro III. id fortè ignorante, aut, quòd uſus ille non latè pateret, cum prædictis Abbatibus diſſimulante? An autem Alexander III. Regaliam Regi Angliæ competere agnoverit §.16. examinabitur.

3. Avertat Deus à Rege Chriſtianiſſimo conſilium in omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis ea omnia ſibi vendicandi, quæ in paragrapho ſuperiori enumerata ſunt. Vereor enim ne non deeſſent Theologi ac Juriſconſulti ſimiles Patri Alexandro, aſſerentes id Majeſtati ſuæ licere, quantumcumque à Regaliæ naturâ, imò ab omni juſtitiæ ratione abſit. Eximeretur ſuæ Majeſtati ſcrupulus exemplo Ludovici Junioris, Principis tam multis nominibus laudati, & doctrinâ traditâ §. 8. hujus Articuli, ubi Diſſertator ait: *Neque Reges, cùm de Regio Jure aliquid remittunt indultis Privilegiis, Succeſſoribus ſuis le-*

Art. 4. §. 12. *legem ſtatuant, cùm Regia Jura nec alienari poſſint nec præſcribi.* At nunquam exiſtimabit Rex Chriſtianiſſimus, ſuum eſſe Jure Regaliæ, *quidquid in domibus* (Epiſcopalibus poſt mortem Epiſcoporum) *de ligno eſt, & ferro, ære quoque & vitro, plumbo & ſtannò, pluma & corio, lana, cannabe & lino, mareſmo, & omnia domorum utenſilia, bergerias, boverias, & quamcumque nutrituram, fructus omnium terrarum & vinearum* (*Epiſcopi*) *anno obitûs ſui, vinum & annonam & legumina.* Melius, meo quidem judicio, & de Ludovico ſeptimo ſeu Juniori, & de Ludovico XIV. ſentiunt, qui exiſtimant Ludovicum ſeptimum, dum Canonicam Libertatem reſtituit Eccleſiis Aquitanicis, ſeu à Ludovico ſexto reſtitutam confirmavit, dum ſpoliis Epiſcoporum renunciavit, dum Capiceriæ reditus Monaſterio applicavit, aliaque ſuprà relata præſtitit, pietatis ſimul & juſtitiæ inſtinctu ductum fuiſſe, agnoviſſeque, non Jura Regia illa eſſe, ſed Eccleſiaſtica, atque adeò illis renunciâſſe, ut conſcientiæ ſuæ ſecuritati & quieti conſuleret. In hoc autem imitandum à Glorioſiſſimo Rege Ludovico XIV. ubi clariùs perſpexerit, quàm pravum fuerit à ſuis Officialibus ſibi datum Regaliam ad tam multas Eccleſias, contra Canonicam illarum Libertatem, contra morem ſuorum Prædeceſſorum, contra omnia denique jura extendendi, conſilium. Sed religioſior erat Ludovicus ſeptimus, quàm Ludovici XIV. Theologi, & Juriſconſulti. Ille enim combuſſit Privilegium Pontificium; quo ſibi permittebatur, *ut in omni Cathedrali Regni ſui primam vacaturam haberet cum fructibus medio tempore provenientibus dicens, ſe malle tales comburere literas, quam animam ſuam in inferno torqueri:* Hi verò nequaquàm timent, ñe Regis Chriſtianiſſimi, adeòque ſuæ ipſorum ſaluti quidquam officiat, ſi ſua Ma-

Majeſtas, ipſis conſulentibus, in majori Regni ſui parte propriâ ſibi autoritate vendicet univerſum uſum-fructum Epiſcopatuum vacantium, & collationem omnium Beneficiorum curam animarum non habentium. *Art.4. §.13.*

§. DECIMUS TERTIUS.

De teſtimonio S. Bernardi in favorem Regaliæ.

1. DISSERT. „Jus, inquam, Regaliæ, ac illius „ uſum prout illis temporibus exercebatur, ap- „ probavit S. Bernardus. Scribens enim ad Ludo- „ vicum ſeptimum Regem Chriſtianiſſimum in „ gratiam Monachi ad Epiſcopatum Lingonenſem electi, E- „ piſt. 170. his verbis Majeſtatem ejus alloquebatur: *Electio* „ *ritè celebrata eſt, Electus fidelis eſt. Non autem eſſet fidelis,* „ *ſi veſtra, & non per vos habere vellet. Necdum prorſus ſe in-* „ *tromiſit de aliquo; quanquam invitatio Cleri & Populi, op-* „ *preſſorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementiſſimè* „ *flagitarent.* Et Epiſt. 164. de altero loquens qui ad Epiſco- „ patum electus erat, ait: *Feſtinavit ad Regem,* REGA- „ LIUM INVESTITURAM ACCEPIT. Idem, „ vel alius Autor Sermonis ad Paſtores, qui inter ipſius opera „ legitur: *Duplex eſt dominium* Prælatorum. *Habent enim cla-* „ *ves Eccleſiæ . . . . . . Habent, &* REGALIA, *quia* „ *Domini ſunt urbium, oppidorum. Nec ſolùm Epiſcopatus, ſed* „ *& Conſulatus* (id eſt Comitatus) *habent. Ut meritò eis dicatur?* „ *Quid ultra debui facere, & non feci?*

2. RESP. Nulla hîc mentio fit uſus-fructûs aut collationis Beneficiorum, quæ ſunt propriæ Regaliæ partes; ſed tan-

 tùm

Art. 4. §. 14. tùm Inveſtituræ ſeu conceſſionis feudorum. Obſervat autem Illuſtriſſimus D. Petrus de Marca de Concord. lib. 8. cap. 27. num. 3. ſuprà citato, quòd Eccleſiæ à Principibus retinebantur CIRCA USUM-FRUCTUM REDITUUM, *donec Inveſtitura temporalis conceſſa fuiſſet.*

3. Sed quod genus Philoſophandi? Ex Autore Sermonis ad Paſtores, *Prælati habent Regalia, Domini ſunt urbium, & oppidorum*: ergo Rex Chriſtianiſſimus habet Jus Regaliæ. Parcendum fuiſſet Lectorum patientiæ, prætermiſſis ejuſmodi tam ineptis argumentis.

§. DECIMUS QUARTUS.

Mens S. Bernardi circa Ludovicum Juniorem, Eccleſias & electos Epiſcopos vexantem.

1. DISSERT. „Non eſt diſſimulandum, S. Bernardum Epiſtolis 122. & 124. Ludovicum Juniorem, quem Puerum Regem vocat, durioribus verbis perſtringere ob Eccleſiarum vacantium bona direpta & diſſipata; ſed Regaliæ Jus legitimumque uſum Abbati Sanctiſſimo probatum fuiſſe confirmat uterque locus, unum abuſum inſectatur ac damnat, quòd ſcilicet Epiſcopatuum vacationem protraheret, ut diutiùs reditibus frueretur, quos in ſeculares uſus, nullâ publicæ rei neceſſitate poſtulante convertebat, & Comitibus uſum-fructum & Oeconomatum Epiſcopalium bonorum concedebat, qui fructibus non contenti, terras Eccleſiæ vaſtabant, & colonos, hominesque Eccleſiæ vexabant Epiſt. 122. ad Joslenum Sueſſionenſem Epiſcopum, & Sugerium Abbatem:

„ tem : *Habeat Rex adverſus Comitem Jus : ſed & de quo jure* Art. 4.
„ *præſumit ut Eccleſiarum poſſeſſiones & terras devaſtet , ut* §. 14.
„ *Chriſti ovibus Paſtores præfici non permittat , ut his quidem E-*
„ *lectorum Promotionem prohibeat : aliis verò (quod hactenùs*
„ *inauditum eſt) dilationem electionis indicat , donec univerſa*
„ *conſumpſerit , donec diripuerit pauperum facultates , donec*
„ *penitùs deſoletur terra ?* Epiſt. 224. ad Stephanum Præneſti-
„ num Epiſcopum : *Conculcantur apud nos Sancta , Eccleſia*
„ *turpitèr ancillatur. Nam & electiones Epiſcoporum prohiben-*
„ *tur fieri , & ſicubi id præſumptum à Clericis fuerit , Electus*
„ *Epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitiâ Eccleſia Pa-*
„ *riſienſis proprio deſtituta Paſtore , & nemo eſt qui de ſubſtituen-*
„ *do alio mutire audeat. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus*
„ *Domos Epiſcopales : etiam in terras & in homines manus ſa-*
„ *crilega circumquàque deſævit , totius anni ex eis reditus ſibi*
„ *vendicando. Veſtra Catalaunenſis fecit quidem electionem , ſed*
„ *qui electus eſt , ecce jam diebus multis debito honore fruſtra-*
„ *tur , & ſcitis quàm non abſque gravi gregis dominici detri-*
„ *mento. Commiſit Rex germano ſuo Roberto vices Epiſcopi ; &*
„ *ille in cunctis terris rebuſque Eccleſiæ poteſtativè verſans , &*
„ *pro vice ſuâ ubique haud ſegniter agens , infert Cælis quotidia-*
„ *nas hoſtias , non pacificas , clamores pauperum , lachrymas vi-*
„ *duarum , planctus orphanorum , gemitus compeditorum , &*
„ *ſanguinem interfectorum. Verùm anguſtus eſt malitiæ ejus ille*
„ *Epiſcopatus. Remenſem invadit , atque in terrâ Sanctorum ini-*
„ *qua gerit , non Clericis , non Monachis , non Sanctimonialibus*
„ *parcens. Denique S. Mariæ , S. Remigii , S. Nicaſii , S. Theo-*
„ *dorici terras fructiferas , & villas populoſas ita in ore gladii*
„ *devaſtavit, ut penè in ſolitudinem redegerit univerſas. Frequens*
„ *omnium auribus vox : Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei.*

Et

Art. 4. „ Et Epiſt. 22. ad ipſum Regem : *Non ſilebo, quòd illicitum*
§. 14. „ *illud maledictumque Juramentum inconſultiſſimè uſurpatum à*
„ *vobis contra Bituricenſem Eccleſiam (pro quo, heu! tot &*
„ *tanta mala jam nunc meritò provenerunt) non ita tandem cor-*
„ *rigitis, ut Chriſti ovibus apud Catalaunum Paſtorem præfici*
„ *non ſinatis: inſuper & Fratri veſtro, ejuſque Militibus ſa-*
„ *gittariis baliſtariiſque, Domos Epiſcopales contra jus & fas*
„ *inhabitandas, & res Eccleſiæ in hujuſmodi nefarios uſus profli-*
„ *gandas, audacter nimium exponitis. Dico Vobis, non erit diù in-*
„ *ultum, ſi hæc ita facere pergitis.*

2. RESP. Vides Ludovicum Juniorem non eam ſemper Eccleſiis earumque bonis reverentiam præſtitiſſe, quam poſtulant res Deo conſecratæ. Non in omnibus exempla laudabiliter à ſuis Succeſſoribus imitanda præbuiſſe: non eas ſemper laudes meruiſſe, quibus eum P. Alexander §. 12. extulit.

3. Obſervare potuiſti variis in locis Lector, & rurſus hîc potes, animum Aulæ Regiæ placere cupientem, etiam cum Eccleſiæ Jurium detrimento. Quis enim Ludovicum Juniorem non culpet, quod Eccleſiaſtica bona devaſtaverit, aut aliis devaſtanda tradiderit, quâcumque tandem ratione id fecerit? At P. Alexander eo nomine illum non damnat, quòd Epiſcopatuum, quorum vacationem protrahebat, reditus in ſeculares uſus converteret, ſed quòd hoc fecerit *nullâ publicæ rei neceſſitate poſtulante*: quibus verbis in aliis ſimilibus facinoribus referendis utitur. Unde ſi *aliqua publicæ rei neceſſitas poſtulet* (vix autem continget unquam ut nulla ſit in Regno publica neceſſitas) poterunt Reges ſuis Militibus aliiſve adjutoribus aut Miniſtris Eccleſiarum reditus diſtribuere; ac Caroli Calvi aliorumque Regum ſcrupulum deridere, qui ſe reos fate-

ſatebantur, licèt *magnâ neceſſitate & per omnia* inviti hujuſmodi licentiâ uſi fuiſſent. Vide Art. 2. §. 12. Art. 4. §. 14.

4. Attamen ex Ludovici in Eccleſias injuriis P. Alexander putat elicere ſe poſſe Jus Regaliæ. Quâ verò ratione?

5. DISSERT. „ Certè niſi Rex uſum-fructum bono„ rum Eccleſiaſticorum vacante Sede jure ſibi vendicâſſet, diù „ vacantes Epiſcopatus ex induſtriâ non reliquiſſet, ut rediti„ bus diù frueretur. Unde S. Bernardus rem inauditam eſſe „ non ait, ut Rex vacantis Epiſcopatûs bona ſub manu ſuâ „ teneat, fructuſque ſuos faciat, donec novus Epiſcopus „ Juramentum fidelitatis præſtiterit, & ab ejus Majeſtate miſ„ ſus in poſſeſſionem hujuſmodi bonorum fuerit; ſed inaudi„ tum eſſe, ut differatur electio, ut retardetur conſecratio, eo „ conſilio ut diutiùs percipiantur fructus; inauditum eſſe quòd „ in nefarios uſus profligandi exponantur.

6. RESP. Satis apertè ſignificat S. Bernardus, non niſi injuſtè reditus bonorum Eccleſiaſticorum à Ludovico uſurpatos, nullo interpoſito diſcrimine inter tempus, quo Eccleſiæ ſine ipſius culpâ vacabant, & illud quo ipſe electiones fieri, aut factas ſuum effectum conſequi non ſinebat. Quid enim aliud ſibi volunt hæc verba: *Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus Domus Epiſcopales: etiam in terras & in homines manus ſacrilega circumquàque deſævit, totius anni ex eis reditus ſibi vendicando?* Nonne verba illa: *Non ſufficit ſpoliari*, uſum illum ſpolii injuſtum fuiſſe indicant: ſequentia verò; *Etiam in terras & in homines manus ſacrilega circumquàque deſævit, totius anni reditus ex eis ſibi vendicando*, adhuc iniquiùs S. Bernardo viſum, quòd Rex bonorum Eccleſiaſticorum reditus perciperet eò quòd magis propriè, quàm Epiſcopi ſupellex, ad Eccleſiam pertinere viderentur? Ubi au-

*Art.*4. tem eſt diſtinctio temporis, quo Eccleſiæ ſine culpâ Ludovici
§..14. vacabant, ab eo, quo ipſe electionem impediebat?

8. DISSERT. „ Videtur denique S. Bernardus paulò „ duriùs ad Ludovicum Regem ſcripſiſſe, quòd à bello geren- „ do cum Theobaldo Campaniæ Comite deterrere non poſſet „ ejus Majeſtatem. Theobaldo amiciſſimus erat S. Bernardus, „ ut ipſe S. Bernardo addictiſſimus. Pacem, quam optabat „ Comes, Sanctus Abbas promovere & conciliare ſatagebat. „ Rex ob politicas rationes, quæ S. Bernardum fortè latebant, „ pacem concedere nolebat conditionibus, ut credere par eſt, „ non ſatis æquis, & quibus Majeſtatis ſuæ juribus & honori „ non ſatis conſultum videretur. Theatrum belli Campania „ erat, Belgiumque. Vacabant Catalaunenſis & Remenſis „ Epiſcopatus. Durante bello commodè illis Eccleſiis provi- „ deri non poterat. Regis intererat Epiſcopos ibi deſignari, „ quorum de fidelitate certus eſſet. Interim Princeps Rober- „ tus Regis frater cum copiis Catalaunum Remoſque fatiga- „ bat. Ipſi reditus vacantium Epiſcopatuum in ſubſidium „ belli Rex conceſſit. Nimiâ licentiâ copias ſuas in illis civita- „ tibus agriſque graſſari permiſit Regis frater. Hæc S. Bernar- „ do conquerendi ratio, ſi tamen falſis relationibus circum- „ ventus non fuit: quod ut ſuſpicemur efficiunt verba illa, „ quibus Epiſtolam exorditur: *Scripſeram Regi, arguens* „ *eum ſuper malis, quæ fiunt in Regno ejus, ipſius* (*ſicut dici-* „ *tur*) *aſſenſu. Et quod reſcripſi, dignum duxi vobis, qui de* „ *Conſilio ejus eſtis, inſinuandum.* Data eſt Epiſtola ad Joſle- „ num Sueſſionenſem Epiſcopum, & Sugerium Abbatem. „ Hi Regi à Conſiliis erant Sanctioribus, & rationes ejus „ magis forſân ipſis erant perſpectæ, quàm S. Bernardo, qui „ ipſos alioqui ſibi amiciſſimos zelo ſeveriſſimo coarguit. *Nam*

„ *Nam & vos ipſi* (inquit) *ſi pacem deſideratis Eccleſiæ, ſicut* Art. 4.
„ *oportet filios pacis: quomodò non dicam tractatis ea, ſed vel* §. 14.
„ *intereſtis Conſiliis tam malignis? Quicquid enim mali fece-*
„ *rit, meritò non Regi Juveni, ſed Conſiliariis Senibus imputa-*
„ *tur.* Ut ut eſt, ſi quid in his peccavit Ludovicus Junior, &
„ ſuo Regaliæ Jure verè abuſus eſt; quin id emendaverit nullus
„ eſt dubitandi locus, cùm ejus pietas tam illuſtribus teſtimo-
„ niis celebrata ſit.

9. Resp. Quis auditâ P. Alexandri defenſione Ludovicum innocentem non omninò judicet? *Unum abuſum inſectabatur ac damnabat* (S. Bernardus) *quòd ſcilicet Epiſcopatuum vacationem protraheret* (Ludovicus) *ut diutiùs reditibus frueretur, quos in ſeculares uſus, nulla publicæ rei neceſſitate poſtulante convertebat.* Sed quod ſpectat ad Epiſcopatuum vacationem; *durante bello commodè illis Eccleſiis provideri non poterat. Regis intererat Epiſcopos ibi deſignare, quorum de fidelitate certus eſſet.* Quoad reditus verò *publicæ rei neceſſitas poſtulabat, ut in ſeculares uſus converterentur.* Nam *Rex ob politicas rationes pacem concedere nolebat, conditionibus, ut credere par eſt, non ſatis æquis, & quibus Majeſtatis ſuæ juribus & honori non ſatis conſultum videretur . . . . . reditus vacantium Epiſcopatuum in ſubſidium belli Rex conceſſit.*

10. Duriùs quidem ſcripſit S. Bernardus ad Ludovicum ſeptimum, quàm liceat hodie Abbatibus aut Epiſcopis, aut aliis quibuſcumque Reges alloqui. An autem idcirco Sanctum illum Abbatem tantâ credemus fuiſſe animi perturbatione pro ſuo erga Theobaldum affectu commotum, ut Regem injuriam Eccleſiis inferre falsò ſibi perſuaſerit: ac in deſcribendis illis injuriis, quæ non niſi publicæ ac notoriæ eſſe poterant, & in nominandis Eccleſiis ac perſonis incer-

Art. 4 to aliquo rumore fuiſſe deceptum : aut demùm Jura Re-
§. 14. gia, ſacrilegia nominâſſe; & propter illa Dei ultionem minitatum eſſe?

11. At, inquiet P. Alexander, ſaltem incertum erat an ex conſenſu Regis tanta bonis Eccleſiaſticis inferrentur damna; eâque de re dubitâſſe videtur S. Bernardus, ut innuunt hæc verba (ut dicitur). Verùm cùm Epiſtola 222. in quâ habentur hæc verba, ſcriberetur ad eos, quorum conſiliis plerùmque Ludovicus utebatur, principio temperandus erat ſtylus aliquâ dubitationis ſpecie, quæ tamen veritatem aut ſinceritatem non offendebat; plurima enim & Eccleſiis & Laïcis damna inferebantur, ex quibus poterat Rex nonnulla ignorare. Quòd autem Eccleſiis non præficerentur Epiſcopi; quòd vacantium Eccleſiarum fructus interim diriperentur, non poterat Regem fugere. Adde quòd in Epiſtolâ 224. ubi eadem mala commemorantur, S. Bernardus nullum edidit ſignum dubitationis.

12. Viderit autem P. Alexander annon in ipſum, dum Regiam declarationem Regaliam ad Eccleſias liberas extendentem defendit, cadat hæc S. Bernardi in prædictâ Epiſtolâ 224. ſententia : *Conſulere talia manifeſtè ſchiſma fabricare eſt, Deo reſiſtere, Eccleſiam ancillare, & novam in ſervitutem Eccleſiaſticam redigere Libertatem.*

§. DE-

Art. 4. §. 15.

§. DECIMUS QUINTUS.

De Regaliæ uſu ſub Sugerio, Regni Galliæ, abſente Ludovico Juniore, Adminiſtro.

1. DISSERT. „ Sugerium Juris Regaliæ ſub Ludo-„ vico Juniore teſtem & approbatorem alterum „ profero, Epiſtola 14. ad Capitulum Carnoten-„ ſe. *Novit Diſcretio veſtra* (inquit) *quòd glorio-„ ſus Rex Francorum Ludovicus cariſſimus Dominus noſter famo-„ ſam peregrinationem amore Dei ſuſcipiens, Archiepiſcoporum „ & Epiſcoporum, ac Regni Optimatum conſilio, nec ſine Do-„ mini Papæ aſſenſu, curam adminiſtrationis Regni ſui nobis com-„ miſit. Et quoniam ex debito officii ea quæ ad Regnum ſpectant „ diligenter perquirere, & fideliter nos oportet conſervare: præ-„ ſentium latores Nuncios noſtros ex parte Domini Regis* AD RECIPIENDA ET CONSERVANDA REGALIA, *Dilectioni veſtræ „ delegamus: rogantes ut in quibus oportuerit, tanquàm Regni „ fideles, donec Eccleſiam veſtram tanto & tam glorioſo Paſtore „ viduatam, divina miſericordia Idoneo Succeſſore conſueto ordi-„ ne conſoletur, fideliter adjuvetis. Quantò ſiquidem Regni æter-„ ni amplificationi operoſiùs innititur, tantò ſuum ſibi integrè „ conſervari potiſſimum meretur.* Regaliam partem eſſe Regii „ Juris, quâ ſine Regnum integrè non conſervetur, docet Su-„ gerius Abbas.

2. RESP. Hoc Sugerii teſtimonium neque theſim generalem adſtruit; quòd ſcilicet Regalia potuerit ad omnes Regni Eccleſias extendi, cùm hîc de Eccleſiâ tantùm Carnotenſi agatur, quam illi oneri ex antiquâ conſuetudine obnoxiam non nega-

Art.4. negamus ; neque plenè reſpondet hujus Articuli titulo, qui
§. 15. eſt : *Utrum Jus Regaliæ in totâ amplitudine ſuâ, quatenùs ſcilicet uſum-fructum redituum Eccleſiæ vacantis, & Beneficiorum collationem complectitur, Reges tertiæ Dynaſtiæ ante Concilium Lugdunenſe exercuerint, illudque agnoverit & approbaverit Eccleſia?* cum nulla hîc fiat collationis Beneficiorum mentio : nulla approbationis Eccleſiæ : imò nec uſûs-fructûs bonorum Eccleſiaſticorum. Verba autem illa quæ grandioribus characteribus, tanquàm Diſſertatoris mentem efficaciùs probantia, ſcilicet, *ad recipienda & conſervanda Regalia*, ſola feuda denotant. Nec movet, quòd Sugerius Regis intereſſe inſinuet, ut Regalia recipiantur & conſerventur. Nam etſi Rex fructus univerſos, vel etiam illos qui ex feudis proveniunt, ſuos non faceret, commoda illi erat bonorum cuſtodia, ſeu ſubſequens Inveſtitura, propter illam, quam ſuprà ex Goffrido Vindocinenſi notavimus, rationem; quia nimirùm hoc pacto ſibi Epiſcopos arctiùs devincebat, ſubjiciebatque.

3. DISSERT. „ Decanus & Capitulum Carnotenſis Ec„ cleſiæ ad eumdem Abbatem tunc Regni Adminiſtrum, dum „ Rex Ludovicus Junior in Tranſmarinâ expeditione verſa„ batur, de Gosleni electione ita ſcribunt : *Acceptâ à vobis „ Regiâ licentiâ loco Domini Regis, die ſtatutâ convenimus in „ Capitulum noſtrum, & invocatâ Sancti Spiritûs gratiâ, pari „ voto unanimique conſenſu elegimus nobis & Eccleſiæ noſtræ in „ Epiſcopum Domnum Goslenum Archidiaconum noſtrum, virum „ utique liberalem, idoneum, & literatum : idipſum appro„ bantibus viris religioſis Abbatibus qui præſentes erant, omni„ que applaudente populo, & Deo gratias referente ſuper electio„ ne talis perſonæ, quæ utilis eſſe creditur Eccleſiæ, & Regno fidelis.*

„ *delis. Rogamus igitur ut huic noſtræ electioni aſſenſum præbere* Art. 4.
„ *&* ELECTO NOSTRO REGALIA REDDERE VICE DOMINI §. 15.
„ REGIS DIGNEMINI.

„ Ad illos reſcripſit Sugerius Epiſt. 20. *Nos quantùm ex parte* „ *Domini Regis, cujus vices agimus, facere habemus, huic electio-* „ *ni libenter aſſenſum præbemus. De Regalibus verò ſicut in Curiâ* „ *Dominorum Regum Francorum Mos antiquus fuiſſe dignoſcitur,* „ *cùm Epiſcopus conſecratus, & in Palatium more Canonico fue-* „ *rit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic eſt enim reddi-* „ *tionis ordo & conſuetudo, ut, ſicut diximus, in Palatio ſtatutus* „ REGI ET REGNO FIDELITATEM FACIAT, ET SIC DE- „ MUM REGALIA RECIPIAT.

4. RESP. Nulla hîc quoque collationis Beneficiorum, nulla approbationis Eccleſiæ, imò nec uſûs-frùctus omnium bonorum Eccleſiaſticorum mentio, ſed tantùm Inveſtituræ, quæ & ad Regalia, id eſt feuda à Regibus conceſſa, reſtringitur, & citra uſum-fructum fieri potuiſſet. Denique de ſolâ Eccleſiâ Carnotenſi eſt ſermo, quæ, ut diximus, Regaliæ ſubjacet.

5. DISSERT. „ Collatio Præbendarum fiebat à Rege „ apertâ Regaliâ, ut conſtat ex Epiſtolâ Theobaldi Bleſenſis „ Comitis ad eumdem Sugerium, quæ eſt inter iſtius Abbatis „ Epiſtolas 38. *Relatum eſt nobis*, inquit, *quòd exigitis ab E-* „ *piſcopo Carnotenſi Capiceriam Carnotenſis Eccleſiæ, quia eam* „ DE REGALI *eſſe aſſeritis, quam Gaufredus bonæ memoriæ Epi-* „ *ſcopus in manu ſuâ tenebat, quando à ſeculo migravit. Unde* „ *vobis notum fieri volo, quòd* REGALE *Carnotenſis Epiſcopatûs* „ *de Rege in feodum teneo cum alio feodo meo, ita quòd decedente* „ *Epiſcopo,* REGALE *Epiſcopatûs meum proprium eſt, quouſ-* „ *que alius ſubſtituatur. Et ideò vos rogo, & pro* REGALI,

quod

Art. 4. „*quod meum eſt, Capiceriam ab Epiſcopo non requiratis;*
§. 15. „*ſed ſi eam precibus ab Epiſcopo quæſieritis, inde me non in-* „*tromitto.*

6. RESP. Non videtur Capiceria hîc, & ſuprà paragrapho decimo, pro Beneficio ſumi, ſed pro bonis unde percipiebantur, quæ neceſſaria erant ad emendam ceram & alia pro celebrandis Divinis Officiis: unde Ludovicus Junior in diplomate relato in prædicto §. decimo; non dixit Capiceriam, ſed *Capiceriæ reditus* in manum ſuam veniſſe: nec Se Capiceriam contuliſſe, *ſed qnidquid capiebat in Capiceriâ Sede vacante, donâſſe.* Sugerius etiam non Capiceriam conceſſiſſe dicitur, ſed eam exegiſſe ab Epiſcopo Carnotenſi, de Regali eſſe aſſerens, id eſt conſtare feudis Regalibus. Unde patet, Capiceriam non fuiſſe Beneficium ad Epiſcopi Collationem pertinens, ſed potiùs officium Epiſcopatui annexum, quandoquidem, vacante Sede Epiſcopali, vacabat, plenâ Sede ab Epiſcopo poſſidebatur. Præterea fuiſſet admodùm irregulare, ut Epiſcopi in Eccleſiâ ſuâ Beneficium dignitati Epiſcopali non unitum poſſiderent.

7. Ex hoc teſtimonio ad ſummum concluderetur, Comitem Bleſenſem, poſt mortem Epiſcopi Carnotenſis, Regale, id eſt fructus bonorum feudalium Eccleſiæ Carnotenſi à Regibus conceſſorum, recepiſſe; idque ex conceſſione Regis ad quem illi fructus pertinuiſſent, vacante Sede, ex quo feuda Eccleſiis data ſubiecta erant huic oneri, ſicut feuda Laïcalia in illa Provinciâ, quæ jure conſuetudinario regebatur: ſed hoc Regaliam non appellabit P. Alexander, ſi in definitione Regaliæ à ſe traditâ, & in titulo hujus Articuli ſtet; licèt principio Regalia ſolam fructuum bonorum feudalium perceptionem complexa ſit.

8. DISSERT. „Viromandenſis Comes ad eumdem Abba-

„ Abbatem Regni Adminiſtrum ſcribit : *Belvacenſes Clerici* Art. 4.
„ *pro electione Domini Henrici Romam properant ad Apoſtolicum*, §. 15.
„ *& ad perficiendum hoc opus pecunia eſt neceſſaria. Rogat autem*
„ *Domina Regina & vos & me, ut de reditibus Epiſcopatûs ex*
„ *aliquâ parte eis indulgeamus.* Reditus itaque vacantis Epiſco-
„ patûs ſub manu Regiâ fuiſſe, non ut eos reſervaret Succeſ-
„ ſori, ſed ut eis pro beneplacito ſuo, ſervatis æquitatis &
„ pietatis legibus uteretur, certiſſimum eſt. Sugerius, quem
„ S. Bernardus *Magnæ Domûs Magni Regis vas in honorem apud*
„ *Eccleſiam Gallicanam haberi prædicat*; *quem in temporalibus*
„ *fidelem & prudentem, & in ſpiritualibus ferventem & hu-*
„ *milem, in utriſque ſine reprehenſione verſari ſcribit*; *quem*
„ *apud Cæſarem tanquàm unum de Curiâ Romanâ, apud Deum tan-*
„ *quàm, unum de Curiâ Cæli* eſſe ait; talis, inquam ac tantus vir,
„ Jus Regaliæ vice Regis exercuit, moremque antiquum eſſe
„ teſtatus eſt in Curiâ Regum Francorum, ut Regia manus à
„ reditibus Eccleſiæ vacantis non amoveretur, donec electus
„ Epiſcopus in Palatio per ſe Regi & Regno Sacramentum
„ Fidelitatis præſtitiſſet : nec ſolùm quoad uſum-fructum re-
„ dituum, ſed etiam quoad Collationem Præbendarum, Rega-
„ liam Jus eſſe Regium profeſſus eſt, quod ut Regni Admini-
„ ſter ac Regens Regi integrum conſervare tenebatur.

9. RESP. Cùm Eccleſiarum vacantium bona tunc temporis à Principibus adminiſtrari incepiſſent, non mirum eſt, ſi abſque illorum licentiâ reditus Epiſcopatuum non poſſent diſtrahi : itaque poſtulandus fuit Sugerii Regnum Franciæ adminiſtrantis conſenſus, ut Clericis Belvacenſibus Romam proficiſcentibus ex Epiſcopatûs Belvacenſis reditibus pecunia daretur. Sed vel hoc ipſo teſtimonio probatur, Reges non potuiſſe omnes reditus Eccleſiarum vacantium ſuos facere,

Art.4. ſed debuiſſe illos in Eccleſiarum utilitatem expendere. Id fa-
§. 15. teri videtur Diſſertator hîc verbis illis, *ſervatis æquitatis & pietatis legibus*; idem apertiùs ſcripſit ad Sæc. XI. & XII. par. 3. Diſſert. 10. Art. 1. *Quod ſpectat*, inquit, *conſuetudinum Clarendunæ promulgatarum Capitulum 12. id ab Alexandro III. damnatum non fuit, quà parte fructus Eccleſiarum vacantium Regi adjudicabat; ſed quia vendicabat ipſi ſicut Dominicos: cùm æquitas ac pietas ſuaderent, ut reditus illi, quos patrimonia pauperum, oblationes fidelium, pretia peccatorum, Patres appellant & Concilia in profanos uſus non cederent, nec in proprias utilitates à Rege converterentur, ſicut alii redditus Regales, ſed pios in uſus erogarentur*; quod diligenter tenendum eſt, vereor enim ne ſententiam mutaret, ſi Officiales Regii reditus illos *ſicut Dominicos* in uſus ſæculares converti vellent.

10. Cæterùm, licèt Sugerium magnis laudibus dignum exiſtimem, monebo Lectorem, ut meminerit eos qui fiſco præſunt, admodùm ſolicitos eſſe ſolere, ne quid Regiis rationibus pereat; ideòque quamvis boni ſint, juſtitiam quæſtuum ſeu redituum non tam accuratè diſquirere, putantes hæc ad officium ſuum minimè pertinere. Jus autem Regium à Sugerio dicta eſt Regalia, quantùm ad onera feudis Regiis juxta regionis conſuetudinem impoſita, inter quæ nec uſumfructum omnium bonorum Eccleſiæ, nec collationem Beneficiorum recenſet.

11. DISSERT. „ Faceſſat igitur nuperus Regii Juris Im-
„ pugnator, qui in Tractatu ſuo de Regaliâ, cap.9. Jus Re-
„ galiæ tempore Ludovici Junioris introductum imperitè aſſe-
„ rit; exemplo Ducum & Comitum qui illud uſurpaverant,
„ id ſibi Regem Chriſtianiſſimum tribuiſſe; nec ullum eſſe an-

tiquius

„ tiquius Inſtrumentum, in quo de Regaliâ mentio fiat, *Art.*4.
„ quantùm ad perceptionem fructuum Eccleſiæ vacantis, lite- §. 15.
„ ris Ludovici Junioris anni 1161. quantùm ad Collationem
„ verò Præbendarum, Teſtamento Philippi Auguſti, anni 1190.
„ Sanè Duces & Comites uſurpâſſe Regaliæ Jura ad exemplum
„ Regum à quibus Provincias & Urbes Epiſcopales in feudum
„ acceperant, non verò Reges ad exemplum Ducum & Comi-
„ tum, ineruditus eſt qui non agnoverit, idque evidenter pro-
„ bat Epiſtola Teobaldi Bleſenſis Comitis ad Sugerium Abba-
„ tem ſuperiùs laudata, quâ Regalia Carnotenſis Epiſcopatûs,
„ & Collationem Præbendarum vacante Sede, ad ſe pertinere
„ contendit, ratione feudi quod à Rege tenebat.

12. RESP. Laudo Diſſertatoris erga Illuſtriſſimum Archipræſulem D. Petrum de Marca reverentiam, quòd eum imperitiæ accuſare apertis verbis noluerit. Sed, ut illi parceretur, Autori Tractatûs Appamienſis de Regaliâ convicium non erat impingendum: quod non in ipſum, ſed in prædictum Archiepiſcopum cadit. Non enim tanquàm à ſe obſervatum, ſed tanquàm à D. de Marca dictum refert, omnium monimentorum, in quibus de Regaliâ quoad uſum-fructum fit mentio, antiquiſſimum eſſe, Diploma Ludovici Junioris anni 1161. quoad collationem verò Beneficiorum, Teſtamentum Philippi Auguſti. Neque prædicti Tractatûs Autor hæc omninò fuiſſe Regaliæ primordia affirmavit; ſed tantùm Regaliam circa illa tempora inductam. Conſtat autem ex hactenùs dictis, nullum proferri teſtimonium, quod illam Ludovico Juniore antiquiorem fuiſſe demonſtret.

13. Domini autem de Marca rerum Gallicanarum peritiſſimi verba in Commentario de Regaliâ, rogantibus Cleri Gallicani

Art. 4. licani Comitiis an. 1655. congregatis, ſcripto, & Tom. 2.
§. 15. part. 2. tit. 6. num. 2. Actorum prædicti Cleri inſerto, latinè ſic reddi poſſunt; „ Monimentorum in quibus de hoc Regaliæ Jure, quoad Galliam, fit mentio, antiquiſſimum „ eſt Diploma Ludovici Junioris an. 1161. datum. In quo de „ Pariſienſi Epiſcopatu habentur hæc verba, Epiſcopatus & „ Regale in manum noſtram venit. Ejus etiam meminit Te„ ſtamentum Regis Philippi Auguſti an. 1190. confectum. Si „ Præbenda vacaverit quando Regalia in manu noſtrâ ve„ nient. „ Gallicè iſta ſunt; *Le plus ancien titre qui faſſe mention de ce droit de Regale en France eſt celuy de Loüis le Jeune de l'an* 1161. *parlant de l'Evechè de Paris, Epiſcopatus & Regale in manum noſtram venit. Il en eſt auſſi fait mention aù Teſtament du Roy Philippe Auguſte de l'an.*1190. *Si Præbenda vacaverit quando Regalia in manu noſtrâ venient.* De hoc quidem teſtamento non declarat D. de Marca, quòd ſit omnium in illo genere antiquiſſimum. Id tamen ſatis innuit, cùm primam Regaliæ originem inquirens, aſſignato Diplomate Ludovici Junioris, in quo uſûs-fructûs tantùm redituum apparent veſtigia, nullum aliud profert pro collatione Beneficiorum, præter hoc teſtamentum Philippi Auguſti. Itaque ſi qua ineſt huic Chronologiæ imperitia, Doctiſſimo Archiepiſcopo tribui debet, ut diximus, non Autori Tractatûs Appamienſis.

15. Verùm adeòne perſpicua ſunt teſtimonia hîc à Patre Alexandro producta, ut Illuſtriſſimus Dominus de Marca non poſſit ab imperitiâ vendicari; vel potiùs à malâ fide? Nec enim veriſimile eſt, ipſum Epiſtolas Sugerii, quarum autoritate interdum uſus eſt, nequaquàm legiſſe, aut verum earum ſenſum non fuiſſe aſſecutum. Id ſanè affirmare auſim,

P.

P. Alexandrum ejuſmodi teſtimoniis non ceſſurum fuiſſe, ſi tanto ſtudio Libertatem & Jura Eccleſiæ defendendo ſuſcepiſſet, quanto Regias partes in hâc controverſiâ tuetur. In hanc ſententiam ibit etiam Lector, ſi attentè perpenderit, eum variis in locis probationibus majoris ponderis in favorem Eccleſiæ adductis obluctari, quod articulo ſequenti licebit obſervare. *Art.* 4. §. 15.

15. Sed ut redeamus ad id unde divertimus, erraverit hâc in parte præ imperitiâ D. Marca, ejuſque errori aſſenſerit Autor Tractatûs Appamienſis; (neminem enim, ut jam inſinuavimus, defendendum ſuſcipimus, niſi quatenùs veritas ſuffragatur, parumque refert, utrum paulò priùs, an paulò tardiùs exorta ſit Regalia) manet tamen, eam nonniſi circa tempora Ludovici Junioris, ut aſſeritur in dicto Tractatu Appamienſi, fuiſſe in uſu; ac tum, & deinde, non niſi in certis Eccleſiis locum habuiſſe; neque in quibus locum habuit unam eamdemque fuiſſe praxim, ſed in aliquibus latiùs, in aliis minùs patuiſſe.

16. Quòd autem imperitiæ & ignorantiæ convicium à Diſſertatore impingitur iis, qui Regaliam à Comitibus primùm, deinde ipſorum exemplo à Regibus uſurpatum ſuſpicantur, audaciùs fieri, quàm juſtiùs videtur, ſi ſanè intelligatur illa opinio. Regaliam quidem juxta primam ac propriam ſuam conditionem acceptam, multi veriſimiliùs à jure feudorum ortam exiſtimant, vel potiùs nihil aliud initio fuiſſe niſi jus feudale, quo Reges fructus Regalium ſeu feudorum in Eccleſias collatorum ſibi vindicabant poſt mortem Epiſcoporum uſque ad Succeſſorum Inveſtituram, quemadmodum ex feudis profanis fructus ſuos faciebant poſt mortem Vaſſallorum donec inveſtiſſent eorum Succeſſores, in Provinciis in quibus

Art. 4. §. 15. ea erat lex ſeu generalis conſuetudo feudorum. At verò cùm jus illud ad reditus bonorum non feudalium nequaquàm extenderetur, ſatis probabile eſt, Regaliam ad illos fuiſſe porrectam occaſione tum ſpolii, tum Cuſtodiæ. Cùm enim defunctorum Epiſcoporum bona expilari cæpiſſent, ea Magnates ac Potentes, prætextu Cuſtodiæ, ne à privatis diriperentur, ſibi ſenſim vindicârunt: quam pravam conſuetudinem damnavit Concilium Trosleianum an. 909. can. 14. *Quia*, inquit, *inter Noſtrates hic peſſimus inolevit mos, ut defuncto Epiſcopo, mox à quibuſcumque Potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ*. A bonis Epiſcopi defuncti, ad reditus vacantis Eccleſiæ ſerpſit injuſtitia.

17. Veriſimile eſt autem, Reges, exemplo Comitum aliorumque Principum inferiorum, vacantibus Eccleſiis, ſpolium & bonorum non feudalium reditus, ac deinde decimas, oblationes alioſque fructus ad ſe traxiſſe, in iis maximè Provinciis ubi pro ſuo jure feudalibus reditibus jam fruebantur; idque ipſis eò faciliùs fuit, quòd ad illorum officium ſpecialiùs ſpectabat bona Eccleſiaſtica cuſtodire & adverſùs Potentum injurias tutari. Utramque originem Regaliæ, ſcilicet jus feudorum, ac deinde ſpolium à Principibus inferioribus primùm uſurpatum, cui poſteà adjuncta eſt Cuſtodia, propoſuit Autor Tractatûs Appamienſis lib. 1. cap. 9. & 10. Quæ quidem opinio, quod ſpectat ad ſpolium, confirmatur teſtimonio Franciſci *Mezeray* Clariſſimi Hiſtorici Regii, qui originem Regaliæ diſertè à *ſpoliis* accerſit, quòd etiam quibuſdam aliis Scriptoribus placuit. Sed cùm ea quæſtio ad controverſiam de Regaliæ extenſione non magni referat, nihil opus eſt Lectorem in eâ adſtruendâ vel Autore Tractatûs Appamienſis defendendo diutiùs morari.

§. DE-

§. DECIMUS SEXTUS. *Art.4. §.16.*

De Regaliâ in Regno Angliæ.

1. DISSERT. „ Alexander III. Pontifex Maximus „ hunc uſum in Galliis vidit, nec improbavit. Et „ quomodò illum in Galliis improbâſſet, quem „ in Angliâ legitimum eſſe profeſſus eſt Reſcripto „ ad Decanum, Præcentorem, & Capitulum Vellenſe, „ quod antiquæ Collectioni primæ Decretalium ab Antonio „ Auguſtino editæ, libro 3. cap. *Ex diligenti. Extra. De Jure* „ *Patronatûs*, inſertum eſt. *Epiſcopo*, inquit, *de medio ſub-* „ *lato, & reditibus Epiſcopatûs ad Fiſcum devolutis, cùm quæ-* „ *dam Præbenda in jam dictâ Eccleſiâ vacaret, cariſſimus in* „ *Chriſto Filius noſter Henricus Illuſtris Rex Anglorum, eam* „ *Thomæ Clerico ſuo contulit: cui etiam aliam poſtmodùm in eâ-* „ *dem Eccleſiâ vacantem, cum Archidiaconatu ad quem dicitur* „ *pertinere, conceſſit: quas inſimul non debet habere, cùm* „ *nulli ſit licitum in eâdem Eccleſiâ duas Præbendas obtinere.* „ Collationem Præbendæ, imò & Archidiaconatûs à Rege „ Angliæ Henrico II. jure factam non negat, non mittit in „ irritum Alexander III. Juris Canonici peritiſſimus Pontifex, „ & Libertatis Eccleſiæ vindex acerrimus, quia Regaliâ aper- „ tâ facta erat, Sede nimirùm vacante, & reditibus Epiſcopa- „ tûs ad Fiſcum devolutis. Unam improbat damnatque Be- „ neficiorum pluralitatem. Ejus Reſcriptum ad Vellenſe „ Capitulum dirigitur. Fuit olim Epiſcopatus apud Vellas, „ villam in Somertenſi Pago, in Weſt-Saxoniâ. Ca- „ thedralis Eccleſia Deo Sacra erat ſub invocatione S. An-

dreæ

Art. 4. „ dreæ. Sedes Bathonam tranſlata eſt Willelmo II. regnante,
§. 16. „ Joanne Epiſcopo agente, qui natione Teutonicus, profeſ-
„ ſione medicus erat, ut teſtatur Willelmus Malmesburienſis
„ lib. 2. De Geſtis Pontificum Anglorum, pag. 254. Porrò
„ vel Capitulum apud Vellas manſit, cujus Præbendæ ac Dig-
„ nitates Regaliæ obnoxiæ erant Sede Bathonienſi vacante,
„ vel Bathonam tranſlatum, priſcum nihilominùs nomen reti-
„ nuit, quo ab Alexandro III. nuncupatum eſt.

2. RESP. Alexander III. Cap. *Ex Diligenti. De Jure Patronatûs*. Uſum Regaliæ in Angliâ *legitimum eſſe profeſſus non eſt*, niſi fortè, quæcumque narrantur, legitima declarentur. Imò illum uſum improbat Alexander III. ſaltem pro caſu in illâ Decretali expreſſo. Jubet enim, ut Præbenda, quæ vacaverat Epiſcopali Sede vacante, Clerico in Canonicum antequàm Epiſcopus deceſſiſſet recepto adjudicetur. *Si prælibatus E. à commemorato Epiſcopo de aſſenſu & voluntate veſtrâ* (Capituli) *in Canonicum Eccleſiæ fuerit aſſumptus; ita quòd cùm Præbenda vacaret, ſibi deberet aſſignari: Præbendam illam cum fructibus, quos prædictus Thomas Stephano fratri ſuo poſt ſuſceptum Archidiaconatum cum Præbendâ dicitur contuliſſe, memorato E. omni oc. & ap. re. autoritate noſtrâ quàm citiùs aſſignetis & eam ſibi faciatis in pace & quiete dimitti.*

3. Non damnat quidem Pontifex in illo Reſcripto Regaliam generatim; non tamen idcirco probare cenſendus eſt. Satis tunc illi erat, ut Præbenda, de quâ tunc agebatur, canonicè conferretur: quod non ita facilè fuiſſet conſecutus, ſi aliam controverſiam Regi ſine dubio moleſtiſſimam excitâſſet. Vacaverat autem Præbenda illa, Epiſcopali Sede vacante, ſaltem de facto; quod addo, quia Canonicus ante mortem Epiſcopi receptus jus ad illam habere videbatur; licèt autem de

facto

facto tantùm vacaret, debuiſſet omninò à Rege conferri ſecundùm Regaliſtarum doctrinam. Sed Alexander III. ſecùs judicavit. Art.4. §. 16.

4. DISSERT. „ Una ex Anglicanis conſuetudinibus Clarendunæ ab Henrico II. confirmatis & promulgatis Regaliam ſpectabat, quæ his verbis exprimitur cap.12. *Cùm vacaverit Archiëpiſcopatus vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de Dominio Regis, debet eſſe in manu Regis, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut Dominicos*, &c. Hunc „ Articulum, quatenùs Regaliam ſpectabat, uſum-fructum „ ſcilicet redituum Epiſcopalium, & Collationem Præbendarum vacante Sede, donec Epiſcopus cum aſſenſu Regis „ electus Sacramentum fidelitatis præſtitiſſet, ab Alexandro III. damnatum non fuiſſe, quod ineruditè effutiit „ Autor Indicis in Epiſtolas S. Thomæ Cantuarienſis à P. Lupo Chriſtiano collectas, & poſt ejus mortem editas, probat tum Reſcriptum ejus mox laudatum, cùm Regaliæ uſus „ in Angliâ perſeverans poſtquàm Rex Henricus II. pravas „ conſuetudines ejuravit, Eccleſiæ ſecundùm Mandata Apoſtolica ſatisfecit, abſolutionem ab excommunicatione, „ impetravit. Lege quæ hâc de re dixi Diſſertatione 10. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Seculorum XI. & XII. de cauſâ S. „ Thomæ Cantuarienſis, Articulo 1.

5. RESP. Caput 12. Conſuetudinum Anglicanarum ſine ullâ exceptione damnatum fuit ab Alexandro III. ut mox videbimus: neque ex hujus Pontificis Reſcripto ſuprà laudato ſequitur Henricum II. non renunciâſſe conſuetudini percipiendorum fructuum & conferendorum Beneficiorum Eccleſiarum vacantium: tum quia incertum eſt, quo tempore datum ſit, utrum ſcilicet ante, an poſt ſuam abſolutionem,

*Art.*4. tum quòd illud Reſcriptum Regaliæ non ita favere oſtenderi-
§. 16. mus. Verum quidem videtur, Henricum poſt ſuam abſolutionem à percipiendis Eccleſiarum vacantium reditibus non omninò abſtinuiſſe. At uſum illum injuſtum fuiſſe ſic demonſtratur.

6. Eccleſiæ Anglicanæ feuda poſſidentes ab oneribus feudalibus, quæ Regaliæ fundamenta eſſe contendit P. Alexander, liberæ erant ante Willelmum I. vulgò dictum Conquæſtorem, ut teſtatur Matthæus Paris his verbis; *Anno Domini* 1070. *Rex Willelmus peſſimo uſus conſilio, omnia Anglorum Monaſteria auro ſpolians & argento, inſatiabiliter appropriavit, & ad majora S. Eccleſiæ opprobria calicibus & feretris non pepercit. Epiſcopatus quoque & Abbatias omnes quæ Baronias tenebant*, ET EATENUS AB OMNI SERVITUTE SECULARI LIBERTATEM HABUERANT, *ſub ſervitute ſtatuit militari, inrotulans ſingulos Epiſcopatus & Abbatias pro voluntate ſuâ, quot Milites ſibi & Succeſſoribus ſuis hoſtilitatis tempore, voluit à ſingulis exhiberi. Et rotulas hujus Eccleſiaſticæ ſervitutis ponens in theſauris, multos Viros Eccleſiaſticos huic Conſtitutioni peſſimæ reluctantes à Regno fugavit.*

7. Huic ſervituti aliam adjunxit Willelmus II. cognomento Rufus, Conquæſtoris filius, quæ Regaliæ partem continebat, ut narrat idem Hiſtoricus ad annum 1089. *Defuncto,* inquit, *venerabili Patre Lanfranco Rex Willelmus Eccleſias & Monaſteria ferè totius Angliæ in manu ſuâ Paſtoribus defunctis, retinens, gravi omnia depopulatione vaſtabat, & inſtar firmarum Laïcis commendabat.*

8. Henricus I. Willelmi Rufi frater ac ſucceſſor ſervitutes Eccleſiis impoſitas abrogaturum ſe jurejurando ſpopondit his

his verbis ab eodem Matthæo Paris ad annum 1100. relatis : *Et quia Regnum oppreſſum erat injuſtis exactionibus, ego reſpectu Dei & amore, quem erga vos omnes habeo, ſanctam Dei Eccleſiam liberam facio, ita quòd nec eam vendam, nec ad firmam ponam, nec mortuo Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel Abbate, aliquid accipiam de Dominio Eccleſiæ, vel de hominibus, donec Succeſſor in eam ingrediatur.* *Art.* 4. §. 16.

9. Expreſſiùs ac ſpecialiùs uſurpationi bonorum Epiſcoporum decedentium & Eccleſiarum vacantium renunciavit Stephanus Henrici I. Succeſſor, ut recitat Willelmus Malmesburienſis Hiſt. Novell. lib. 1. ad annum 1135. *Si quis autem Epiſcopus vel Abbas, vel alia Eccleſiaſtica perſona ante mortem ſuam rationabiliter ſua diſtribuerit, vel diſtribuenda ſtatuerit, firmum manere concedo. Si verò morte præoccupatus fuerit, pro ſalute animæ ejus Eccleſiæ conſilio eadem fiat diſtributio. Dum verò Sedes propriis fuerint Paſtoribus vacuæ, & ipſæ & omnes earum poſſeſſiones in manu & cuſtodiâ Clericorum, & proborum hominum ejuſdem Eccleſiæ committantur, donec Paſtor Canonicè ſubſtituatur. Omnes exactiones & meſcheningas, & injuſtitias ſive per Vice-Comites vel per alios quoslibet malè inductas funditùs extirpo.*

10. Peſſimam conſuetudinem renovare ac roborare conatus eſt Henricus II. Henrici I. nepos. Conſuetudinum enim Clarendunenſium, quarum occaſione S. Thomam Cantuarienſem perſecutus eſt, Capitulum 12. erat iſtud : *Cùm vacaverit Archiepiſcopatus, vel Epiſcopatus, vel Abbatia, vel Prioratus de dominio Regis, debet eſſe in manu ejus, & inde percipiet omnes reditus & exitus, ſicut dominicos. Et cùm ventum fuerit ad conſulendum Eccleſiæ, & in Capellâ ipſius debet electio fieri aſſenſu Regis, & conſilio perſonarum, quas ad hoc fa-*

Art.4. *faciendum vocaverit. Et ibidem faciet Electus homagium & fidelitatem Domino Regi, ſicut legio Domino, de vitâ & membris, & de honore ſuo terreno, ſalvo ordine ſuo, priuſquàm ſit conſecratus.*
§. 16.

11. Cùm illæ conſuetudines examinatæ fuiſſent coram Alexandro III. cujus autoritate utitur P. Alexander in hoc §. ſingulis Capitulis adjecta eſt ejus cenſura, ut habetur in Codice Vaticano ab Illuſtriſſimo Cardinali Baronio relato ad annum 1164. Huic autem Capitulo adjuncta eſt iſta cenſura ſine ullâ exceptione vel reſtrictione: *Hoc damnavit.* Matthæus Paris ad an. 1064. illas conſuetudines vocat iniquas & Deo deteſtabiles; eaſque incredibili rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum oppreſſioni occaſionem præbuiſſe teſtatur. Eas Willelmus Brito lib. 8. Philippidos, & Autor Hiſtoriæ quadripartitæ vitæ S. Thomæ lib. 1. cap. 15. malas fuiſſe dicunt, non ſolùm quia Reges vacationem Eccleſiarum producebant, ſed etiam, quia Rex in proprios uſus Eccleſiarum viduatarum reditus convertebat. En verſus prædicti Britonis:

Nam Rex Anglorum jus uſurpaverat illud
Uſquemodo, ut ſolus Paſtores ipſe crearet.
Nam quoties Paſtore carens Prælatica Sedes
Civili Lætho naturalive vacâſſet,
PROTINUS ECCLESIÆ BONA CUNCTA VACANTIS AB IPSO
USURPATA *ſuos convertebantur in uſus.*

Idem ſuadet ratio Autoris vitæ S. Thomæ, quæ nullo non tempore locum habet. *Mos enim prophanus*, inquit, *in plurimis jam Regnis inolevit, quòd Epiſcopatus vacantes & Monaſteria Reges pro voto tenent, & quaſi Chriſto proſcripto, applicantur Fiſco, dos Viduæ, & Crucifixi patrimonium, calamitoſorum refrigeria, & egenorum ſubſidia.* Quæ igitur à Regibus

bus contra Eccleſiarum Libertatem & Jura tentata ſunt, utpotè injuſta, non debent in exemplum trahi. Alioquin enim, cùm nullum ſit ſcelus, quod jam olim perpetratum non fuerit, omnia reputanda eſſent innoxia. *Art. 4. §. 16.*

12. DISSERT. „ Richardum II. Henrici II. filium Jus „ Regaliæ exercuiſſe ibidem obſervavi, Regiique Diplomatis „ verba ex Rogerio de Hoveden poſteriori parte Annalium, „ ad annum 1194. retuli, quæ hîc repetere abſque Lectoris „ faſtidio poſſum: *Didicimus*, inquit, *quòd in morte Patris* „ *noſtri, ſine Præcepto ſuo & conſcientiâ habuerunt literas de* „ *ſigillo ſuo Gaufredus de Muſcamp, de habendo Archiepiſcopatu de Sliveland, & Willelmus de Stigandebi; & Magiſter* „ *Herardus, de Præbendis habendis in Eccleſiâ Eboracenſi, quæ* „ *tunc vacabat, & erat* IN MANU NOSTRA. *Et ideò præcipimus, quòd præfatos ab Archidiaconatu & Præbendis dictis* „ *Diſſaiſietis, repetentes quidquid exinde perceperunt, poſtquàm illos reditus ita fraudulenter & per ſurreptionem ſunt* „ *adepti.*

„ Rex Joannes in Diplomate dato anno 1215. *In univerſis* „ *& ſingulis Eccleſiis, & Monaſteriis, Cathedralibus & Conventualibus totius Regni Angliæ, liberæ ſint in perpetuum electiones quorumcumque Prælatorum: ſalvâ nobis & hæredibus* „ *noſtris Cuſtodiâ Eccleſiarum, & Monaſteriorum vacantium,* „ *quæ ad nos pertinent.* Apud Matth. Paris. pag. 182.

13. RESP. Hæc quæ de origine ac progreſſu Regaliæ in Angliâ diximus ſufficiunt, ut in promptu cuilibet ſit judicare, utrum legitimus fuerit ejus uſus. Sed Patri Alexandro probandum incumbit, potuiſſe Regaliam in Eccleſias Franciæ hactenùs liberas de novo induci, quod certè nequaquàm infertur ex eo, quòd aliquæ Eccleſiæ Anglicanæ huic oneri ſub-

*Art.*4. jectæ fuerint, imò licèt omnes illi ſubjacuiſſe conſtaret :
§. 16. quia Regaliam, non niſi ex fundatione vel ex conſuetudine, quæ jam tempore Concilii Lugdunenſis fuerit antiqua, vindicare ſibi quiſquam poteſt. Quicumque autem fuerit uſus in aliquibus, imò, ſi vis, in omnibus Angliæ Eccleſiis, nullâ arte Dialecticâ inde legitimè concludetur, Regem Chriſtianiſſimum ad omnes Eccleſias ſui Regni, quæ hactenùs Libertate Canonicâ potitæ erant, Regaliam potuiſſe extendere, cùm nullus proferatur titulus fundationis eam Majeſtati ſuæ reſervans; & ex Concilio Lugdunenſi ſoli fundationis, & antiquæ conſuetudinis tituli legitimi ſint ad vindicandum ejuſmodi jus.

14. DISSERT. „ Henricus III. Jus idem exercuit. Unde Richardus Cornubiæ Comes ejus frater inter querimonias adverſùs ipſius Majeſtatem ſparſas invidiam ipſi ex eo „ Capite creabat, *Quòd infinitos proventus & innumerabilem „ pecuniam in ſuo tempore collegerat, nec erat in Angliâ Archiepiſcopatus vel Epiſcopatus, præter Eboracenſem, Bathonienſem, & Wintonienſem, qui non vacaverit ſuo tempore . . . . Nec tamen Theſaurus Regius, qui deberet „ eſſe Regni robur & confidentia, ſenſerat incrementum.* Refert „ Matthæus Paris ad annum 1237. pag. 301. Col. 1. Quòd autem Eccleſiâ Romanâ probante, quæ Jus illud ipſi legitimè „ quæſitum noverat, vacantium Epiſcopatuum reditus perciperet, ac Præbendas conferret Henricus III. ex eo conſtat „ quòd ſe Romani Pontificis & Legatorum Apoſtolicorum „ voluntati totum accommodaret, ut ibidem refert Matthæus Pariſius : *Se voluntati Romanorum*, inquit, *præcipuè „ Legati, quem inconſultiùs advocaverat, mancipavit adeò, ut „ videretur quaſi veſtigia ſua adorare : affirmans ſe tam in publico*

„ *co quàm ſecreto ſine Domini ſui Papæ vel Legati conſenſu nil* *Art.* 4.
„ *poſſe de Regno diſponere, tranſmutare, vel alienare: ut non* §. 16.
„ *Rex, ſed feudatarius Papæ diceretur.* Cantuarienſem Ar-
„ chiepiſcopum Edmundum apud Gregorium Nonum con-
„ queſtum eſſe, quòd idem Rex Henricus occaſione Regaliæ
„ vacationem Epiſcopatuum protraheret, ſed nihil obti-
„ nuiſſe, quia *Rex hoc aſſerebat eſſe contra ſuam Regiam Digni-*
„ *tatem*, refert idem Pariſius ad annum 1240. pag. 356. Col.
„ 2. Idem Hiſtoricus loquens de Parlamento Londini habito
„ anno 1248. pag. 298. *Reprehenſus eſt* (inquit) *inſuper Do-*
„ *minus Rex, quòd Epiſcopatus & Abbatias, ſicut & Gardas*
„ *vacantes, à ſanctis & magnificis Patribus noſtris fundatos,*
„ *quos in manu ſuâ diu tenet, & teneretur tutor eſſe & defen-*
„ *ſor, & proinde dicuntur eſſe in manu ejus, hoc eſt ſub ejus*
„ *protectione, contra Juramentum quòd fecit in Coronatione*
„ *ſuâ primum & præcipuum, uſque ad deſtructionem depaupe-*
„ *rat.* Cùm idem Rex fratrem ſuum in Epiſcopum Dunel-
„ menſem eligi vellet, Capitulo Canonicam libertatem ro-
„ ganti, quòd ſcientiâ & ætate eſſet inſufficiens, reſpondit:
„ *Et ego potens ſum, & bene mihi complacet ut ipſum Epiſcopa-*
„ *tum in manu meâ teneam octo vel novem annis vel ampliùs, ut*
„ *ſaltem tunc maturus ætate vobis acceptetur.* Refert Mat-
„ thæus Pariſius ad annum 1249. pag. 508. Col. 2. Idem Rex
„ in Privilegio dato Abbatiæ Weſtmonaſterienſi, anno 1252.
„ *Cùm bona* (inquit) *Abbatis Weſtmonaſterienſis, & ejuſ-*
„ *dem loci Prioris & Conventûs diſcreta ſint ab invicem & ſe-*
„ *parata, volentes indemnitati & tranquillitati eorumdem Prio-*
„ *ris & Conventûs providere, concedimus eis pro nobis, & hæ-*
„ *redibus noſtris, quòd quotieſcunque Abbatiam vacare contige-*
„ *rit per ceſſionem vel deceſſum Abbatum ſuorum, habeant ipſi*

Prior

Art. 4. §. 16. „ *Prior & Conventus liberam adminiſtrationem de bonis ſuis ſeparatis, ſalvâ Nobis & Heredibus noſtris tempore vacationis prædictæ Domûs Cuſtodiâ de bonis ad prædictos Abbates pertinentibus.* Apud Matthæum Pariſium, pag. 563.

15. RESP. Si alia deeſſent argumenta, certè parum valeret, quod ab exemplo Henrici III. ducitur; quandoquidem ipſemet fatebatur, ſe potentiâ ſuâ uti, ad opprimendam Eccleſiæ Libertatem. *Cùm idem Rex*, ut verba à Patre Alexandro relata repetamus, *fratrem ſuum in Epiſcopum Dunelmenſem eligi vellet; Capitulo Canonicam libertatem roganti, quòd ſcientiâ & ætate eſſet inſufficiens, reſpondit: Et ego potens ſum, & benè mihi complacet ut ipſum Epiſcopatum in manu meâ teneam octo vel novem annis vel ampliùs, ut ſaltem tunc maturus ætate vobis acceptetur.*

16. An de Regaliâ loquenti Henrico credendum eſſet, *qui aſſerebat eſſe contra ſuam Regiam Dignitatem*, ut deſiſteret à protrahendâ vacatione Epiſcopatuum occaſione Regaliæ, *qui Epiſcopatus & Abbatias uſque ad deſtructionem depauperabat?* Earum *tenebatur tutor eſſe & defenſor*, ut Parlamentum Londini habitum obſervavit. Tutoris autem & defenſoris munus eſt, fructus pupillo, aut alii legitimo domino reſervare.

17. At Se Romani Pontificis & Legatorum Apoſtolicorum voluntati totum accommodabat. In aliquibus certè, ſed ut in aliis ejus injuſtitia toleraretur, ut ex dictis, ex referendis §. ſequenti, & ex aliis, quæ in ejus Hiſtoriâ leguntur, licet inferre. Verùm, ut ſuprà diximus, de Eccleſiis liberis in Franciâ quæſtio eſt, non de Anglicanis.

§. DE-

§. DECIMUS SEPTIMUS. Art. 4. §. 17.

De querelis Præſulum Anglicanorum contra Miniſtros Regios.

1. DISSERT. „ Anno 1257. Anglicani Præſules Articulos circiter quinquaginta conſcripſerunt pro „ Eccleſiaſticâ Libertate Regi offerendos, quorum „ nonnulli Jus Regaliæ ſpectant, quo Regii Miniſtri ad Eccleſiæ poſſeſſiones peſſumdandas abutebantur; „ quod etiam ad Beneficia curam animarum habentia contra „ fas extendebant. *Inprimis quòd vacantibus Eccleſiis Cathedralibus ſeu Conventualibus, Conventus tallientur, terræ relinquuntur incultæ, vaſtantur nemora, parci & vivaria, „ corruunt ædificia, diripiuntur bona, depauperantur villani & malè tractantur: ita quòd mendicare coguntur Prælati „ ſuccedentes, per tempora diuturna. Quod eſt contra Domini „ Regis Chartam, & etiam Eccleſiaſticam Libertatem. Et in „ tantùm jam crevit malitia, quòd Eſcäetores non ad bona Abbatum & Priorum uſui decedentium deputata manus extendunt, „ verùm etiam ad blada inſtaurata, & alia quibus Conventus ſuſtentari debet: ita quòd occaſione talis Cuſtodiæ quandoque Religioſi debitis gravibus onerati, & aliàs multipliciter depauperati, reſurgere non poſſunt, nec ad ſtatum debitum pervenire temporibus diuturnis.*

„ *Item, cùm Eccleſiæ Cathedrali vel Monaſterio Eccleſiaſticum Beneficium ſit annexum, ſi curam habeat animarum, illud occupant Cuſtodes Gardarum, decimas & obventiones, & „ alios proventus inde percipientes contra Deum & omnia Jura:*

Art.4. „ *cùm talia Beneficia non pertineant ad Baroniam, & ratione*
§. 18. „ *laïcalium bonorum tantùm ad Dominum Regem Cuſtodem devol-* „ *vuntur.* Refert Matthæus Pariſius, in Additamentis pag. „ 129. Col. 2. & 130. Col. 1.

21. RESP. Quid mirum ſi, Eccleſiis Anglicanis tam miſerè à Miniſtris Regiis oppreſſis, Præſules de gravioribus tantùm malis conquererentur, aut potiùs ſingula quæ patiebantur, tam accuratè non deſcriberent? (*Cùm talia Beneficia non pertineant ad Baroniam, & ratione laïcalium bonorum tantùm ad Dominum Regem Cuſtodem devolvuntur.*) Satis apertè indicat, Regem nonniſi bonorum laïcalium fuiſſe cuſtodem; atque adeò non debuiſſe ſpiritualium diſpenſationi ſe immiſcere, imò nec fructus temporales præſertim ex bonis non feudalibus ſuos facere: cùm Cuſtodis ſit conſervare, non conſumere.

§. DECIMUS OCTAVUS.

De Concilio Lambethenſi.

1. DISSERT. „ Concilium Lambethenſe in Angliâ „ celebratum à Bartholomæo Cantuarienſi Archi- „ ëpiſcopo, anno 1261. abuſus qui in exercendo „ Regaliæ Jure à Regiis Miniſtris committebantur, dum „ emendat, legitimum Regaliæ uſum confirmat. *Accidit* „ *etiam aliquando* (inquit) *quòd Domino Rege, vel alio Mag-* „ *nate, Eccleſiarum Cathedralium, vel Conventualium, de Re-* „ *gni conſuetudine Cuſtodiam exercente, cùm ſecundùm Chartam* „ *Libertatum ab eodèm Domino Rege & ſuis Prædeceſſoribus Ec-* „ *cleſiæ conceſſarum, tantummodò rationabiles exitus capere debeat,*

„ *beat*, *&* *rationabiles conſuetudines*, *ac rationabilia ſervitia* Art. 4.
„ *talis Cuſtos*, *&* *hoc ſine deſtructione*, *diſſipatione*, *&* *vaſto* §. 18.
„ *rerum* *&* *hominum* : *Ballivi tamen Regis vel Magnatis Tute-*
„ *lam ſive Cuſtodiam exercentes*, *præter tallagia immoderata quæ*
„ *imponunt hominibus*, *&* *tenentibus Eccleſiarum vacantium mi-*
„ *nùs juſtè*, *bona mobilia* *&* *immobilia plerùmque hominum* *&* *te-*
„ *nentium prædictorum*, *ſic vacantis Eccleſiæ*, *in tali Cuſtodiâ*
„ *ſeu cruciatu potiùs conſtitutæ*, *conſumunt prodigaliter* *&* *di-*
„ *ripiunt violenter* : *parcos*, *nemora*, *&* *vivaria deſtruentes* ;
„ *&* *domos*, *habitationes*, *&* *grangias*, *cæteraque ædificia*,
„ *quæ ſuſtineri deberent in bono ſtatu*, *ex negligentiâ vel malitiâ*
„ *quandoque diſſipari* *&* *ruere permittentes*, *bona dilapidant*,
„ *pauperes ac alios malè tractant* ; *non ſolùm ad ea quæ ratione*
„ *Cuſtodiæ obtinere conſueverant*, *manus extendunt* : *ſed etiam*
„ *ad bona ſuperſtitum*, *&* *ad ea de quibus Conventus Eccleſia-*
„ *rum ipſarum ſuſtentari deberet*, *&* *ad ea etiam quæ ratione*
„ *Baroniæ ad Dominum Regem vel Magnates alios*, *vel ad eorum*
„ *adminiſtrationem ſeu diſpoſitionem*, *cùm ſint ſpiritualia vel an-*
„ *nexa ſpiritualibus*, *pertinere non poſſunt*, *utpotè ad decimas*,
„ *oblationes Altaris*, *Epiſcopatibus ſeu Monaſteriis appropriatas*,
„ *&* *ad ſimilia quæ profanis uſibus applicari non debent*. *Ut igitur*
„ *tali morbo ſalubris medicinæ remedio ſuccurratur*, *quia talis*
„ *Cuſtodiæ ratio*, *quæ in favorem Eccleſiæ dignoſcitur introducta*,
„ *non debeat in ejus læſionem retorqueri* : *præſenti ſtatuto præci-*
„ *pimus*, *quòd ſtatim cùm Eſcaïtores vel Ballivi Domini Regis vel*
„ *aliorum Magnatum*, *hujuſmodi Cuſtodias ingreſſi fuerint*,
„ *Prælati qui Juriſdictioni præſunt*, *publicè* *&* *ſolemniter inter-*
„ *dicant*, *&* *ſub pœnâ excommunicationis diſtrictè inhibeant*,
„ *ne talia attentare præſumant*. Tom. II. P. I. Concil. Edit.
„ Labbeanæ pag. 811. Jus itaque Regaliæ exercebant Angliæ

 Re-

*Art.*4. „ ges, Eccleſiâ ſolum abuſum, non legitimum uſum impro-
§. 18. „ bante.

2. RESP. Hoc teſtimonium ad Galliam non pertinet, & in eo plura ſunt ſententiæ P. Alexandri contraria. Primò, Regalia, ſi idem ſit ac Cuſtodia, penes alios erat, quàm penes Regem; *Domino Rege, vel alio Magnate, Eccleſiarum Cathedralium vel Conventualium de Regni conſuetudine Cuſtodiam exercente.* Secundò, non omnes fructus ſuos faciebat Rex, aut alius Cuſtos; *Tantummodò rationabiles exitus capere debeat, & rationabiles conſuetudines, ac rationabilia ſervitia talis Cuſtos*, &c. Tertiò, decimæ ac ſimiles reditus non ſubjacebant Cuſtodiæ oneribus; *Ad ea quæ ratione Baroniæ ad Dominum Regem vel Magnates alios vel ad eorum adminiſtrationem ſeu diſpoſitionem, cùm ſint ſpiritualia vel annexa ſpiritualibus, pertinere non poſſunt, utpotè ad decimas, oblationes Altaris, Epiſcopatibus ſeu Monaſteriis appropriatas, & ad ſimilia quæ profanis uſibus applicari non debent.* Quartò, Regaliam non eſſe Jus Regium Coronæ annexum, ſed officium ab ipſis Regibus in Eccleſiæ commodum exercendum, non in ejus damnum uſurpandum, docent hæc verba: *Quia talis Cuſtodiæ ratio, quæ in „ favorem Eccleſiæ dignoſcitur introducta, non debeat in ejus læſionem retorqueri:* Quintò, ad Eccleſiam pertinere, abuſus Miniſtrorum Regiorum circa Regaliam comprimere, teſtantur quæ ſequuntur: *Præſenti ſtatuto præcipimus, quòd ſtatim cùm Eſcaëtores vel Ballivi Domini Regis, vel aliorum Magnatum, bujuſmodi Cuſtodias ingreſſi fuerint, Prælati qui Juriſdictioni præſunt, publicè & ſolemniter interdicant, & ſub pænâ excommunicationis diſtrictè inhibeant, ne talia attentare præſumant.* Ac deindè; (quod à Patre Alexandro non refertur) *Et niſi Dominus Rex ſuper his competenter monitus reſtituerit, ſeu reſti-*

reſtitui fecerit ſic ablata, & damna reſarcierit, vel reſarciri fecerit per ſuos illata, & alii Magnates ſimiliter: procedatur contra eos, ſicut in aliis caſibus Regem & Magnates tangentibus, ſuperiùs eſt ſtatutum; ſcilicet per interdictum locorum. Art.4. §. 18.

3. DISSERT. „ Id verò Regum Anglorum exemplo in „ Galliis introductum, ſomnium eſt nuperi Scriptoris qui de „ Regaliâ Tractatum edidit adverſùs Jura Chriſtianiſſimi Re- „ gis, ſeu potiùs Paponis Arreſtorum Collectoris, quem hâc in „ re delirantem laudat, cap.9. libri 1. pag.59. ſed relictis Bri- „ tannis, ad Reges noſtros revertamur.

4. RESP. Cur extra ſomnium & delirium conjicere non licuit, exemplum Regum Anglorum potuiſſe ex parte movere Reges Galliæ ad ſimilem uſum in Regnum ſuum inducendum, ut dicit Autor Tractatûs Appamienſis. Non enim certò affirmat id ita contigiſſe, aut eam ſolam fuiſſe in Galliâ occaſionem inducendi Regaliæ uſûs. Hæc ſunt ejus verba; *L'exemple du Roy d'Angleterre, qui pretendoit avoir la jouïſſance des revenus des Evechez vacans, pourroit bien auſſi avoir contribué à L'introduction d'un ſemblable uſage en France.* Quæ Latinè ita ſonant: „ fieri etiam poteſt ut exemplum Regum Angliæ, „ qui uſum-fructum Eccleſiarum vacantium ad ſe pertinere „ contendebant, occaſionem nònnullam præbuerit ſimilis „ uſûs in Galliam inducendi.

5. Religioſum modeſtumque Theologum ſeu Hiſtoricum deceret rationibus vel autoritatibus, non conviciis argumenta ſibi contraria confutare. Debuerat P. Alexander falſi arguere Epiſtolas à Papone citatas, & contra illarum teſtimonium oſtendere Regaliam ab Angliâ non eſſe profectam, antequàm illius Scriptoris ſententiam delirio tribuiſſet: quanquàm neſcio, an qui hiſtoricè tantùm ſe acturum profitetur, Autores, quo-

Art. 4. rum doctrinam refert, etiam poſt confutationem contume-
§. 19. liis debeat afficere, ubi bonâ fide, ac ſine privato affectu locutos videt.

§. DECIMUS NONUS.

De Regaliâ in Eccleſiis Lugdunenſi & Æduenſi.

1. DISSERT. „ Philippus Auguſtus, Jus Regaliæ „ pacificè exercebat, tum quoad uſum-fructum „ redituum Eccleſiæ vacantis, cùm etiam quoad „ Præbendarum collationem. Quin & defunctorum „ rum Præſulum ſpolia ſibi ex conſuetudine vendicabat. Anno „ milleſimo centeſimo octogeſimo nono, cùm poſt obitum „ Stephani Æduenſis Epiſcopi Regalia ad ſe recepiſſet, certior „ factus de Jure Lugdunenſis Archiëpiſcopi, ad quem Sede „ Æduenſi vacante perceptio fructuum & collatio Præbendarum „ rum Jure Regaliæ pertinet, quod Jus etiam Æduenſibus „ competit Epiſcopis in Eccleſiâ Lugdunenſi vacante, Rega„ lia reſtitui juſſit Archiëpiſcopo Lugdunenſi, & Regio Di„ plomate utriuſque Eccleſiæ Juribus conſultum eſſe voluit; „ cujus hæc ſunt verba: *Noverint univerſi præſentes pariter & „ futuri, quòd legitimo hominum teſtimonio Lugdunenſis Eccle„ ſiæ Jus eſſe didicimus, ut quoties Æduenſis Sedes vacaverit, „ toties Archiepiſcopus Lugdunenſis Regalia noſtra & alia, quæ „ ad Epiſcopatum Æduenſem pertinent, in manu ſuâ habeat, & „ verſâ vice, quoties Lugdunenſem Sedem vacare contigerit, to„ ties Epiſcopus Æduenſis in ſuâ manu habeat univerſa ad Lug„ dunenſem Archiepiſcopatum pertinentia. Quocirca quoniam „ Jura ipſarum Eccleſiarum volumus & debemus inviolabilia con„ ſervare,*

„ *ſervare, decernimus & præcipimus, quatenùs utraque Eccle-* *Art.4.*
„ *ſia Jus ſuum integrè habeat: ita quod neutri cedat ad præjudi-* *§. 19.*
„ *cium, id quod* REGALIA *Æduenſia ex ignorantiâ occupa-*
„ *vimus poſt deceſſum Stephani Æduenſis Epiſcopi. Unde fideli*
„ *noſtro Archiepiſcopo Lugdunenſi* REGALIA *ipſa reſtitui-*
„ *mus, & ipſa Succeſſoribus ſuis, ipſo Epiſcopatu vacante, in*
„ *perpetuum habenda conceſſimus.* Diploma iſtud editum eſt
„ Tomo 2. Galliæ Chriſtianæ, pag. 47. probatque Auguſtum
„ Regem bonâ fide in cæteris omnibus Regni ſui Eccleſiis Re-
„ galiæ Jus exercuiſſe: alioqui Jus illud in Eccleſiâ Æduenſi
„ nullâ fultum poſſeſſione, conſuetudine nullâ confirmatum,
„ ſibi non vendicâſſet.

2. RESP. Propoſuit Diſſertator jam à principio ſe acturum *de Regaliæ extenſione*, ad defendendum ſcilicet Chriſtianiſſimi Regis edictum, Regaliam in omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis ſibi competere declarantis: hîc autem indubitatiſſimum & irrefragabile profert teſtimonium, ex quo patet, Regem Chriſtianiſſimum non habere Jus Regaliæ in Eccleſiis Lugdunenſi & Æduenſi.

3. At, inquit, habet ſaltem in aliis omnibus alioquin Philippus non ex ignorantiâ, ſed ex manifeſtâ injuſtitiâ fructus Eccleſiæ Æduenſis vacantis uſurpâſſet. Nemo negavit tempore Philippi Auguſti, Regaliam in aliquibus Eccleſiis Provinciarum, quæ jure conſuetudinario reguntur, locum habuiſſe: neque de hoc eſt quæſtio, ſed de ejus extenſione ad alias omnes Eccleſias, cui repugnat exemplum Lugdunenſis & Æduenſis. Itaque Diſſertator hoc teſtimonio, & fruſtrà probat quod eſt extra controverſiam, & incautus propriam cauſam prodit. Nec enim arbitror movendum quenquam vanâ illâ conjecturâ, quâ *Auguſtum Regem bonâ fide in cæteris omni-*
bus

Art. 4. *bus Regni ſui Eccleſiis Regaliæ Jus exercuiſſe* ; infert, ex eo
§. 19. quòd *alioqui Jus illud in Eccleſiâ Æduenſi nullâ fultum poſſeſſione, conſuetudine nullâ confirmatum, ſibi non vendicâſſet* : quaſi Regalia nullâ fulciri poſſeſſione, conſuetudine nullâ confirmari potuiſſet, niſi exercita fuiſſet in omnibus Regni Franciæ Eccleſiis præter Æduenſem & Lugdunenſem : ac non ſatis fuiſſet Officialibus Regiis ad occupanda Regalia ſeu feuda Regia in Æduenſi Epiſcopatu, quòd illa ſoliti eſſent occupare in aliis Eccleſiis vicinis, & extra Provincias jurisſcripti, ut in Matiſconenſi, & Autiſiodorenſi, de quibus infrà §. §. 21. & 22. Sed hæc Diſſertatoris conjectura, quæ per ſe levis eſt, apertè falſa apparet ex probationibus partim jam adductis, partim poſteà adducendis in favorem Eccleſiarum, ad quas denuò extenſa eſt Regalia.

4. Notanda ſunt hæc verba ; *Regalia noſtra & alia quæ ad Epiſcopatum Æduenſem pertinent . . . . . . Regalia Æduenſia occupavimus . . . . . . Regalia ipſa reſtituimus* , quæ indicant, non ſolere Regem occupare, vacantibus Eccleſiis, niſi *Regalia*, id eſt feuda à Regibus Eccleſiis data, non *alia* bona Eccleſiarum.

5. Cur autem Diſſertator ab Eccleſiis, ad quas extendi poſſe Regaliam defendit, Lugdunenſem & Æduenſem non excepit ? An exiſtimavit minùs juſtum, minùſve religioſum eſſe debere Ludovicum XIV. quàm Philippum II. ut cum Auguſto illo Rege dicere non debeat : *Quoniam Jura ipſarum Eccleſiarum volumus & debemus immobilia conſervare, decernimus & præcipimus, quatenùs utraque Eccleſia*, (Æduenſis & Lugdunenſis) *Jus ſuum integrè habeat.*

§. VI-

§. VIGESIMUS. Art. 4. §. 20.

De Teſtamento Philippi Auguſti.

1. Dissert. „ Idem Auguſtus in Teſtamento con-„ dito anno 1190. antequàm in Paleſtinam trajice-„ ret : *Si fortè* (inquit) *contigerit Sedem Epiſco-„ palem, vel aliquam Abbatiam Regalem vacare, vo-„ lumus, ut Canonici Eccleſiæ, vel Monachi Monaſterii vacan-„ tis veniant ad Reginam & Archiepiſcopum, ſicut ante Nos ve-„ nirent, & liberam electionem ab eis petant : & Nos volumus „ quòd ſine contradictione eis concedant. Nos verò tam Canonicos „ quàm Menachos monemus, ut talem Paſtorem eligant qui Deo „ placeat, & utilis ſit Regno. Regina autem & Archiepiſcopus „ tamdiu* Regalia in manu sua teneant, *donec Ele-„ ctus conſecratus ſit, vel benedictus, & tunc Regalia ſine con-„ tradictione ei reddantur. Præterea præcipimus, quòd* si Præ-„ benda vel Beneficium aliquod Eccleſiasti-„ cum vacaverit quando Regalia in manu no-„ stra venient, *ſecundùm quod meliùs & honeſtiùs po-„ terunt Regina & Archiepiſcopus, viris honeſtis & litera-„ tis, conſilio Fratris Bernardi conferant : ſalvis tamen Dona-„ tionibus noſtris, quas per Literas noſtras Patentes quibuſdam „ cimus.*

2. Resp. Philippum Auguſtum Regaliam in aliquibus Eccleſiis Regni ſui exercuiſſe certum eſt : ſed ex teſtimonio à Patre Alexandro §. præcedenti relato, & ex exemplis infrà referendis conſtat, illam in omnibus Eccleſiis locum non habuiſſe. Cæterùm hæc verba ; *Regalia in manu ſuâ teneant*, de

Art.4. bonis feudalibus accipi debent, ut §. ſuperiore notavimus.
§. 21. Quòd autem de Beneficiorum collatione dicitur, poteſt de ſolâ præſentatione intelligi.

3. Præterea ex hoc teſtimonio apertè colligitur, magnum illum conditionum numerum, ſine quibus hodie Regalia non claudi dicitur, non fuiſſe tunc obſervatum, quandoquidem Philippus Auguſtus præcipit, ut, cùm Electus conſecratus fuerit vel benedictus, TUNC REGALIA SINE CONTRADICTIONE EI REDDANTUR.

§. VIGESIMUS PRIMUS.

De Regaliâ in Eccleſia Matiſconenſi.

1. DISSERT. „ anno milleſimo ducenteſimo primo „ P. Matiſconenſis Epiſcopus electus, fructus „ omnes apertâ Regaliâ provenientes, inſuper & „ ſpolia Epiſcopi defuncti, ſi inteſtatus obiiſſet, „ ad Regem Auguſtum ejuſque Succeſſores pertinere profeſ-„ ſus eſt, his verbis: *Notum quod ego P. Electus Matiſconen-„ ſis, veniens ad Dominum noſtrum Philippum Illuſtrem Regem „ Franciæ, poteſtatem habens à Decano & univerſo Capitulo „ Matiſconenſi . . . . . . Cognovi Jus Domini Regis Fran-„ ciæ, quod habet in* REGALIBUS *Matiſconenſibus, ſci-„ licet quòd mortuo Epiſcopo Matiſconenſi, vel quotieſcumque „ Sedes Matiſconenſis vacaverit, omnia* REGALIA, *& „ omnes proventus* REGALIUM *exiſtentes in Regno Fran-„ ciæ, liberè ſunt Domini Regis Franciæ, ſicut & ea Epiſcopus „ liberè poſſidebat. Et ſi Epiſcopus Matiſconenſis deceſſerit in-„ teſtatus*, TAM MOBILIA OMNIA, QUAM PRO-

VEN-

„ VENTUS OMNES *ſunt Domini Regis Franciæ integrè* Art. 4.
„ *& abſolutè.* Inſtrumentum iſtud editum eſt inter Proba- §. 22.
„ tiones Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, cap. 15. num. 4.
„ pag. 365.

2. RESP. Nihil de Beneficiorum collatione: nihil de reditibus aliorum bonorum, quàm feudalium à Regibus datorum, quæ Regalia propriè dicuntur: nihil de decimis & oblationibus, legitur in hoc teſtimonio, quod præterea ad unicam tantùm ſpectat Eccleſiam. Repetitio autem illa, *Regalia & omnes proventus Regalium* uſum-fructum apertè reſtringit ad reditus feudorum Regalium.

3. Porrò Eccleſiæ Matiſconenſis, inter Æduenſem & Lugdunenſem poſitæ, exemplum, potuerat ſuadere Philippo, ſibi licere in Æduenſi, ſicut in Matiſconenſi occupare Regalia; præſertim ſi addas, eumdem uſum viguiſſe in Antiſiodorenſi, de quâ §. ſequenti, & quibuſdam aliis à Matiſconenſi non ita remotis, & tunc illi oneri ſubjectis, quin opus ſit contra certiſſima argumenta ſupponere, cæteras omnes eidem oneri ſubjacuiſſe, ut jam ſuprà obſervatum eſt.

§. VIGESIMUS SECUNDUS.

De Regaliâ in Eccleſia Antiſiodorenſi.

1 DISSERT. „Anno milleſimo ducenteſimo ſexto Philippus Auguſtus Eccleſiæ Antiſiodorenſi „ Regalia in perpetuum remiſit, oneroſis conditionibus, ut docet Hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium, in Guillelmo de Seliniaco, Tom. 1. Bi-

Art. 4. „ bliothecæ Novæ MSS. Librorum P. Labbe S. I. pag. 485.
§. 22. „ *Ipſo*, inquit, *Conſecrationis die, ad Dominum Regem properat, qui per ſolemnes Eccleſiæ ſuæ Nuncios à tempore electionis factæ requiſitus, quæ decedente Hugone occupaverat* REGALIA, *ei reſtituere detrectabat, imo & ſervientes ipſius ab eo* REGALIUM CUSTODIÆ *deputati, circa Epiſcopalia valdè perperam ſe habebant. Nam tanto vacationis tempore & uſque tunc, facta fuerat per ipſos Epiſcopalium diſſipatio miſeranda, hominum emunctio violenta, ſylvarum à longis intactarum temporibus damnoſa valdè diſtractio, dabanturque hoſtili more omnia in direptionem & prædam, ita quòd brevi in tempore fuiſſent in exterminium, niſi divina diſpenſatio de Paſtore maturiùs providiſſet Eccleſiæ. Suſceptus igitur benignè ſatis Serenitate Regali, ab eâ recipit ſine difficultate* REGALIA, *& de interceptionibus à tempore vacationis factis, apud Regiam Magnificentiam interpellat, ac tandem quorumdam de Primoribus Regalis Palatii interventu controverſia amicabili compoſitione ſopitur: datâque non modicâ pecuniæ quantitate ab Epiſcopo ſuper conceſſione Regali factâ Eccleſiæ de Regalibus Sede vacante Privilegium obtinetur, cujus tenorem præſenti duximus inferre lectioni.*

Tenor Privilegii de Regalibus.

„ *In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen. Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, Noverint univerſi Præſentes pariter & futuri, quod nos intuitu divinæ pietatis, & ob remedium animæ noſtræ & parentum noſtrorum, damus & concedimus in perpetuum Eccleſiæ Antiſiodorenſi quicquid Juris habeamus in* REGALIBUS *Sede vacante. Itaque Decanus & Capitulum ejuſdem Eccleſiæ cuſtodient* REGALIA *Sede vacaute, & omnes proventus qui exinde procedent, &*

Præ-

„ *Præbendas, ſi quas interim vacare contigerit, ad opus Epiſco-* Art.4.
„ *pi, ſalvo ſervitio noſtro, equitationis noſtræ, exercitûs, &* §. 22.
„ *ſubmonitionis, ſicut Epiſcopi Antiſiodorenſes nobis fecerunt.*
„ Jus Procurationis eidem Epiſcopo remiſit Rex Auguſtus ra-
„ tione permutationis Giemi, cujus feudum & homagium
„ ad Epiſcopum pertinens, in ejus Majeſtatem tranſcriptum
„ eſt. Unde & Regeſta Cameræ Computorum totam Provin-
„ ciam Senonenſem & ejus ſuffraganeos Regaliæ Juri ſub-
„ jacere teſtantur, *Exceptâ Diœceſi Antiſiodorenſi, in quâ De-*
„ *canus & Capitulum dicuntur feciſſe permutationem cum Rege.*
„ Philippi Auguſti Privilegium Sammarthani Fratres Tom. 2.
„ Galliæ Chriſtianæ, pag. 286. ab Hugone de Nuceriis Præ-
„ deceſſore Guillelmi de Seliniaco impetratum ſcripſêre: at
„ non ſolùm ea, quam laudavimus Epiſcoporum Antiſiodo-
„ renſium Hiſtoria, ſed & Robertus à Sancto Mariano, in
„ Chronico, ad Guillelmum id referunt. Poſtremus tamen
„ Autor annum 1207. perperam adſcribit, & ex Philippi Au-
„ guſti literis corrigendus eſt.

2. Resp. Probat hic titulus, uſum Regaliæ in Eccleſiâ Antiſiodorenſi, antequàm liberaretur à Philippo: quid inde inferas contra Eccleſias in Provinciis jureſcripto utentibus poſitas, ad quas de novo extenditur Regalia, cùm Tractus Antiſiodorenſis jure conſuetudinario regatur? Licèt autem Antiſiodorenſis Eccleſia ſuam libertatem redemerit, *datâ non modicâ pecuniæ quantitate ab Epiſcopo:* illi tamen Rex, nullâ factâ pretii recepti mentione, libertatem ſe reſtituere *intuitu divinæ pietatis, & ob remedium animæ ſuæ & parentum ſuorum* declarat. Nonne hinc conjicere liceret alias etiam Eccleſias, quæ ſuâ libertate fruebantur in illis Provinciis in quibus locum habebat Regalia, fuiſſe liberatas titulo oneroſo, licèt pretium

Art.4. datum fuiſſe non appareat : atque adeò illas etiam in ſuâ li-
§. 23. bertate conſervandas eſſe ; etiamſi careant ſpeciali illâ ratione, quæ pro Eccleſiis quatuor Provinciarum integrarum, in quibus ſervatur juſſcriptum, militat ; præſertim cùm videamus, tunc Principes ad uſurpanda Eccleſiæ Jura & bona fuiſſe propenſiores, ut in hoc ipſo teſtimonio, & in multis aliis patet, quàm ad remittenda condonandaque liberaliter Jura Regia in favorem Eccleſiarum. Quàm multis conjecturis minùs ſolidis utitur Pater Alexander in favorem Principum?

§. VIGESIMUS TERTIUS.

De Liberatione Matiſconenſis Eccleſiæ.

1. DISSERT. „ Anno milleſimo ducenteſimo nono Pontius de Thoire Matiſconenſis Epiſcopus „ ab eodem Rege perpetuam remiſſionem Regaliæ „ pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus obtinuit, ſub onere „ tamen Militiæ certis in caſibus ſuppeditandæ. Regii Diplomatis, Tom. 3. Galliæ Chriſtianæ, pag. 683. editi, hæc „ ſunt verba : *Dilecto & fideli noſtro Pontio Matiſconenſi Epiſcopo, & Succeſſoribus ejus, in perpetuum quittamus quicquid Juris in Regalibus Sedis Matiſconenſis habeamus : Ita quòd vacante Sede nihil de mobilibus vel immobilibus per nos vel per alium capiemus in domibus Epiſcopi, nec in caſtellis, aut in villis ejuſdem, neque in hominibus Regalium, neque in prædictis Regalibus aliquid prorſùs retinemus. Et debent habere Exercitum in prædictis Regalibus, non ſimpliciter, ſed tantùm hoc modo : Si Nos vel Filius noſter, vel Mareſchallus, vel*

Sene-

„ *Seneſchallus, vel Conſtabularius Franciæ de mandato noſtro,* *Art.4.*
„ *verſùs partes illas Exercitum duceret, in hoc caſu dictus Ma-* *§.23.*
„ *tiſconenſis Epiſcopus uſque Divionem & non ultra in noſtrum*
„ *Exercitum cum Militibus & armis venire teneretur,* &c. *Con-*
„ *cedimus etiam vacante eâdem Sede, quòd* REGALIA *ſint in*
„ *manu Decani & Capituli Matiſconenſis, ut ea ſalva & inte-*
„ *gra ad opus futuri Epiſcopi reſerventur. Ne autem propter loco-*
„ *rum diſtantiam Matiſconenſi Eccleſiæ damnum aliquod vel pe-*
„ *riculum immineret, ſi Canonici, mortuo Epiſcopo ſuo, eligere non*
„ *poſſent, niſi priùs à Nobis peterent eligendi licentiam: volu-*
„ *mus & concedimus ut dicti Canonici eligant non petitâ à Nobis*
„ *licentiâ eligendi. Electus verò quando confirmatus fuerit, ad*
„ *Nos venire debet, factâ Nobis fidelitate ex manu noſtrâ* REGA-
„ LIA *recepturus.*

2. RESP. Vides hîc *Regalia eſſe in manu Decani & Capituli Matiſconenſis, ut ea ſalva & integra ad opus futuri Epiſcopi reſerventur:* & tamen Epiſcopus Regalia à Rege recepturus dicitur; *Electus verò quando confirmatus fuerit, ad Nos venire debet, factâ Nobis fidelitate ex manu noſtrâ Regalia recepturus.* Unde caſſa demonſtratur Diſſertatoris diſputandi ratio, qui ſæpè ſuprà probare conatus eſt, Reges Chriſtianiſſimos Regaliâ, id eſt uſu-fructu bonorum Eccleſiaſticorum, potitos fuiſſe, licèt teſtimonia ab eo adducta, nonniſi redditionis Regalium mentionem facerent, aut aliâ ſimili orationis formâ efferrentur. Hujuſmodi enim enunciationes per ſe nihil aliud ſignificant, niſi Principes aſſenſum præbuiſſe, ut Epiſcopi feudis Regalibus ad Eccleſias ſpectantibus fruerentur, vel Principes autoritate ſuâ bona illa defendiſſe, malos ab illis invadendis deterrendo. Utrum autem Rex bonorum feudalium fructus ſuos fecerit, nec ne, aliunde, quàm ex verbis ejuſmodi conjiciendum eſt.

§. VI-

Art. 4. §. 24.

§. VIGESIMUS QUARTUS.

De teſtimonio Innocentii III. circa Regaliam in Eccleſiâ Laudunenſi.

1. DISSERT. „ Anno milleſimo ducenteſimo decimo, Innocentius III. Pontifex Maximus Apoſtolicis Literis ad Philippum Auguſtum datis, „ Regaliæ Jus ipſius Majeſtati ex antiquâ & approbatâ conſuetudine in Eccleſiis Regni ſui competere agnovit. „ *Eccleſia Laudunenſi vacante*, inquit, *Præbendam R. Canonici ejusdem Eccleſiæ, ut vacantem* SECUNDUM ANTIQUAM „ ET APPROBATAM CONSUETUDINEM REGNI TUI. *M. „ Thomæ de Argentolio tuo Clerico conceſſiſti.* Quòd autem Rex „ collationis hujus ſuæ confirmationem à Summo Pontifice „ poſtulavit, ut patet ex his verbis : *Petens ut quod ſuper hoc „ feceras, Auctoritate dignaremur Apoſtolicâ confirmare* : Jus „ conferendi non ſpectat, quod antiquum & approbatum „ cùm eſſet, Pontificiâ confirmatione non egebat, ſed difficultatis aut controverſiæ, vacationem Beneficii ſpectantis, „ præcidendæ cauſâ, confirmationem Apoſtolicam Rex Auguſtus rogavit. Id verba ipſa Pontificii Diplomatis probant : *Præbendam ejuſdem Eccleſiæ, ut vacantem, conceſſiſti :* & ſequentia quibus Pontificis reſponſum continetur : „ *Nos ſuper ipſo negotio pro quo Adverſarius præfati Magiſtri „ Thomæ ad Sedem Apoſtolicam jam acceſſerat, illud duximus „ diſponendum, per quod nec Regalis Dignitas læditur, nec alicujus Juſtitiæ derogatur, ſicut tuæ Prudentiæ innoteſcet, ſi „ Literas quas ſuper hoc Laudunenſi Capitulo deſtinamus, tibi feceris*

„ *ceris diligenter exponi, & à Viris Prudentibus in Jure Peri-* Art. 4.
„ *tis fidele conſilium requiſieris ſuper eo. Quocirca Celſitudinem* §. 24.
„ *tuam rogamus attentiùs & monemus, quatenùs ſi ab iiſdem Vi-*
„ *ris Prudentibus fuerit tibi reſponſum, quòd dilectus filius Odo*
„ *Clericus præfatam Præbendam de Jure debeat obtinere, ob re-*
„ *verentiam Sedis Apoſtolicæ & noſtram, divinæ quoque retri-*
„ *butionis intuitu unanimiter toleres, ut jam dictus Odo ſperatâ*
„ *minimè proviſione fruſtretur.* Juriſperitorum Gallorum Judi-
„ dicio cauſas Regaliæ dirimi probavit Innocentius III. quod
„ interim obſervari velim.

2. Resp. An quidquid enunciatur, approbatur? An quando pars adverſæ partis rationes profert, eas veras ac validas eſſe fatetur? Narrat Pontifex, non tamen proprio nomine, ſed tanquàm à Philippo Auguſto expoſitum, Principem illum, Eccleſiâ Laudunenſi vacante, ſecundùm antiquam & approbatam conſuetudinem Regni ſui, Præbendam conceſſiſſe. Ideòne agnoſcit conſuetudinem illam exiſtere, atque antiquam & approbatam eſſe? Sed demus enunciationem ab Innocentio factam; continere tacitam approbationem: an in omnibus Eccleſiis Franciæ vigere declarat?

3. Sed quâ juris Regulâ ſtatuit P. Alexander, Juriſperitorum conſilia eſſe judicia cauſas dirimentia? An in Galliâ reſponſa prudentum vim legis obtinent? Monet Innocentius Philippum, ut *à Viris Prudentibus in Jure peritis fidele conſilium requirat:* ideòne cauſam ab illis tanquàm à Judicibus definiendam agnoſcit?

4. Ex voce autem illâ, *conceſſiſti*, non eſt concludendum, Reges olim Beneficia tempore Regaliæ vacantia pleno Jure contuliſſe. Conceſſio enim imò & collatio ſumitur pro quâvis diſpoſitione, ut obſervat Auguſtinus Barboſa Tract. de

 Ap-

*Art.*4. Appellativâ verb. utriuſque Juris ſignific. appell. 54. Nec an-
§. 25. nis poſtea fermè centum Bonifacius VIII. Papa doctiſſimus, ſolum jus præſentandi titulo Regaliæ Philippo IV Regi competere contendiſſet, ſi tam antiqua fuiſſet pleno jure conſuetudo, aut etiam ab Innocentio III. approbata ſupponatur.

5. Imo hæc verba Innocentii, *Petens ut quod ſuper hoc feceras, Autoritate dignaremur Apoſtolicâ confirmare*, adſtruunt, collationem Beneficiorum non fuiſſe à Regibus pleno jure factam. Cur enim indiguiſſent Autoritatis Apoſtolicæ. Propter difficultatem aut controverſiam vacationem Beneficii ſpectantem, inquit P. Alexander. Sed quid opus erat illam controverſiam ad Pontificem deferre, ſi Rex vel Senatus ſolus fuiſſet competens & ſupremus illius Judex: vel ſi *Juriſperitorum Gallorum Judicio dirimi potuiſſet, quod obſervari* vult P. Alexander?

§. VIGESIMUS QUINTUS.

De occupatione feudorum Præſulum Aurelianenſis & Antiſiodorenſis à Philippo Auguſto.

1. DISSERT. „ Cùm Rex idem Philippus Auguſtus in Regalia Epiſcoporum Aurelianenſis, & „ Antiſiodorenſis manum inieciſſet, quòd condictâ die Milites ſuos ad Regium Exercitum non „ miſiſſent, Innocentius III. Regem rogavit ut eis feuda, cæteraque bona reſtitueret, donec res in Curiâ ſuâ fuiſſet ju- „ dicata ſecundùm conſuetudinem Regni; Regem non ſola „ feuda, ſed ipſas Domos Epiſcopales, & ſupellectilem oc- „ cupâſſe falsò quidam ſuggeſſerant Pontifici, & quòd Antiſtites

„ ſtites non convictos, nec confeſſos, ob crimen alienum mul- *Art.* 4.
„ ctâſſet. Id Pontifex improbavit. Rex alia bona ſe occupâſſe §. 25.
„ negavit quàm Regalia; ſed id ſibi Juris eſſe, dixit, ut Re-
„ galibus ſub manu ſuâ poſitis, Domos etiam & cætera occu-
„ paret. Id quidem vacante Sede legitimum eſſe faſſus eſt In-
„ nocentius, quòd tunc uſum-fructum bonorum Eccleſiæ
„ haberet, ac Præbendas vacantes jure ſuo conferret; ſed vi-
„ ventibus Epiſcopis ipſius Majeſtatem non poſſe manus inji-
„ cere niſi in Regalia ſive feuda, etiamſi Epiſcopi deliquiſ-
„ ſent. Legendæ Epiſtolæ Innocentii centeſima nonageſima
„ libri 13. quinquageſima ſecunda libri 14. trigeſima nona &
„ quadrageſima libri 15. data 3. Nonas Maii, anno milleſimo
„ centeſimo duodecimo. Poſterioris iſtius Epiſtolæ verba no-
„ ſtrum inſtitutum ſpectantia ſubjicio: *Super eo autem*, in-
„ quit, *quòd te niſus es excuſare, quòd non aliud ſaiſieris quàm*
„ *Regalia, dicens quòd quàm citò* REGALIA, *ad manus tuas de-*
„ *veniunt, domos & omnia facis ſaiſiri; illud fortè cùm Se-*
„ *dem Epiſcopalem vacare contingit, fieri tantummodò conſue-*
„ *vit, & tunc non ſolummodò domos, verùm etiam decimas &*
„ *oblationes, nec non & quæque alia quæ invenis, facis omninò*
„ *ſaiſiri, &* IN QUIBUSDAM ECCLESIIS CONFERS PRÆ-
„ BENDAS VACANTES. *Quæ quidem conſtat non debere Rega-*
„ *lium nomine nuncupari; ad quæ, etiamſi conſtaret Epiſcopos*
„ *deliquiſſe, Sede nequaquam vacante manus non debueras exten-*
„ *diſſe*. Innocentius III. doctiſſimus, integerrimus, con-
„ ſtantiſſimuſque Pontifex, qui Philippum Auguſtum aliàs
„ etiam arguit, increpuit, cùm Dei cauſa poſtulabat (ut il-
„ lius Geſta & Epiſtolæ teſtantur) non tuliſſet quòd ejus Ma-
„ jeſtas, Eccleſiis Cathedralibus Regni ſui vacantibus, bo-
„ norum Epiſcopalium uſum-fructum, nec non Præbenda-

 rum

Art.4. „ rum collationem ſibi vendicaret, niſi Jus illud ipſi legiti-
§.25. „ mis titulis quæſitum fuiſſet: nec ipſum hoc ornâſſet elo-
„ gio Epiſt. 190. libri 13. *Cùm alii Reges & Principes rationes „ & Libertates Eccleſiaſticas perſequuntur, Nos, fili cariſſime, „ te illis objiciemus in exemplum, quòd eas in Regno tuo cuſtodis „ illæſas; propter quod & Dominus juſtus Judex te ac Regnum „ tuum hactenùs cuſtodivit illæſum, quin etiam magnificè aug- „ mentavit.*

2. RESP. Quæſtio erat de obligatione, quæ feudo ab Eccleſiis Aurelianenſi & Antiſiodorenſi poſſeſſo annexa erat: ſunt autem Eccleſiæ illæ ſitæ in Provinciis jurisconſuetudinarii. Quamobrem licèt concederemus, Innocentium III. agnoviſſe, Regaliam prout nunc exercetur, in illis locum habuiſſe, nihil inde concludi poſſet adverſùs Eccleſias Aquitaniæ, Occitaniæ, Delphinatûs, & Provinciæ, de quibus præcipuè in hâc diſſertatione agitur; quippe cùm alio jure, quod ſcriptum vocant, regantur, ac in libertatis Canonicæ poſſeſſione hucuſque permanſerint.

3. Sed hoc teſtimonium probat quidem uſum Regaliæ in Eccleſiis Aurelianenſi & Antiſiodorenſi, non autem approbationem Summi Pontificis: tum quia particula illa, *fortè*, quâ utitur Innocentius, innuit, eum nolle approbare, quòd Rex omnia bona Eccleſiarum vacantium, & Regaliæ obnoxiarum, ad ſe reciperet; tum quia vox illa, *ſaiſire*, non ſignificat, uſum-fructum ad eum pertinere, cujus autoritate, vel ad cujus petitionem, res ſaiſiuntur. Per *ſaiſinam* enim, ut vulgò appellatur, rerum & fructuum ſecuritati tantùm conſulitur, & eorum adminiſtratio partibus adimitur, ut poſtmodùm ei adjudicentur, cujus eſſe, definiet Judex.

4. Liquet autem ex Innocentii exemplo, cognitionem con-

controverſiarum circa Regaliam non ita vel ad Regem Chri- *Art.4.*
ſtianiſſimum, vel ad ejus Senatum, pertinere, ut, cùm Jus §. 25.
illud extra debitos limites producitur, non poſſit, aut etiam debeat Summus Pontifex autoritatem ſuam illi progreſſui interponere. Cùm enim Innocentio perſuaſum fuiſſet, Philippum non in ſola feudâ, ſed etiam in reliqua bona Eccleſiarum Aurelianenſis, & Antiſiodorenſis manum injeciſſe, non putabat Innocentius intra preces ac monitiones ſibi ſiſtendum, ſi Philippus ipſum non audiret. Nam lib. 3. Epiſt. 40. hæc ad illum ſcribit; *Ne propter tantam patientiæ noſtræ moram, ex quâ propter favorem tuum, dictorum Epiſcoporum gravamen non ſolùm diſſimulâſſe, vel etiam neglexiſſe videamur; Apoſtolicæ Auctoritatis cogamur adhibere cenſuram. Quia quantacumque neceſſitas nobis immineat, & tibi fortè non minor, nolumus eſſe, juxta Verbum Prophetæ, Canes muti non valentes latrare.*

5. Quæ in eâdem Epiſtolâ poſt prædicta ſcripſit Innocentius III. ad Philippum Auguſtum circa extenſionem Regaliæ ultra feuda Regalia, congruentiſſimè ſcriberentur Ludovico XIV. circa Regaliæ ad Eccleſias liberas extenſionem nuper factam: *Nec injurioſum reputet, ſed potiùs glorioſum, prudenter corrigere, quod improvidè ſtatuiſti; quia non vivit homo ſub Cœlo, qui aliquando non excedat. Unde apud nos dicitur in proverbio generali, quòd humanum eſt peccare.* &c.

Art. 4. §. 26.

§. VIGESIMUS SEXTUS.

De Regaliâ in Eccleſiâ Cenomanenſi.

1. DISSERT. „ Ludovicus VIII. Jus Regaliæ pari-„ ter exercebat in Eccleſiis Regni ſui, ut probat „ Declaratio Mauritii Cenomanenſis Epiſcopi, cu-„ jus hæc ſunt verba : *Noverit univerſitas veſtra, „ quòd nos cariſſimo Domino noſtro Ludovico Dei gratiâ Franco-„ rum Regi fecimus Sacramentum Fidelitatis, ſicut alii Epiſcopi „ Regni Franciæ ipſi faciunt : & ipſe recognovit nobis quòd non „ tenemur ire in exercitum vel equitatum ejus in propriâ perſonâ „ noſtrâ, vel mittere aliquem ſumptibus noſtris : neque occaſio-„ ne iſtius Sacramenti Fidelitatis ullum onus novum aut gravamen „ imponitur nobis aut Eccleſiæ noſtræ, ſed nos & Eccleſia noſtra „ manebimus in illis libertatibus, quas habuimus tempore fœlicis „ memoriæ Philippi quondam Regis Francorum Patris ſui, & Re-„ gum Angliæ Henrici & Richardi. Item recognovit nobis ; „ quòd quando Electus Cenomanenſis erit confirmatus à Metropo-„ litano vel ab eo qui poteſtatem habebit confirmandi, ipſe reddet „ ei* REGALIA *ſua per nuncios deferentes literas patentes de „ confirmatione ejus. Ipſe tamen Electus tenebitur bonâ fide adire „ Dominum Regem, ſi fuerit in Regno, infra quadraginta dies „ poſt ſuſceptionem* REGALIUM, *& eidem Sacramentum Fide-„ litatis præſtare : & ſi infra quadraginta dies ad Dominum Re-„ gem non venerit, Dominus Rex poterit ſaiſire* REGALIA *ſua, „ & ea tamdiu tenere, quouſque Domino Regi Fidelitatem ſuam „ fecerit.* Inſtrumentum iſtud editum eſt inter Probationes Li-„ bertatum Eccleſiæ Gallicanæ, cap. 15. num. 7. pag. 366.

2. RESP.

2. Resp. Hoc etiam teſtimonium unicam ſpectat Eccle- *Art.*4.
ſiam, eamque in Provinciâ juris conſuetudinarii poſitam; §. 27.
nec tamen quidquam dicit de Beneficiorum collatione, imo nec de uſu-fructu omnium bonorum; ſiquidem, ut ſuprà pluries ex Domino de Marca notavimus, Eccleſiæ à Principibus retinebantur *citra uſum-fructum*, ut ſcilicet hâc viâ Epiſcopos ſibi devincirent per Sacramentum fidelitatis, quod ab eis exigebant, dum eis bona reddebant. Omnium bonorum dixi, quia fortè feudorum Regalium fructus Rex ſuos faciebat, quòd in illâ Provinciâ feuda illi oneri communiter ſubiacerent. Itaque in hoc Inſtrumento nec expreſſè continentur præcipuæ Regaliæ partes; & expreſſè excluduntur conditiones de præſtando juramento fidelitatis & in Regeſtis Cameræ Computorum conſcribendo, aliæque recèns adinventæ, ut Regaliæ finis imponatur.

§. VIGESIMUS SEPTIMUS.

De Regaliæ Uſu tempore S. Ludovici.

1. DISSERT. „ Ludovicus IX. Rex Sanctiſſimus, „ quem uſurpationis reum, & Jurium Eccleſiaſti„ corum pervaſorem dicere vel cogitare nefas, Re„ galiæ Jus tum quoad redituum Eccleſiæ vacan„ tis perceptionem, tum quoad Præbendarum collationem „ retinuit, & ſanctiſſimè exercuit, ut teſtatur Guillelmus „ Nangius in ejus vitâ, apud Ducheſnium, Tom.5. pag.369. „ *Sanè*, inquit, *in Beneficiis Eccleſiaſticis conferendis, quæ ad* „ *Patronatum, ſive Donationem ipſius pertinebant, Deum ſemper* „ *præ oculis habebat, & electis & probatis perſonis ea, quantùm*

Art. 4. §. 28. „ *tùm poterat, conferebat. Præcipuè autem in Eccleſiis Cathedra-*
„ *libus, ubi Sede vacante*, RATIONE CUSTODIÆ REGA-
„ LIUM, EX CONSUETUDINE PERTINEBAT AD EUM COL-
„ LATIO PRÆBENDARUM.

2. RESP. Conferebat quidem S. Ludovicus Præbendas ratione Regaliæ, ſed *in Eccleſiis Cathedralibus, ubi Sede vacante, ratione Cuſtodiæ Regalium ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.* Quæ certè conſuetudo non erat in omnibus Eccleſiis Franciæ, ut ex ſequentibus certiſſimè conſtabit. Imo, ut §. 31. videbimus, in aliquibus Eccleſiis Regalia quoad aliquam tantùm ſui partem exercebatur, conſuetudine nimirùm ita habente.

3. Vix tamen crediderim, S. Ludovicum Beneficia pleno jure contuliſſe. Alioquin enim, ut notabam §. 24. num. 4. Bonifacius VIII. Pontifex doctiſſimus Philippo IV. S. Ludovici Nepoti Jus illud competere non negâſſet. Certè Nangius eiſdem verbis exprimit, quod Sanctus Rex præſtabat circa diſpenſationem Beneficiorum ſive Jure Patronatûs, ſive Jure Regaliæ: conſtat autem præſentationem tantùm, non verò collationem abſolutam, jure communi ad Patronos pertinere.

§. VIGESIMUS OCTAVUS.

De poteſtate conferendi Beneficia titulo Regaliæ Reginæ Blanchæ à S. Ludovico datâ.

1. DISSERT. „ Rex Sanctus exercendæ Regaliæ po-
„ teſtatem Blanchæ Reginæ Matri pientiſſimæ
„ conceſſit Regiis Literis, quibus ipſam Regni Re-
„ gentem conſtituit, quandiu ſacræ expeditionis
cauſâ

„ cauſâ à Regno abſens eſſet, datis Junio menſe anni 1248. *Ple-* *Art.*4.
„ *nariam*, inquit, *habeat poteſtatem: . . . . Dignitates etiam* §. 29.
„ *& Beneficia Eccleſiaſtica vacantia conferre, Fidelitates Epi-*
„ *ſcoporum & Abbatum recipere, & eis* REGALIA *reſtituere*,
„ *& eligendi licentiam dare Capitulis & Conventibus vice noſtrâ.*
„ Has S. Regis literas legere eſt inter Probationes Libertatum
„ Eccleſiæ Gallicanæ, cap.15. num.12. pag.367.

2. RESP. Eam tantùm poteſtatem S. Ludovicus Matri ſine dubio contulit, quam ipſe conſueverat exercere: quæ, cùm ad omnes Eccleſias non ſe extenderet, ut inferiùs oſtendemus, de iis Eccleſiis intelligenda eſt, in quibus *ex conſuetudine pertinebat ad eum collatio Præbendarum*; non autem de illis, quæ libertate ſuâ ſemper potitæ ſunt, quales ſunt quæcumque in quatuor Provinciis ſuprà recenſitis ſunt poſitæ.

§. VIGESIMUS NONUS.

De Regaliâ in Eccleſia Sueſſionenſi.

1. DISSERT. „ *Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono ſeptimâ die intrante Aprili, Radulphus de Caſtro Sueſſionenſis Epiſcopus ultra Mare viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. A quo tempore Sedes Beati Gervaſii Sueſſionenſis dicitur vacâſſe. Et eodem anno in Diviſione Apoſtolorum ſaiſita fuerunt Regalia. Item in Craſtino B. Mariæ Magdalenæ vacavit Præbenda in dictâ Eccleſiâ de morte Magiſtri Roberti de Silvaneto: quæ fuit collata, dictâ Sede vacante, à Blancha tunc Reginâ Franciæ, Ludovici cariſſimi filii nomine, Domino Bartholomæo Remenſi Capellano Regis. Item dictâ Sede tunc vacante, vacavit Præbenda in dictâ Eccle-*

Art. 4. „ *ſiâ de morte Philippi Præsbyteri de Caſtro Theodorici : quæ fuit*
§. 29. „ *collata à Dominâ Reginâ, dicti Regis nomine, Magiſtro Joanni*
„ *de Sueſſionis, dicto Cerario* &c.

„ *Item anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo primo, „ die Martis poſt Feſtum B. Hilarii, dicti Canonici ad Mandatum ſpeciale dictæ Reginæ per Literas Patentes ejuſdem, Decano & Capitulo dictæ Eccleſiæ ſe præſentaverunt, ut eoſdem in „ dictâ Eccleſiâ in Canonicos & in Fratres reciperent: ſed dictis „ Canonicis contemptis, die Jovis proximâ ſequenti præfati De„ canus & Capitulum ad electionem proceſſerunt, & dictâ die „ Dominum Nevelonem Archidiaconum in Briâ in Epiſcopum ele„ gerunt.*

„ *Item eodem anno die Lunæ poſt Octavas Purificationis B. „ Mariæ Virginis, coram dictâ Reginâ dictus Electus pro ſe, & „ Jacobus tunc temporis Archidiaconus ſueſſionſis, Theſaurarius „ verò Belvacenſis, Magiſter P. de Sonionts Pænitentiarius Bel„ vacenſis, ex parte dicti Capituli & nomine procuratorio Pari„ ſius perſonaliter comparuerunt, proponentes ex parte dicti Capi„ tuli, quòd collatio Præbendarum, Sede vacante, in prædictâ Ec„ cleſiâ ad Regem nullatenùs pertinebat, hanc ſolam rationem „ prætendentes, quòd Rex nunquam contulerat. Quibus factis & „ dictis, extitit eiſdem reſponſum ex parte dictæ Reginæ, & ex par„ te illorum, qui tunc erant ad Conſilium Regis, videlicet Archiëpi„ ſcopi Bituricenſis, Epiſcopi Aurelianenſis, Epiſcopi Belvacen„ ſis, Epiſcopi Ebroïcenſis, Fratris Reginaldi dicti Cardinalis, „ Fratris Guidonis de Antiſiodoro, Magiſtri Odonis de Lorriaco, „ Magiſtri Petri de Aurivalle, Archidiaconi Pariſienſis, Deca„ ni S. Aniani Aurelianenſis, Domini Gaufridi de Capellâ Mili„ tis, & Domini R. de Caproſiâ, Quòd de conſuetudine Regni „ Franciæ collatio Præbendarum, Sede vacante, in dictâ Eccleſiâ debe-*

„ *debebat ad Regem pertinere. Et hanc reſponſionem dictus Electus* Art. 4.
„ *& Procuratores antedicti Capituli nomine approbârunt, &* §. 29.
„ *laudaverunt, & dictos Canonicos nomine dicti Capituli in Ca-*
„ *nicos & in Fratres receperunt . . . . . Dicti verò Canonici*
„ *pro bono pacis dictam electionem ratam & firmam habuerunt.*
„ Hæc habentur in veteri Inſtrumento de vacatione Eccleſiæ
„ ſueſſionenſis, & de collatione Præbendarum tempore Re-
„ galium, quod ex M. S. Codice Bibliothecæ Colbertinæ edi-
„ dit vir clariſſimus Stephanus Baluzius, Tom. 4. Miſcella-
„ neorum, pag. 495. Ex quo tria colliguntur. Primò, S. Lu-
„ dovicum Præbendas Jure Regaliæ in Eccleſiis vacantibus
„ Regni ſui contuliſſe. Secundò, controverſiam, ſive litem
„ excitatam de Jure Regaliæ, an ſcilicet Eccleſia ſueſſionenſis
„ illi Juri obnoxia eſſet, Præbendarumque collatio ad Regem,
„ Sede vacante, in illâ pertineret, in Regis Conſiſtorio fuiſſe
„ judicatam. Tertiò, Capitulum ſueſſionenſe, quod ſolâ con-
„ ſuetudine fretum Collationes ab Auguſtâ Regente nomine
„ Regis factas, vacante Sede, impugnabat, allegans quòd *Rex*
„ *nunquam contulerat*, cauſâ cecidiſſe. Quartò, pronuntia-
„ tum eſſe à Conſiſtorianis Patribus, quòd *de conſuetudine Re-*
„ *gni Franciæ*, ſeu Regio Jure, *collatio Præbendarum, Sede va-*
„ *cante, in dictâ Eccleſiâ debebat ad Regem pertinere.* Non ad
„ uſum duntaxat, ſed ad Juris fundamenta & rationes; non
„ tantùm quid factum eſſet, ſed quid fieri deberet, ipſos at-
„ tendiſſe.

2. RESP. Liquet ex hoc teſtimonio, Regaliam ex con-
ſuetudine pependiſſe, illamque conſuetudinem non omninò
certam fuiſſe, etiam in Eccleſiis intra Provincias, quæ jure-
conſuetudinario reguntur, & ubi etiam nunc viget Jus Rele-
vii, poſitis, qualis eſt ſueſſionenſis. Solum enim conſuetu-

Art. 4. dinis defectum Regaliæ opponebant Canonici ſueſſionenſes:
§. 29. ſolâ conſuetudine repulſi ſunt: ex ſolâ conſuetudine tempore S. Ludovici & à S. Ludovico diſcernebatur ubi & quatenùs Regalia deberet exerceri, cujus rei inſigne proferetur exemplum §. 31. hujuſce Articuli.

3 At notat P. Alexander, *pronuntiatum eſſe à Conſiſtorianis Patribus, quòd de conſuetudine Regni Franciæ, ſeu Regio Jure; collatio Præbendarum, Sede vacante, in dictâ Eccleſiâ debebat ad Regem pertinere:* verùm non dicunt, hanc conſuetudinem in univerſo Regno locum habere; quod eſt totius controverſiæ cardo. Et ſanè quo juris colore ſola Eccleſia ſueſſionenſis collationem Regiam recuſâſſet, ſi totius Regni conſuetudo ſibi contraria fuiſſet? Non ſolius uſûs defectus, ſed Privilegium opponendum fuiſſet. Patres etiam Conſiſtoriani non dixiſſent, *de conſuetudine Regni Franciæ, collationem Præbendarum, Sede vacante, in dictâ Eccleſiâ debere ad Regem pertinere;* ſed in omnibus Eccleſiis, atque adeò in ſueſſionenſi: præcipuè cùm Canonici non opponerent, Regaliam in eâ Eccleſiâ nunquam locum habuiſſe; ſed, *quòd Rex nunquam contulerat* Præbendas. Itaque reſponſum eſt illis, hanc conſuetudinem in aliis Eccleſiis, vicinis ſcilicet, vigere; adeòque non debere ipſis gravem videri, quamvis S. Ludovicus facultate conferendi Beneficia in illâ nunquam uſus fuiſſet, quia fortè caſus non occurrerat:

4. Fruſtrà verò obſervat P. Alexander controverſiam ſueſſionenſem in Regis Conſiſtorio fuiſſe judicatam. Etenim præterquàm quòd cætus ille, ubi tractata fuit, Epiſcopis, & inferioris Ordinis Eccleſiaſticis viris fermè conſtabat, non fuit judiciorum more ventilata, ſed amicabiliter compoſita. Alioquin enim Patres illi, quos *Conſiſtorianos* vocat, Advocato-

rum

rum potiùs quàm Judicum perſonam ſuſtinuiſſent,ut ex verbis *Art.4*
narrationis patet: *Extitit*, inquit, *eiſdem reſponſum ex parte* §. 30.
dictæ Reginæ & ex parte illorum, qui tunc erant ad Conſilium Regis, videlicet Archiëpiſcopi Bituricenſis &c. Res igitur amicabiliter compoſita potiùs quàm juridicè definita fuit; *dicti verò Canonici pro bono pacis dictam electionem ratam & firmam habuerunt.*

§. TRIGESIMUS.

De Relaxatione Regaliæ Archiëpiſcopo Turonenſi à Reginâ Blanca factâ.

1. DISSERT. „ Eodem anno 1251. Regina Sancti „ Regis Mater ac Regni Procuratrix, Regalia Jura „ condonavit Petro de Lambale Turonenſi Archi-„ ëpiſcopo electo: ſed ejus duntaxat perſonæ, non „ Eccleſiæ Privilegium iſtud indultum eſt. *Regina dixit, quòd* „ *libenter eidem Magiſtro faceret gratiam, & ei reddidit de gra-* „ *tiâ* REGALIA *ſuprà dictâ.* Sic teſtatur vetus Inſtrumen-„ tum eâ de re confectum nomine Epiſcoporum Ebroïcenſis, „ Aurelianenſis, ſilvanectenſis, & Pariſienſis, quod editum „ eſt inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ Cap.15. „ num.13. pag.367.

2. RESP. Inutilis planè eſt ad probandum totum, argumentatio ab enumeratione partium, quando, ut in hâc Diſſertatione, prætermittitur major partium numerus. Obliviſcitur P. Alexander, agi de univerſalitate Regaliæ, præſertimque ejus *extenſione* ad Eccleſias Aquitaniæ, Occitaniæ, delphinatûs, & Provinciæ, in quibus nunquam locum habue-

 rat.

*Art.*4. rat. Fruſtrà ergo circa alias, & quidem Regaliæ, ut omnes fa-
§. 31. tentur, jam pridem obnoxias, vagatur. Adde, quòd verba illa, *Reddidit Regalia*, æquivoca ſunt, nec uſum-fructum à Rege perceptum, multò minùs collata ab ipſo Beneficia, ſignificant, niſi id aliunde conſtet; cùm Principes Eccleſias retinere potuerint *citra uſum-fructum*, ut ſæpe obſervavimus.

§. TRIGESIMUS PRIMUS.

De Regaliâ in Eccleſiâ Anicienſi.

1. DISSERT. „ Anno Domini milleſimo ducenteſi- „ mo quinquageſimo nono, cauſa de Regaliâ Ec- „ cleſiæ Anicienſis apud Velaunos, inter Capitu- „ lum & Regem Sanctum Ludovicum ſuborta, „ in Parlamento Pariſienſi examinata eſt, & Regis Conſtitu- „ tione finita, quâ ſuæ Majeſtati Juriſdictionem temporalem, „ JURE REGALIUM, in civitate, ſuburbiis, & territorio ad „ Epiſcopum pertinentem, pedagium etiam civitatis, & alios „ reditus in eâdem civitate & territorio ad Epiſcopum perti- „ nentes, *exceptis reditibus Altarium*, ſibi ſuiſque Succeſſo- „ ribus Regibus Franciæ in perpetuum retinuit. Cùm autem „ Inquiſitione factâ probatum eſſet, Regem nunquam ad ma- „ num ſuam revocâſſe domum Epiſcopalem, neque arcem, „ civitatis, caſtra etiam, aut villas, & pedagia extra civi- „ tatem, niſi à duabus poſtremis vacationibus; nec ipſum „ aut ejus Prædeceſſores unquam, vacante Eccleſiâ Anicienſi, „ *Dignitatem aliquam in eâ contuliſſe, ſeu Præbendam*; vel ipſi „ aut ejus Prædeceſſoribus annuntiatas fuiſſe mortes Epiſcopo- „ rum, vel petitam à Capitulo eligendi licentiam; immuni-
tatem

„ tatem ab his oneribus illi Eccleſiæ confirmavit. *Super his*, *Art*.4.
„ inquit, *ex nunc in perpetuum dictam Eccleſiam nolumus mole-* §. 31.
„ *ſtari*. Sibi tamen reſervavit Jus occupandi arces & caſtra
„ jure ſupremi Dominii, ſecundùm quod fieri ſolebat anti-
„ quitùs. *Sanè*, inquit, *licèt ratione vacationis fortalicia ci-*
„ *vitatis peti nolumus in poſterum, Jus tamen ea petendi ratione*
„ *Dominii, & recuperandi, Nobis & noſtris Succeſſoribus reti-*
„ *nemus in illis caſibus, in quibus Nobis competit ab antiquo.*
„ Rex Sanctus ſummo jure cum Anicienſi Eccleſiâ agere no-
„ luit, ſed ipſi favere. Quamobrem inquiſitione factâ, cùm
„ non appareret Prædeceſſores ſuos Dignitates vel Præbendas,
„ Eccleſiâ vacante, contuliſſe, Jus illud exercere noluit, ſed
„ illud ſibi non competere non eſt profeſſus: litem duntaxat
„ eâ de re moveri vetuit. Sed cùm ratione Dominii arcem &
„ caſtra civitatis occupandi Jus ſibi ſuiſque Succeſſoribus reſer-
„ vaverit; quoties Principis utilitas ita poſtularet, illorum ra-
„ tione feudalia ſervitia univerſa, adeòque & Regaliam qua-
„ tenùs uſum-fructum feudorum vacantium involvit, & col-
„ lationem Præbendarum, quæ inter fructus cenſetur, *ſibi*
„ *vendicare potuiſſe videtur, ſi ſummo jure agere voluiſſet.* Unde
„ nec in iis quæ vulgò laudantur Principalium Rationum do-
„ cumentis ſive Regeſtis Cameræ Computorum, Anicienſis
„ Epiſcopatùs inter eos conſcribitur, in quibus Rex olim Re-
„ galiam capere non conſueverat. Denique illam Sancti Ludo-
„ vici Conſtitutionem, quæ in unius Eccleſiæ Anicienſis gra-
„ tiam edita eſt, in conſequentiam non eſſe trahendam Pra-
„ gmatici noſtri contendunt, ex eâque colligunt, ad ſupre-
„ mùm Senatum & ad Regem, judicium de hujuſmodi cauſis
„ pertinere. Illam ex veteri Regeſto, quod extat in Camerâ
„ Computorum Pariſienſium, deſcripſit, ediditque Domi-
nus

tempore, ſed nec pedagia extra civitatem ad Epiſcopum pertinentia, niſi à duabus primis vacationibus citra; vel aliquando nunquam vacante Eccleſiâ, Nos vel noſtri Anteceſſores Dignitatem aliquam in eâ contulerimus, ſeu Præbendam; vel Nobis, aut noſtris Anteceſſoribus denunciata fuerit mors Epiſcopi, ſeu ceſſio, vel petita à Nobis ex parte Capituli licentia eligendi; ſuper his ex nunc in perpetuum dictam Eccleſiam nolumus moleſtari. Sanè licèt ratione vacationis, fortalicia civitatis peti nolumus in poſterum, prout diximus; Jus tamen ea petendi, ratione Dominii, & recuperandi, Nobis & noſtris Succeſſoribus retinemus, in illis caſibus, in quibus Nobis competit ab antiquo. Verùm quia per eandem inqueſtam invenimus, quòd à longis retrò temporibus, vacante eâdem Eccleſiâ, ad nos pertinet Jure Regalium, Juriſdictio temporalis in civitate, ſuburbiis & territorio ad Epiſcopum pertinens, pedagium etiam civitatis, & alii reditus in eâdem civitate & territorio ad Epiſcopum pertinentes, exceptis reditibus Altarium; ea Nobis & noſtris Succeſſoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinemus. Actum apud Corbolium anno Domini 1259. menſe Julio. Art. 4. §. 31.

4. Obſerva, in hoc Arreſto S. Ludovicum in cauſâ Regaliæ, non ſe habuiſſe ut abſolutum Dominum, qui autoritate ſuâ declarare poſſet, Jus illud ſibi competere. Recurrebant Eccleſiæ, ab Officialibus Regiis vexatæ, ad Reges, qui rerum veritate perſpectâ, præcipuè autem cognito uſu antiquo, ſeu conſuetudine, hominum memoriam excedente, jura ſua intra poſſeſſionis antiquæ terminos continebant; eâque ratione plerùmque finis imponebatur controverſiis.

5. Ita ſe geſſit S. Ludovicus erga Eccleſiam Anicienſem. Licèt enim ejus Officiales eſſent in poſſeſſione *pedagia extra civitatem ad Epiſcopum pertinentia recipiendi*; quia tamen poſſeſ-

 ſio

Art. 4. §. 31. ſio non erat ex antiquâ conſuetudine, ſed tantùm *à duabus primis vacationibus citra; ſuper hoc in perpetuum dictam Eccleſiam noluit moleſtari*, ſicut neque ſuper aliis, quibus ipſe nunquam fruitus fuerat, neque Anteceſſores ejus, ſcilicet collatione Beneficiorum, domo Epiſcopali &c. Ita Philippus III. S. Ludovici filius Arreſto anno 1272. prolato & in Regeſta Parlamenti relato, vetuit, Regaliam ad Eccleſiam Albienſem extendi, *cùm Dominus Rex ſuper hoc aliàs nunquam uſus fuiſſet.* Ita alii Reges conſuetudinem in hujuſmodi controverſiis ſecuti ſunt, etiam antequàm id ſolenni Concilii Lugdunenſis Decreto ſancitum fuiſſet.

6. Verumtamen, ſi Jus Regaliæ ultra limites antiquos extendi reſciebant Summi Pontifices, ei extenſioni occurrebant, ut videbimus Articulo octavo, qui totus eſt de hoc argumento.

7. Non Hiſtoricum, ſed Ariolum agit Diſſertator, dum ait, quòd *Rex Sanctus ſummo jure cum Anicienſi Eccleſiâ agere noluit, ſed ipſi favere.* Sed quod eſt hujus ariolationis fundamentum? Nonne S. Ludovicus INQUIRI FECIT DILIGENTER, *quæ eſſent illa, quæ ab ipſo & ſuis Anteceſſoribus, Regalium nomine, vacante eâdem Eccleſiâ accipi conſueviſſent ab antiquo?* Nonne, *quia per eandem inqueſtam invenit, quòd à longis retroactis temporibus, vacante eâdem Eccleſiâ, ad ſe pertinebat Jure Regalium, Juriſdictio temporalis in civitate, ſuburbiis & territorio ad Epiſcopum pertinens, pedagium etiam civitatis, & reditus in eâdem civitate & territorio ad Epiſcopum pertinentes, exceptis reditibus Altarium,* EA SIBI ET SUIS SUCCESSORIBUS REGIBUS FRANCIÆ IN PERPETUUM RETINUIT? Quâ ergo in re favit Eccleſiæ? Quia, inquies, *inquiſitione factâ, cùm non appareret Prædeceſſores ſuos Dignitates*

vel

vel Præbendas, Eccleſiâ vacante, contuliſſe, Jus illud exercere noluit. Apage: favoremne præſtare Eccleſiæ cenſendus eſt Princeps, cùm ejus Jus, & quidem maximè ſpirituale, qualis eſt Dignitatum collatio, per vim non uſurpat, ubi illud jure ſibi non competere ex antiquâ conſuetudine intellexit? *Sed*, inquit Diſſertator, *illud ſibi non competere non eſt profeſſus: litem duntaxat eâ de re moveri vetuit.* An ſingulis Arreſtis, quæ à Senatu proferuntur, apponitur hæc clauſula: *Declaramus tale jus Actori non competere?* An non ſufficit quòd, inquiſitione factâ, & cognito, quòd nunquam Actor vel ejus autores eo jure uſi fuerint, Senatus pronunciet, Reum ſuper hoc nunquam eſſe moleſtandum? *Quia verò per inqueſtam, quam fieri fecimus*, inquit S. Ludovicus, *probatum non extitit, ſeu inventum, quòd, vacante Eccleſiâ ſuprà dictâ domum Epiſcopalem, vel fortalicia* &c. *vel aliquo unquam tempore, vacante Eccleſiâ, Nos vel noſtri Anteceſſores Dignitatem aliquam in eâ contulerimus, ſeu Præbendam* . . . . . SUPER HIS EX NUNC IN PERPETUUM DICTAM ECCLESIAM NOLUMUS MOLESTARI. Pudendum eſt, ſententiam adeò claram argutiis obſcurare velle. Art. 4. §. 31.

8. Optandum eſſet, ut P. Alexander, qui Articulo 6. §. 10. reſp: 5. aſſerit, quòd Ludovicus XIV. *De ipſis juribus, quæ S. Ludovicus exercuit, aliquid remittere dignatus eſt*; ſuæ Majeſtati ſuadere conatus fuiſſet, ut S. Ludovicum imitaretur, Regaliæ exercitium ex antiquâ conſuetudine metiendo. At econtrà Officialium Regiorum voluntati ſtylum ſuum accomodans, cùm S. Ludovicus non exiſtimaret, poſſe Regaliam intra eamdem Eccleſiam, ab unâ parte redituum ad aliam, multò minùs à fructibus ad collationem Beneficiorum extendi, ipſe Regaliam & quoad uſum-fructum, & quoad

*Art.*4. Beneficiorum collationem, in plures Provincias, in quibus
§. 31. quoad neutrum hactenùs locum habuerat, contra jus & conſuetudinem, ac ſpeciatim contra Decretum Concilii generalis Lugdunenſis II. propagari poſſe, totâ hâc Diſſertatione probare nititur.

9. In aliis etiam punctis S. Ludovici Theologiæ ſeu Jurisprudentiæ conſona non eſt doctrina Diſſertatoris, ut vides. Non enim putabat S. Rex, verbi gratiâ, probato uno Articulo, ſeu unâ parte Regaliæ, probatam cenſeri alteram, etiam ejuſdem ſpeciei: probato uno jure feudali, probata reputari univerſa ſervitia feudalia, qualis dicitur Regalia: aut generaliter collationem Præbendarum inter fructus cenſeri; quæ ſunt P. Alexandri effata.

10. At colligitur, S. Ludovicum omnes Regaliæ partes in Eccleſiâ Anicienſi *ſibi vendicare potuiſſe, ſi ſummo jure agere voluiſſet*; ex eo quòd *nec in iis quæ vulgò laudantur Principalium Rationum documentis ſive Regeſtis Cameræ Computorum, Anicienſis Epiſcopatus inter eos conſcribitur, in quibus Rex olim Regaliam capere non conſueverat*: At reponam ego, nec inter eos conſcribitur, in quibus Rex olim Regaliam capere conſueverat: ergo in eo Rex Regaliam *ſibi vendicare non poteſt, etſi ſummo jure agere voluerit*. Imò licèt inter Epiſcopatus Regaliæ ſubditos recenſeretur Anicienſis, id de portione illâ tantùm eſſet intelligendum, quam S. Ludovicus ex inquiſitione factâ ad ſe pertinere intellexit, ac *ſibi, & ſuis Succeſſoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinuit*.

11. Certè ſi Officiales S. Ludovici in duabus ultimis vacationibus (jam enim quinquiès vacaverat Anicienſis Eccleſia ſub Regno S. Ludovici, ut in Galliâ Chriſtianâ videre eſt) collationem illam Beneficiorum de novo uſurpaverant, incredibile

eſt,

eſt, Miniſtros Prædeceſſorum Sancti hujus Regis illam negleg- *Art* 4.
turos fuiſſe, ſi quod inveniſſent ejus Juris veſtigium. Atque §. 31.
ex hoc exemplo colligitur, quàm propenſi ſint Officiales Regum, etiam piorum, ad amplificanda Jura Regia cum Eccleſiarum injuriâ. Neque adeò leve videri poterat Jus illud propter paucitatem Præbendarum ad Epiſcopi collationem pertinentium, ut idcirco, juxta futilem Diſſertatoris conjecturam, illud neglexerint S. Ludovicus & ejus Prædeceſſores; quandoquidem ejus exercendi occaſio non adeò erat rara, quin in duabus ultimis vacationibus ſeſe obtuliſſet.

12. Quin & redituum portionis retentio vanam illam Diſſertatoris conjecturam diſſipat, quâ, quia *pleraque Anicienſis Eccleſiæ Beneficia ad collationem Capituli pertinent*, ſuſpicatur, quòd ideò *S. Ludovicus & Regis ejus Prædeceſſores Præbendas in eâ, vacante Sede, non contulerint*. Cùm enim S. Ludovicus hanc redituum portionem *ſibi & ſuis Succeſſoribus Regibus Franciæ in perpetuum retinuerit*: ſuper collationem Dignitatum & Præbendarum, quod Jus eſt magis eximium, *ex tunc in perpetuum dictam Eccleſiam moleſtari* non vetuiſſet, ſi eam ſibi competere cognoviſſet. Adde, quòd utrum ea præbendarum collatio ad ſe pertineret, nequaquam *inquiri feciſſet diligenter*, ſi Jus ſuum hâc in parte tanquam parvi momenti negligendùm duxiſſet.

 §. TRI-

Art.4. §. 32.

§. TRIGESIMUS SECUNDUS.

De teſtimonio Clementis IV. in favorem Regaliæ adducto.

1. DISSERT. „ Cùm Clemens IV. Pontifex Maximus quamdam Remenſis Eccleſiæ Præbendam, „ vacante Sede, contuliſſet, S. Ludovicus conqueſtus eſt, quòd adverſùs Jura Regia id ab ejus „ fuiſſet Sanctitate tentatum. Cui, ut faceret ſatis, æquiſſimus „ Pontifex, Proviſionem à ſe factam revocavit Diplomate dato „ Idibus Septembris anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo „ ſeptimo; cujus hæc ſunt verba: *Verùm quia Tu eâ ratione, „ videlicet, quòd vacantes confers in Eccleſiâ ipſâ Præbendas, à „ tempore quo eamdem Eccleſiam Paſtoris regimine contingit deſtitui, donec ſubſtitutus illi Archiepiſcopus* REGALIA *recipit à „ Te, hujuſmodi Collationem in præjudicium tuum aſſeris eſſe factam: Nos qui à cujuſcumque de puſillis quantumcumque minimis „ ſcandalo abſtinere intendimus, Te, quem pro tuis clariſſimis „ meritis internè complectimur brachio caritatis, ſuper hoc ſcandalizare nolentes, dilecto filio Dionyſio Canonico ejuſdem Eccleſiæ damus ſub certâ formâ noſtris in mandatis, ut à dicto Magiſtro Joanne conſignationem ipſius Præbendæ liberam Auctoritate noſtrâ recipere non omittat.* Et infrà: *Nos per præmiſſa „ uſui quo in præfatâ Eccleſiâ circa collationem Præbendarum ipſarum uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus.* Iſtud „ Clementis IV. Diploma editum eſt inter Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, cap.15. num.16. pag.368. Ex quo, „ ſicut ex Innocentii III. & Alexandri III. reſcriptis ſuperiùs lauda-

„ laudatis refellitur Scripti cujuſdam nuper Italo idiomate de *Art.4.*
„ Regaliâ adverſus Regia Jura conſcripti Anonymus Autor, §. 32.
„ qui Gregorium X. primum omnium Pontificum fuiſſe aſſe-
„ rit, qui Reges Chriſtianiſſimos Regaliâ frui toleraverit.

2. RESP. Obſcurum fuiſſe & incertum Jus Regaliæ adhuc tempore Clementis IV. hoc eſt, poſt medium ſæculum decimum tertium, etiam in Eccleſiis, in quas inductum fuerat, vel ex eo poteſt intelligi, quòd illud in celeberrimâ Eccleſiâ Remenſi locum habere, ignorabat Clemens IV. natione Gallus, ac de quo Henricus Spondanus ad annum 1265. num.1. hæc narrat: *Relictâ armorum militiâ, cui adoleſcens ſe addixerat, literis operam dedit, Juriſque diſciplinam ita exactè didicit, ut Durandus, gravis eâ ætate Juriſconſultus, lumen Juris appellet, Platina Juriſconſultum totius Galliæ ſine contentione primarium, Onuphrius, Juriſconſultorum peritiſſimum. Unde & quòd forenſem vacationem amplexus cauſas integerrimè ageret, ſingulariſque eſſet vitæ moderationis, à S. Rege Ludovico in ſanctius conſilium allectus, in omnium amore & admiratione fuit.*

3. Quamvis autem Eccleſia Remenſis ex illarum numero ſit, quæ in Regeſtis Cameræ Computorum tanquam Regaliæ obnoxiæ recenſentur, Clemens IV. ita Proviſionem à ſe factam revocavit, ut tamen rurſus ſuâ fieri autoritate in favorem ejuſdem perſonæ voluerit, ut patet ex his verbis à P. Alexandro prætermiſſis: *Verùm cùm eidem Dionyſio per alias noſtras literas injungamus, ut ab eodem Magiſtro Joanne juxta priorum literarum noſtrarum tenorem, liberâ ipſius Præbendæ conſignatione receptâ, eam vacantem poſtmodùm præfato Magiſtro Joanni Auctoritate noſtrâ, per ſe, vel per alium conferat & aſſignet, ac eum in poſſeſſionem illius inducat, & defendat inductum: con-*

Art.4. §. 33. *contradictores, perſonâ tuâ exceptâ, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſt poſitâ, compeſcendo.* Si tunc Beneficiorùm collatio, quæ ad Regem Jure Regaliæ pertinere dicebatur, eo privilegio prædita fuiſſet, ut nemini licuiſſet illorum diſpoſitioni ſe immiſcere; quâ ratione Pontifex erga S. Ludovicum optimè affectus, ut hîc & alibi ſignificat, Beneficium tempore Regaliæ vacans abſolutæ Regis diſpoſitioni non reliquiſſet, ſed ſecundam ſuam collationem, adhibitâ cenſurarum interminatione, juſſiſſet executioni demandari?

§. TRIGESIMUS TERTIUS.

De Regaliâ in Eccleſiâ Andegavenſi.

1. DISSERT. „ Anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, Rex idem Sanctus Diploma Ludovici VIII. Patris ſui confirmavit, quod ipſos Jus Regaliæ in Eccleſiâ Andegavenſi exercuiſſe probat. Literas illas S. Ludovici legere eſt in Geſtis Guillelmi Majoris Andegavenſis Epiſcopi, Tom.10. Spicilegii Dacheriani, pag.284. *Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus univerſis tam præſentibus quàm futuris, Nos inclytæ recordationis Regis Ludovici Genitoris noſtri inſpexiſſe literas in hæc verba:*

„ *Ludovicus Dei gratiâ Francorum Rex, univerſis literas inſpecturis, ſalutem. Noveritis quòd fidelis & dilectus noſter Guillelmus Andegavenſis Epiſcopus præſtitit nobis Sacramentum Fidelitatis, ſicut alii Epiſcopi Regni noſtri nobis faciunt, & Nos recognovimus ei, quòd non tenetur ire in exercitum vel equitatum noſtrum in propriâ perſonâ, vel aliquem mittere*

„ *tere ſumptibus ſuis: neque occaſione hujuſmodi Juramenti ullum* Art. 4.
„ *onus novum, vel gravamen imponetur ei vel Eccleſiæ ſuæ, ſed* §. 33.
„ *ipſe & Eccleſia ejus, manebunt in illis Libertatibus, quas habue-*
„ *runt tempore bonæ memoriæ Philippi quondam Regis Franciæ*
„ *Genitoris noſtri, & Henrici & Richardi quondam Regum*
„ *Angliæ. Item recognovimus ei, quòd quando Electus Andega-*
„ *venſis Eccleſiæ, erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui*
„ *poteſtatem habebit confirmandi, Nos reddemus ei* REGALIA
„ *ſua per Nuncios deferentes Literas Patentes Confirmationis ejus:*
„ *ipſe tamen Electus tenebitur bonâ fide Nos adire, ſi fuerimus in*
„ *Regno, infra quadraginta dies poſt ſuſceptionem* REGALIUM,
„ *& Nobis Juramentum Fidelitatis præſtare. Et ſi infra qua-*
„ *draginta dies ad Nos, ſicut dictum eſt, non venerit, Nos po-*
„ *terimus ſaiſire* REGALIA *ſua, & ea tamdiu tenere, quouſ-*
„ *que Nobis fecerit dictam Juramenti Fidelitatem. Sciendum eſt*
„ *etiam, quòd ſi futuris temporibus comitatus Andegavenſis ſe-*
„ *pararetur à Regno, Epiſcopus Andegavenſis non teneretur face-*
„ *re Comiti Andegavenſi hujuſmodi Juramentum. Actum Pariſiis*
„ *anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo tertio, menſe No-*
„ *vembri.*

„ *Nos autem ea, quæ ſuperiùs continentur, rata & accepta*
„ *habentes, & à noſtris Succeſſoribus ea volentes in poſterum in-*
„ *violabiliter obſervari, ad petitionem dilecti & fidelis noſtri*
„ *Nicolai Andegavenſis Electi, in hujus rei teſtimonium Literis*
„ *præſentibus noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſiis*
„ *anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo menſe Februario.*
„ Has Literas Sancti Regis parentis ſui, & avi Ludovici VIII.
„ confirmavit Philippus III.

2. RESP. Hoc exemplum eſt extra rem: cùm ad ſolam Eccleſiam Andegavenſem jam pridem Regaliæ obnoxiam ſpectet.

Art.4. ctet. Deinde in his Literis animadvertendum eſt, Primò, ab
§. 33. onere militiæ, immunem eſſe Epiſcopum: *Non tenetur ire in exercitum vel equitatum noſtrum in propriâ perſonâ, vel aliquem mittere ſumptibus ſuis.* Secundò, nihil occaſione Juramenti dandum ab eo eſſe: *Neque occaſione hujus Juramenti ullum onus novum vel gravamen imponetur ei vel Eccleſiæ ſuæ.* Quocirca poſt Juramentum ejuſdem Guillelmi Majoris, quod habetur in ejus Geſtis cap. 17. in eodem Tom. 10. Spicilegii Dacheriani, hæc ſequuntur; *Serviens quidam ipſius Regis à nobis 25. libras Pariſienſes ratione prædicti Juramenti Fidelitatis petiit, videlicet centum ſolidos pro Rege, & 20. libras pro Camerariis: cui & alii & hoc iteratò petenti reſponſum datum fuit, quòd Litera noſtra prædicta nos ſuper hoc liberabat, in quâ inter cætera continebatur, quòd ratione prædicti Juramenti Fidelitatis nihil novi oneris Epiſcopo Andegavenſi poterat imponi, & hoc novum onus exiſteret, cùm illud onus alii Andegavenſes Epiſcopi aliàs minimè præſtitiſſent: & ita poſt hæc à dictâ petitione ceſſârunt.* Tertiò, notandum eſt, Regalia Epiſcopo reddi, poſtquàm confirmatus eſt, & antequàm præſtiterit Juramentum Fidelitatis, aut etiam coram Rege ſe ſtiterit. Quartò, Juramentum ipſum fidelitatis non fuiſſe præſtandum propriè ratione feudorum, ſed ne Epiſcopus à Regis, ad cujus plenum Dominium reverſus fuerat Comitatus Andegavenſis, obedientiâ recederet, aut populum ſuum ſubduceret. Alioquin enim ad quemcumque perveniſſet Comitatus, ei ſpondenda fuiſſet fides; cùm tamen ſequatur: *Sciendum eſt etiam, quòd ſi futuris temporibus Comitatus Andegavenſis ſepararetur à Regno, Epiſcopus Andegavenſis non teneretur facere Comiti Andegavenſi hujusmodi Juramentum.* Quæ omnia Diſſertatoris, & aliorum Regaliæ Patronorum doctrinæ repugnant.

§. TRI-

§. TRIGESIMUS QUARTUS. *Art.* 4. §. 34.

De Regaliâ in Eccleſiis Andegaviæ & Cenomaniæ reſervatione á S. Ludovico factâ.

1. DISSERT. „ Rex idem Sanctus Literis quibus Andegaviam & Cenomaniam Carolo Fratri ſuo dedit, anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo, „ Regalia ſibi reſervavit. *Sciendum*, inquit, *quòd* „ *Nos* REGALIA *dictarum civitatum, & Abbatiam Fontis-E-* „ *braudi nobis & heredibus noſtris Regibus Franciæ retinemus.* „ Hæ Sancti Ludovici Literæ editæ ſunt Tom. 11. ſpicilegii „ Dacheriani, pag. 372.

2. RESP. Non eſt quæſtio de illis Eccleſiis; cùm ad eas de novo Regalia non extendatur. Adde, quòd Regalia hîc generatim de juribus Regiis intelligenda ſunt, non ſpeciatim de Regaliâ propriè dictâ. Non enim dicuntur retenta *Regalia Eccleſiarum*, ſed *Regalia* civitatum: nec veriſimile eſt, S. Ludovicum fructus Abbatiæ, Fontis-Ebraudi poſt mortem Abbatiſſæ uſque ad alterius electionem percepiſſe, ac loca Monachalia contuliſſe; ſed tantùm Abbatiam illam autoritate ſuâ ex ſpeciali benevolentiâ, quòd eſſet Caput Ordinis ac bonis temporalibus abundaret, quorum occaſione invidiæ magis patebat, adverſùs iniquorum injurias, non minùs vivente, quàm mortuâ Abbatiſsâ, defendiſſe. Alioquin quare in hâc potiùs quàm in aliis, quæ multæ ſunt, illarum partium Abbatiis, Regaliam ſibi reſervâſſet? Itaque aliunde quærendum eſt, quænam eſſent in illis Provinciis jura Regis in Eccleſias vacantes.

Art. 4. §. 35.

§. TRIGESIMUS QUINTUS.

De poteſtate conferendorum Beneficiorum in Regaliâ vacantium à S. Ludovico Pariſienſi Epiſcopo datâ.

1. DISSERT. „ Anno milleſimo ducenteſimo ſexa„geſimo nono, menſe Martio, poteſtatem dedit „ Stephano Pariſienſi Epiſcopo Eccleſiaſtica con„ferendi Beneficia, tàm ratione Regalium, quàm „alio quocunque jure ad ſuam Collationem aut Præſentatio„nem pertinentia. Ejus eâ de re Literæ editæ ſunt apud Du„cheſnium Tom. 5. pag. 423. quarum hæc ſunt verba: *No„tum facimus quòd Nos exiſtentes in procinctu itineris noſtri pro„ficiſcendi in ſubſidium Terræ Sanctæ, Perſonatus, Præbendas, „ Eccleſias, Capellanias, & cætera Eccleſiaſtica Beneficia, quæ„cunque vacâre contigerit citra Mare, in hâc noſtræ peregrina„tionis abſentiâ, ad noſtrum Patronatum, Collationem ſeu Præ„ſentationem noſtram,* TAM RATIONE REGALIUM, *quàm „ alio quocunque jure pertinentia, conferendi perſonis idoneis, „ & nullum aliud Beneficium Eccleſiaſticum habentibus, ac præ„ſentandi ad vacantes Eccleſias vice noſtrâ, dilecto & fideli „ noſtro Stephano Pariſienſi Epiſcopo, plenam & liberam com„ mittimus poteſtatem; dum tamen de conſilio diſcretorum viro„ rum Cancellarii Pariſienſis Eccleſiæ, Prioris F. F. Prædicato„ rum, & Gardiani F. F. Minorum Pariſienſium, vel duorum „ ex ipſis, in hujuſmodi Collatione, vel Præſentatione procedat, „ & in Literis Donationis vel Præſentationis ſpecialiter expri„ matur, quòd ex Auctoritate & vice noſtrâ ſibi commiſſa, Col„ latio vel Præſentatio ipſa fiat.*

2. RESP.

2. Resp. Tempore S. Ludovici uſum conferendi Beneficia, ſeu ad illa præſentandi, in aliquibus Eccleſiis vacantibus jam fuiſſe inductum, non negatur: ſed uſum illum in omnibus Eccleſiis extitiſſe, neque Literis hîc exſcriptis, neque alio teſtimonio probari poteſt. Dat enim Rex poteſtatem tantùm *Beneficia ad ſuum Patronatum, Collationem ſeu Præſentationem tam ratione Regalium, quàm alio quocumque jure pertinentia conferendi.* Sicut ergo ex his verbis nequit contra facti evidentiam inferri, Regem ubique habere Jus Patronatûs, ita nec ubique obtinere Jus Regaliæ, quod hujus controverſiæ punctum eſt, cùm de *extenſione Regaliæ* agatur. *Art. 4. §. 36.*

§. TRIGESIMUS SEXTUS.

De Regaliâ Raymundi Comitis Toloſani.

1. DISSERT. „Regnante Sancto Ludovico anno „1209. Raymundus Comes Toloſanus, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, omnibus Eccleſiis „Provinciarum Viennenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Burdigalenſis, & Bituricenſis immunitatem conceſſit, non ſolùm ab albergariis, procurationibus, vel exactionibus & vectigalibus quibuſcumque, ſed etiam à Regaliâ. „*Defunctis etiam eorum Epiſcopis*, inquit, *vel Rectoribus aliis, ipſos vel domus eorum per me vel per alium nullo modo ſpoliabo. Nec Adminiſtrationi earum, ſeu* CUSTODIÆ, *occaſione alicujus conſuetudinis, vel aliquâ aliâ, me ullatenùs immiſcebo: ſed omnia ſine aliquâ diminutione defunctorum Succeſſoribus teneantur. Electioni etiam Epiſcopi, vel alterius Rectoris Ec-*

Art. 4. *„ cleſiæ faciendæ, per me, vel per quamcunqne perſonam, me nul-*
§. 36. *„ latenùs immiſcebo: nec aliquam violentiam faciam, vel impe-„ dimentum præſtabo, quominùs electio canonicè fiat ac liberè ce-„ lebretur.* Tom. II. P. I. Concil. Edit. P. Labbe, pag. 40.

2. RESP. Ex quibus Chronicis accepit Hiſtoricus noſter regnâſſe S. Ludovicum anno 1209. quo tempore peſſimæ conſuetudini renunciavit Comes Toloſanus; niſi fortè ſexcennio antequàm naſceretur, regnare ceperit. Aſſignatur enim natalis ejus dies ad 25. Aprilis 1215. Sed is error parvi refert. Utinam Diſſertator periculoſiùs non erràſſet circa principale controverſiæ punctum, quod eſt de extenſione Regaliæ.

3. Magnum ſiquidem eſt diſcrimen inter exempla ſuprà relata, & illa quæ modò adducuntur. Prima enim, quæ pertinent ad illas Provincias, in quibus ex antiquâ conſuetudine viget Regalia, ejus Juris primordia in illis Provinciis exhibent; quæ autem in hoc paragrapho & in ſequentibus continentur, quæque ad Provincias ſpectant, ad quas Regalia novè porrigitur, ad peſſimam illam conſuetudinem referenda ſunt, de quâ loquebatur Diſſertator artic. 2. §. 16. Duces enim, aliique Domini abſque ullo jure bona Epiſcoporum defunctorum, aliquando etiam Eccleſiarum vacantium invadebant: unde vel compellente Eccleſiâ, vel propriâ remordente conſcientiâ huic uſui, vel veriùs abuſui renunciârunt.

4. Tantùmque abeſt, ut hinc probari poſſit uſus Regaliæ; ut etiam contrarius uſus probetur. Si enim Reges, ad quos ſolos ex Patre Alexandro pertinet Regalia, eo Jure in Provinciis Linguæ Occitanæ, verbi gratiâ, uſi fuiſſent, non potuiſſent Duces aut Comites, Epiſcoporum defunctorum ſpolia, & facultates Eccleſiarum vacantium occupare: aut ſi uſus ille idem fuiſſet, ac Regalia, dum ei renunciârunt Duces, vel Co-

Comites, non in favorem Eccleſiarum ceſſiſſet, ſed Jus ſuum Reges reſumpſiſſent, contra quod factum teſtantur renunciationis Inſtrumenta, & Hiſtoriarum monumenta. *Art. 4.* §. 37.

5. Renunciatio à Raymundo Comite Toloſano coram Milone Legato Sanctæ Sedis in Concilio apud Sanctum Ægidium facta, cujus hîc à P. Alexandro fragmentum affertur, ſic incipit: *Ego Raymundus, Comes, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, pro animæ meæ remedio, & Progenitorum meorum, omnibus Eccleſiis & Domibus Religioſis Provinciarum Viennenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Burdigalenſis, & Bituricenſis promitto*, &c. Itaque non Regi Regaliam, contra eum uſurpatam, reſtituit, ſed ab injuriis, quibus Eccleſiaſticam Libertatem oppreſſerat, ſe abſtenturum promittit: idque ſatis indicant verba illa Fragmenti à Diſſertatore relati: *Nullo modo ſpoliabo: me ullatenùs immiſcebo: nec aliquam violentiam faciam.* Non ità loquebantur Reges, dum Regaliam remittebant alicui Eccleſiæ, in quâ viguerat. Adde, quòd Duces & Comites Beneficiorum collationem, Regaliæ partem præſtantiſſimam, uſurpâſſe nuſquam legimus.

§. TRIGESIMUS SEPTIMUS.

De renunciatione Ildephonſi Comitis Toloſani.

1. DISSERT. „Ildephonſus Comes Toloſanus anno milleſimo centeſimo trigeſimo octavo conſuetudinem occupandi ſpolia Toloſani Epiſcopi defuncti, à ſuis Anteceſſoribus uſurpatam remiſerat, ut conſtat ex Chartâ Donationis editâ à Clariſſimo Viro G. Catello, in Hiſtoriâ Comitum Toloſanorum,

pag.

Art.4. „ pag. 195. cujus hæc ſunt verba: *Derelinquo & abſolvo coram*
§. 38. „ *populo Toloſano illam peſſimam conſuetudinem, quam Anteceſſores* „ *mei, in rebus Toloſani Epiſcopi defuncti per violentiam exige-* „ *bant .... Et nec Ego, nec ullus ex Heredibus meis de cætero* „ *poteſtatem habeat, nec per ſe, nec per nuncios ſuos, vel vica-* „ *rios ſuos rapiendi vel capiendi res Epiſcopi poſt mortem ejus.*

Vide quid Diſſertator Regaliam appellet; ſcilicet, *peſſimam conſuetudinem, quam in rebus Toloſani Epiſcopi defuncti per violentiam exigebant Comites Toloſani: poteſtatem rapiendi vel capiendi res Epiſcopi poſt mortem ejus.* Illæne ſunt Regaliæ dotes?

§. TRIGESIMUS OCTAVUS.

De ceſſione Ermengardis Narbonenſis Vicecomitiſſæ.

1. DISSERT. „ Eidem uſui nuncium remiſerat Er- „ mengardis Narbonenſis Vicecomitiſſa, anno „ milleſimo centeſimo quinquageſimo quinto. Ceſ- „ ſionis ejus Chartam ex Chartulario Archiëpi- „ ſcopi Narbonenſis edidit V. C. Stephanus Baluzius, in Ad- „ ditione ad cap. 18. libri 8. D. de Marca, de Concordiâ Sa- „ cerdotii & Imperii, pag. 422. religioſiſſimæ Vicecomitiſſæ „ verba ſubjicio: *Ego Ermengardis Narbonenſis Vicecomitiſſa,* „ *recognoſcens injuriam, quam Parentes mei, & Ego in poſſidendis* „ *honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiëpiſcoporum* „ *Narbonenſis Eccleſiæ hucuſque perperàm fecimus juſtitiæ, inſtin-* „ *ctu, & pietatis intuitu, pro remedio animæ meæ, parentum meo-* „ *rum, per bonam fidem & ſine malo ingenio ſolvo, guirpiſco, dere-* „ *linquo, & cum hâc Chartâ omninò deſamparo Domino Deo & B.* *Mar-*

„ *Martyribus Juſto & Paſtori, & tibi Petro Narbonenſi Ar-* Art. 4.
„ *chiëpiſcopo, & Succeſſoribus tuis in perpetuum, quicquid vi-* §. 38.
„ *delicet rapere vel aliquâ occaſione accipere ſolebam Ego ſeu ali-*
„ *quis pro me Narbonæ, ſive in alio aliquo loco, in honore aut in*
„ *bonis decedentium Archiëpiſcoporum perceptis vel percipiendis.*
„ Hanc ſponſionem Hadrianus IV. Pontifex Maximus con-
„ firmaverat, Diplomate quod ibidem edidit Baluzius, cujus
„ hæc ſunt verba : *Dilecta in Chriſto filia noſtra nobis mulier*
„ *Ermengardis Narbonæ Domina pravam quamdam conſuetudi-*
„ *nem, quæ contra Deum & Eccleſiam veſtram antiquitùs inole-*
„ *verat, Divinæ Legis amore, ac tuæ, frater Archiëpiſcope, di-*
„ *lectionis intuitu abolere deſiderans, ad remiſſionem peccatorum*
„ *ſuorum inſtituit, ut te vel tuorum Succeſſorum quolibet obeun-*
„ *te, nullus Caſtellanus, nulla omninò ſecularis perſona Epiſco-*
„ *palia bona invadere, diminuere, aut perturbare præſumat, ſed*
„ *omnia futuro Antiſtiti inconcuſſa & integra conſerventur.*
„ *Ejus itaque Nos pium comprobantes affectum, & renuntiatio-*
„ *nem ipſius ratam habentes, eam Auctoritate Apoſtolicâ confir-*
„ *mamus . . . . Archiëpiſcopo itaque decedente, nec terræ*
„ *Princeps, nec Caſtellanus aliquis, ſive Miles, nec Secularis*
„ *aliqua laïcave perſona, ſub obtentu alicujus conſuetudinis,*
„ *Narbonenſis Eccleſiæ bona diripere, vel direpta audeat reti-*
„ *nere.*

2. Resp. Alia eximia Regaliæ notio ! *Narbonenſis Vicecomitiſſa, recognoſcit injuriam, quam Parentes ejus & ipſa in poſſidendis honoribus & bonis diripiendis decedentium Archiëpiſcoporum Narbonenſis* Eccleſiæ *hucuſque perperàm fecerunt : & juſtitiæ inſtinctu ſolvit quicquid rapere, vel aliquâ occaſione accipere ſolebat :* ergo Regaliæ in Eccleſiâ Narbonenſi nuncium remittit. Nonne P. Alexander peſſimè de Regaliâ ſentiendi

Art.4. occaſionem præbet, eam *pravam conſuetudinem, quæ contra*
§. 39. *Deum & Eccleſiam antiquitùs inoleverat*, nuncupans, aut ſic nuncupantium auctoritate utens? Nonne ſic agens, cauſæ cujus patrocinium ſuſcepit, prævaricator meretur audire?

3. Sed ſi de legitimo uſu Regaliæ hîc agitur, quo jure Summo Pontifici licuit huic ſe negotio immiſcere? Quo jure Ermengardis *renunciationem ratam habens, eam Auctoritate Apoſtolicâ confirmavit?* Cur ſaltem Regi Jus ſuum non tribuit, Regaliam ei reſtituens? Cur Rex permiſit hujus cauſæ ſibi adimi cognitionem, imò à Pontifice prohiberi, *ne terræ Princeps, nec Caſtellanus aliquis, ſive Miles, nec ſecularis aliqua laïcave perſona ſub obtentu alicujus conſuetudinis, Narbonenſis Eccleſiæ bona diripere, vel direpta audeat retinere?* Imò aliqui opinantur hanc Ermengardis renunciationem, ſuadente ipſo Rege fuiſſe factam: quod fortè innuunt hæc verba, quæ habentur in fine prædictarum literarum; *Factum eſt autem hoc apud Montempeſſulanum menſe Januarii* XVIII. *Kal. Februarii, die Sabbathi, ſub* LODOICO FRANCORUM REGE DE SANCTO JACOBO REDEUNTE. Hic erat Ludovicus VII. dictus Junior.

§. TRIGESIMUS NONUS.

De renunciatione Frederici II.

1. DISSERT. „ Fredericus II. Jus occupandi ſpolia „ Epiſcoporum morientium, & fructus Epiſcopatuum vacantium Eccleſiis remiſit Conſtitutione datâ anno milleſimo ducenteſimo decimo „ tertio, quam deinde Bullâ Aureâ confirmavit anno milleſimo

„ ſimo ducenteſimo undevigeſimo datâ ad Honorium III. *Art.* 4.
„ Papam, cujus hæc ſunt verba: *Illum quoque dimittimus &* §. 40.
„ *refutamus abuſum, quem in occupandis bonis decedentium*
„ *Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, noſtri con-*
„ *ſueverunt Anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis.*
„ *Omnia Nos ſpiritualia vobis & aliis Eccleſiarum Prælatis re-*
„ *linquimus liberè diſponenda; ut quæ ſunt Cæſaris Cæſari &*
„ *quæ Dei Deo, rectâ diſtributione reddantur.*

2. Resp. Ejuſdem generis eſt iſtud Inſtrumentum ac præcedentia, ſcilicet ceſſatio ab injuſtitiâ, non legitimi juris ceſſio. Fredericus *dimittit & refutat abuſum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Eccleſiarum vacantium, ejus conſueverant Anteceſſores committere pro motu propriæ voluntatis.* Ideòne Rex Chriſtianiſſimus habet Jus Regaliæ in Provinciis, quæ per Conſtitutionem Frederici in priſtinam & Canonicam libertatem vindicatæ, eam hucuſque retinuerunt? Per Frederici renunciationem, *quæ ſunt Dei Deo redduntur*: ergone cùm Chriſtianiſſimi Regis Officiales ea ipſa ſuæ Majeſtati vendicant, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari reddunt?*

§. QUADRAGESIMUS.

Obſervationes P. Alexandri circa prædicta exempla.

1. Dissert. „ Utrum hujuſmodi ceſſionibus, re-
„ miſſionibus, ac Privilegiis, Eccleſiæ, quæ in
„ ditionibus Frederici II. Ildephonſi Comitis,
„ Ermengardis Vicecomitiſſæ, & Raymundi Co-
„ mitis, ita fuerint à Regaliâ abſolutæ, ut illi deinceps à Chri-

 ſtia-

Art. 4. „ ſtianiſſimis Regibus ſubjicii non potuerint. Quæſtio eſt
§. 40. „ Gallorum Juriſconſultorum, Senatûs Pariſienſis, Conſcri-
„ ptorum Patrum, Sacri Conſiſtorii Judicio, Regiſque De-
„ claratione dirempta.

2. RESP. Fatetur ergo Pater Alexander, Regaliam eſſe *ſpoliationem Eccleſiarum, violentiam, peſſimam conſuetudinem, poteſtatem rapiendi, injuriam, rapinam, pravam conſuetudinem, abuſum.* Ejuſmodi enim eſſe illa, quibus renunciabant Principes, ipſimet declarârunt, ſignificantes ſe Eccleſiæ jura violâſſe, non Regaliam in damnum Regis uſurpâſſe: cùm ne leviſſimum quidem appareat indicium factæ Regi injuriæ, quæ non ita propriè diceretur, *prava conſuetudo contra Deum & Eccleſiam.* Si ergo Principes illi non legitimo alicui juri renunciârunt, ſed peſſimis conſuetudinibus: fruſtrà quæritur, utrum Rex Privilegia, in favorem Eccleſiarum ab aliis Principibus conceſſa, poſſit revocare?

3. Cùm autem de cauſâ ſpirituali & Eccleſiaſticâ, ſcilicet abſolutâ Beneficiorum collatione, ac bonorum Eccleſiarum vacantium uſu-fructu, agatur; cur ita Gallorum Juriſconſultorum, Senatûs Pariſienſis, Conſcriptorum Patrum, Sacri Conſiſtorii Judicio, Regiſque Declaratione diremptam putabimus, ut Summi Pontificis ſententia, frequentibus literis apertè ſignificata & ſacris Canonibus, ac præcipuè Concilii Generalis Lugdunenſis II. Decreto conſentanea, pro nihilo ducenda ſit?

4. DISSERT. „ Ildephonſi Comitis, & Ermengardis Vi-
„ cecomitiſſæ Diplomata Regaliam non ſpectant, ſed Jus dum-
„ taxat occupandi ſpolia defunctorum Epiſcoporum, quod To-
„ loſani Comites, & Vicecomites Narbonenſes uſurpaverant.
„ Quod abſque prædiorum & Jurium temporalium ad Eccle-
ſias

„ ſias pertinentium uſurpatione & direptione factum non *Art.*4.
„ fuiſſe, ipſius Ermengardis & Hadriani IV. verba teſtantur. §. 40.

5. Resp. Si hæc Diplomata Regaliam non ſpectant, quorſùm à Diſſertatore adducta ſunt? Quorſùm illa quæſtio ab eo propoſita, utrum illæ renunciationes Regi Chriſtianiſſimo, Regaliam ad eaſdem Eccleſias extendenti, officiant; ſi autem ad ſtatuendum Jus Regaliæ proferuntur, eâque de cauſâ P. Alexander conſuetudinem, cui renunciârunt Ildephonſus & Ermengardis, vocat Jus occupandi ſpolia: cur non meminit, ſe Articulo 2. §. 16. ſcripſiſſe de Canone decimoquarto Concilii Troſleiani, ipſum loqui *de ſpoliis Epiſcoporum defunctorum, quæ à Potentibus paſſim & impunè diripiebantur*; ſtatimque addidiſſe; *Morem peſſimum qui in Galliis etiam invaluerat, Patres execrati ſunt, & ſacrilegii damnârunt. Quia,* inquiunt, *inter noſtrates hic peſſimus inolevit mos* &c. Relatoque illo Canone integro, & aliis in eo inſertis, Autorem Tractatûs Appamienſis de Regaliâ, malæ fidei arguiſſe, quòd illos integros non exſcripſiſſet, ne ſcilicet Lectores animadverterent, *Troſleianæ Synodi Patres illum* (Canonem) *condidiſſe contra illos, qui ſpolia Epiſcoporum decedentium diripiebant.* Erat ergo *mos peſſimus*, à Canonibus damnatus, quod P. Alexander hîc vocat *Jus occupandi ſpolia defunctorum Epiſcoporum:* etiam ſi occuparentur abſque prædiorum & Jurium temporalium ad Eccleſias pertinentium uſurpatione & direptione.

6. Quocumque demùm nomine vocetur, quod à Comitibus illis fiebat, *peſſima conſuetudo* erat, ut fatetur Ildephonſus: *injuria* erat, ut agnoſcit Ermengardis: & quicumque Regi Chriſtianiſſimo ſuadere conantur ut ſimilia præſtet, autores illi ſunt, ut *peſſimam conſuetudinem* induat, & Eccleſiæ *injuriam faciat.*

Art. 4. §. 40. 7. DISSERT. „Immunitatem ab onere Regaliæ ſuarum „ditionum Eccleſiis Fredericus II. & Raymundus Toloſanus „Comes conceſſerunt, ut Summos Pontifices promererentur, & rerum ſuarum neceſſitate compulſi: Raymundus „quidem, ut Cruce ſignatum Exercitum terris ſuis imminentem averteret: Fredericus, ut Ottonem æmulum auctoritate & auxilio Romani Pontificis, & Epiſcoporum penitùs contereret, & Coronam Imperii ipſis faventibus obtineret.

8. RESP. Vaniſſima cavillatio! ſcilicet Fredericus Eccleſiis ſuam libertatem geminis Declarationibus, iiſque admodùm ſolemnibus & authenticis reſtituens, legitima jura Imperii dimiſit, ut Summo Pontifici placeret. Scilicet Cruce ſignati, Sanctæ Sedis Legati, aut Epiſcopi bellum contra Raymundum gerebant, ut ejus jura invaderent, aut ut Eccleſiaſtica Jura protenderent: non autem ut eum ab hæreſi, vel ſaltem ab hæreticis protegendis, & Catholicis opprimendis revocarent. An Comitis reconciliatio, quam tantopere expetebat Eccleſia, tam charo pretio Comiti vendita fuiſſet, ut eam, niſi eximiis juribus ſuis cederet, non poſſet impetrare? Temerarium eſt id ſuſpicari.

9. Quâ prudentiâ, quo conſilio Raymundus & Fredericus ſignificâſſent, ſe non liberalitate in Eccleſiam uſi, ſed injuriæ, atque abuſui finem imponere, ſi ſuis renunciationibus *Summos Pontifices promereri* tantùm voluiſſent? Plus eis Eccleſia debuiſſet, ſi citra juſtitiæ debitum eam tam optabili libertate donâſſent. *Illum quoque dimittimus & refutamus abuſum*, inquit Fredericus, *ut quæ ſunt Dei Deo reddantur*. Et Raymundus; *Nullo modo ſpoliabo: me nullatenùs immiſcebo.* An ergo fruſtrà Principes illi confeſſi ſunt, ſe fuiſſe ſacrilegos?

10. DIS-

10. DISSERT. „ Sed circa hujuſmodi Conceſſiones & *Art.4.*
„ Immunitates Viri harum partium eruditi multa obſervant, §.40.
„ quibus fraudari Lectores nolim; quos tamen meminiſſe cupio, me hiſtoricè tantùm, non dogmaticè loqui, ubi de Regaliæ extenſione ſermo eſt.

11. RESP. Judicet Lector ex hactenùs dictis, & cùm ſequentia legerit, utrum P. Alexander *hiſtoricè tantùm, & non dogmaticè loquatur*. Ego quidem Advocatum Regium pro Rege Chriſtianiſſimo contra Eccleſiam dicentem, non Hiſtoricum narrantem, vel Theologum diſputantem audire mihi videor; niſi quod Officialem Regium puderet tam futilibus argumentis, qualia ſunt plurima ex iis, quæ in hâc Diſſertatione occurrunt, cauſæ Regiæ coram eruditis Viris patrocinari: voluit Diſſertator proteſtatione illâ vituperium ex injuſtæ cauſæ patrocinio ſibi conflandum declinare: paucos tamen fore arbitror, qui hâc Rhetoricæ figurâ, quam totus ferè Diſſertationis textus eluit, deludi ſe ſinant. Verùm ſive proprium, ſive alienum ſenſum exprimat Autor Diſſertationis, obſervationes expendamus, quibus fraudari Lectores noluit.

12. DISSERT. „ Obſervant primò, ex Raymundi Toloſani Comitis Diplomate, & Frederici II. Conſtitutionibus certiſſimum eſſe, Jus uſumque Regaliæ in Provinciis Narbonenſi, Auxitanâ, Burdigalenſi, Bituricenſi, Arelatenſi, Viennenſi, & in Eccleſiis Delphinatûs, quæ ad Toloſani Comitis aut Imperatoris Ditionem pertinebant, ante Raymundi & Frederici II. tempora invaluiſſe. Uterque enim Progenitorum ſeu Anteceſſorum ſuorum meminit, qui eo Jure potiti ſunt.

13. RESP. Non Regaliæ renunciârunt Raymundus & Fre-

Art.4. Fredericus, quam ne quidem nominârunt, ſed *peſſimam con-*
§.40. *ſuetudinem, pravam conſuetudinem contra Deum & Eccleſiam dimiſerunt.* Peſſimè ergo Regaliæ patrocinantur, qui ejus juſtitiam, vel uſum probant teſtimoniis, abuſum eidem Regaliæ aliquatenùs ſimilem clariſſimè damnantibus.

14. Si uſui aliquid concedendum eſt, nonne præſtat, Eccleſiam in ſuæ Libertatis, ſacris Canonibus, Religioni, ac rectæ rationi conſentaneæ, antiquiſſimâ poſſeſſione conſervare, quàm uſum antiquatum, ab Eccleſiâ & à Principibus ipſis reprobatum innovare? An Eccleſiam Jus ſibi minimè debitum à Principibus extorſiſſe; aut Principes illo Jure tanquam abuſu & peſſimâ conſuetudine cedentes, in ſuum ac Succeſſorum ſuorum præjudicium mentitos fuiſſe potiùs credemus, quàm eos iniquâ oppreſſione Eccleſiam liberâſſe?

15. DISSERT. „Obſervant ſecundò, Fredericum II. „abuſum Juris Regaliæ, potiùs quam uſum legitimum ejurâſſe dici poſſe, aut certè non exiſtimâſſe ligari ſe Conſtitutionibus à ſe editis quoad hoc caput, quas rerum ſuarum neceſſitas extorſerat. Siquidem Gregorius IX. qui Honorio III. ſucceſſit, ad ipſum ſcribebat, anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſexto, de uſu Regaliæ: *Eſto quòd aliqua „Beneficia vacantia conferas: ut curam tamen animarum illis „annexam committere valeas Jus ſpirituale, quod non cadit in Laï„cum, non permittit. Eſto quòd in collatione Beneficiorum morientibus ſuccedas (ut dicis) Epiſcopis, majorem in hoc ipſis non „adipiſceris poteſtatem.*

16. RESP. Fredericum II. in propoſito juſto inconſtantem fuiſſe potiùs, quàm extortam ab eo juſtiſſimam Declarationem, attento illius Principis ingenio, certiùs judicaretur. Faciliùs certè inductos ab Aulicis aut à propriis cupiditatibus

Prin-

Principes ad uſurpanda bona & jura Eccleſiæ, etiam poſt promiſſiones aut reſtitutiones ab ipſis factas, quàm Eccleſiam audiiſſe, jura ſua, vel repetentem, vel defendentem, paſſim teſtantur Hiſtoriæ. Quòd autem inviti Eccleſiæ propria jura conceſſerint, neſcio quibus exemplis confirmari queat. *Art. 4. §. 40.*

17. Verùm ne ab hoc ipſo Frederici exemplo recedamus, Gregorius IX. paulò poſt illa, quæ ex ejus Epiſtolâ retulit P. Alexander, ſignificat, primò Imperatorem non jure, ſed uſurpatione Regaliam exercere: ſecundò, illud exercitium non poſſe impedire, quin Pontifex Beneficia non collata conferret: *Eſto,* inquit, *quòd in collatione Beneficiorum morientibus ſuccedas, ut dicis, Epiſcopis; majorem in hoc ipſis non adipiſceris poteſtatem, nec nos ob id, qui eis viventibus conferre Beneficia non collata potuimus, jam te locum tenente,* NE DICAMUS USURPANTE, *Pontificis, Apoſtolicæ amittimus plenitudinem poteſtatis.*

18. Unde autem colligit Diſſertator, Fredericum *aliqua* illa *Beneficia* in Delphinatu & Provinciâ contuliſſe? Quonam argumento probabit, quòd illarum Regionum Eccleſiæ liberæ non erant tempore Concilii II. Lugdunenſis, aut quòd eâ libertate potitæ non ſunt, & antequàm Dominio Franciæ acceſſiſſent, & poſtquàm ei conjunctæ fuerunt?

DISSERT. 19. „Obſervant tertiò, Jus Regaliæ anti„quo uſu, & cujus initii memoria non extat, firmatum, & „ab Eccleſiâ in Pactis conventis, quibus controverſiam de In„veſtituris cum Principibus compoſuit, ſolemniter appro„batum, Jus ſacri Patrimonii, ſeu Regii Domanii evaſiſſe, „& ſummi Principatûs titulis ſic affixum cenſeri, ut ſit in„ceſſibile, & à Regali Dignitate inſeparabile: ideòque „non transferri ad fiduciarios Ducatuum aut Comitatuum

*Art.*4. „ poſſeſſores, niſi Regio nomine & auſpiciis exercendum.

§. 40. 20. RESP. Incertum quidem eſt, quo primùm tempore cœperit Regaliæ uſus juſtus exiſtimari: imò quo primùm tempore eo titulo Reges Chriſtianiſſimi uſum fructum bonorum, & Beneficiorum collationem, Sede vacante, in certis quibuſdam Provinciis ſibi vindicârint. Certum tamen eſt, Regaliam quoad utramque hanc ſui partem, ſub primâ vel ſecundâ Dynaſtiâ, vel ſub primis tertiæ Dynaſtiæ Regibus locum non habuiſſe, ut ex dictis hactenùs demonſtratum putamus. Itaque non omninò ignoratur initium hujus Regaliæ. Imò ſi, ut ait Diſſertator Art. 2. §. 1. *Illuſtre Cuſtodis ac Defenſoris Eccleſiarum nomen ac munus Reges* (Franciæ) *conſecuti ſunt, ex quo Chriſtianis Sacris initiati fuère*; *Jus* autem *Cuſtodiæ ac Defenſionis idem eſt ac Regaliæ Jus*, ut ſcripſit Art. 11. §. 6. Quomodò latet ejus initium? Num ignoratur, quo tempore Clodoveus Chriſtianis Sacris initiatus fuerit? An non hinc inde Argumenta conquiſivit, ut Regaliam in uſu nunquam non fuiſſe ſuaderet, *ex quo Chriſtianis Sacris initiati fuère* Reges Franciæ? Malè ergo probavit uſum Regaliæ ex eo quòd *eorum voluntas, aſſenſus, & approbatio requirebatur ad electionem Epiſcopi*: *quòd Antiſtites Sanctiſſimi in inferiorum Sacerdotiorum collationibus Regiæ auctoritati multum tribuerent. Conciliorum convocatio & confirmatio*; *Epiſcopi deſignatio, qui Viſitatoris nomine vacantis Eccleſiæ curam gereret*: & alia de quibus Pater Alexander Art. 2. non erant Regaliæ exercitium aut argumenta. Horum enim initii memoria extat.

21. Supponi abſque manifeſtâ principii petitione non poteſt, *Jus Regaliæ ab Eccleſiâ in Pactis conventis, quibus controverſiam de Inveſtituris cum Principibus compoſuit, ſolemniter approbatum* fuiſſe. Nihil enim Calliſtus II. Imperatori permi-

ſit,

ſit, quàm ut Epiſcopi jura illi perſolverent, quibus ob feuda *Art.*4.
Regalia erant obnoxii: *Electus autem*, inquit, *Regalia per* §.40.
Sceptrum à te recipiat, exceptis omnibus quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur, & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ut igitur ex hâc conceſſione concluderetur, Imperatorem, vel alios Principes, *approbante Eccleſiâ*, fructus Eccleſiarum vacantium ſuos facere, ac Beneficia pleno jure conferre; ſupponendum eſſet, Principibus ob feuda deberi collationem Beneficiorum, & omnes reditus Eccleſiaſticos, quamdiu Sedes Epiſcopales vacant: quæ ſuppoſitio à vero, imò & à veriſimili longiſſimè abeſt.

22. Quomodò autem Regalia, *Jus ſacri Patrimonii ſeu Regii Domanii evaſit*, ſi *profectitium non eſt, ſed inſitum, & Coronæ Regum Chriſtianiſſimorum adhærens*, ut ait Diſſertator Art. 2. §. 6. paulò ante citato? Si Regalia *Jus ſacri Patrimonii ſeu Regii Domanii evadere* potuit; quidni Libertas à Regaliâ, quâ pleræque Eccleſiæ tamdiu fruebantur, ſacri Patrimonii, ſeu Eccleſiæ Jus evadere potuit? Num magis ſacrum eſt Regis Patrimonium, ſeu Domanium, quàm Eccleſiæ Libertas? An Eccleſiæ jura minùs ſunt inviolabilia, quàm Patrimonium ſeu Domanium Regium?

23. Cæterùm Duces, Comites aliique Dynaſtæ, qui Inveſtituram, ac deinde Regaliam, aut quid ſimile Regaliæ in ſuis ditionibus exercebant, id proprio nomine, non autem Regio præſtabant, ut in multis eorum Diplomatibus licet obſervare. Quamvis, exempli gratiâ, Theobaldus Comes Bleſenſis, de quo ſuprà dictum eſt §. 15. fateatur, ſe Regale Carnotenſis Epiſcopatûs de Rege in Feodo tenere, non tamen ejus fructus Regis nomine percipiebat. Vide quæ dicto §. decimo quinto notata ſunt. Non ergo verum eſt, quod ait

Art.4. §. 40. Diſſertator, Jus Regaliæ *ſummi Principatûs titulis ſic affixum cenſeri, ut ſit inceſſibile, & à Regali Dignitate inſeparabile*, &c. Siquidem Regaliam appellet, quæcunque in hâc Diſſertatione illo nomine nuncupavit, quamvis definitio Regaliæ Art. 1. ab ipſo tradita illis minimè conveniat.

24. DISSERT. „Si fortè ſit ab aliquo Regum alienatum, poſſe à Succeſſoribus, non ſecùs ac reliqua Jura Dominica repeti, revocari, vindicari.

25. RESP. Miror, Patrem Alexandrum non erubuiſſe, aut non inhorruiſſe, cùm hoc ſcripſit. Ergone non ſolùm uſus-fructus feudorum Regalium, & omnium bonorum Eccleſiaſticorum, decimæ & oblationes, ſed etiam collatio pleno jure omnium Beneficiorum curam animarum non habentium ſunt bona Domanialia, deputata ſumptibus faciendis ad diſpenſandam in Regno juſtitiam, & pacem retinendam, ad Principis ipſius ſuſtentationem ac decorum? De bonis quidem hujuſmodi ſentiunt Juriſconſulti, illa non poſſe à Principe diſtrahi, ac, ſi diſtracta ſint, poſſe à Succeſſoribus revocari, eò quòd non Principis propria ſint, ſed ipſius Reipublicæ, cujus utilitati ac neceſſitati debent inſervire. Incidunt tamen tempora, cùm publica utilitas aut neceſſitas poſtulat, ut pars bonorum illorum à Principe conferatur, verbi gratiâ, in illos, qui de Republicâ optimè meriti ſunt, ut alii ſimilium præmiorum ſpe ad præclara facinora excitentur. Nec puto, audiendum, aut etiam ferendum Diſſertatorem docentem, poſſe Regem Chriſtianiſſimum ſpoliare Principes, Duces, Comites, Barones, alioſque Viros Nobiles nullius criminis reos, feudis, quibus donati fuerunt illorum Majores, etiamſi olim de ſacro Patrimonio extiterint.

26. Cur ergo de juribus, Eccleſiæ conceſſis, minùs piè ſentiamus

tiamus quam de bonis temporalibus à Principe in Laïcos collatis ? An quia ejuſmodi conceſſione Reipublicæ vires imminuuntur; augentur verò cum Laïci à Principe ditantur ? Alia erat Ludovici Pii ſententia, quam teſtatus eſt in Diplomate, cujus Fragmentum retulit P. Alexander Artic. 3. §. 12. ex Flodoardo lib. 2. Hiſtor. Remenſ. cap. 19. Sic enim incipit: *Si locis venerabilibus ea quæ exinde à Prædeceſſoribus noſtris regibus, vel Imperatoribus, ad Reipublicæ uſus exigebantur, Religioſâ liberalitate in utilitatibus & neceſſitatibus eorumdem Sanctorum Locorum expendendis remittimus, & fidelium noſtrorum ſaluberrimis pro hâc eâdem re ſuggeſtionibus ac petitionibus benignum commodamus aſſenſum, maximum & animæ noſtræ, &* REGI AC REGNO PROVIDEMUS CONSULTUM: QUIA NIHIL CERNITUR REIPUBLICÆ IMMINUTUM, QUICQUID EX EADEM REPUBLICA PIIS ACTIBUS, ET LOCIS RELIGIOSIS, AC ECCLESIARUM DEI UTILITATIBUS, *ſeu Servorum Dei fuerit commoditati indultum*: quia nimirùm illâ liberalitate provocatur Divina in Rempublicam Beneficentia. Art. 4. §. 40.

27. Præterea, cùm res Deo offeruntur, non tam Reipublicæ adimuntur, quàm ſupremo omnium Domino reſtituuntur: quâ ratione cenſent Juriſconſulti regulæ illi, quòd bona Dominica ſeu Domanialia diſtrahi non poſſint, eſſe apponendam exceptionem, niſi diſtractio in favorem Eccleſiæ fiat. „ Tunc enim, ut ait Dominus le Bret de Suprematiâ Re-„ gis, lib. 3. cap. 1. non alienatur propriè Dominium, ſed po-„ tiùs in manibus Regis Regum reponitur, à quo pendent „ omnia Sceptra, omneſque Coronæ mundi. *Car alors ce n'eſt pas proprement aliener le domaine, mais plutoſt c'eſt le remettre entre les mains du Roy des Roys, de qui dependent tous les Sceptres & toutes les Couronnes du monde.*

Art. 4. §. 40. 28. At fortè P. Alexander hanc doctrinam ſcrupulo Ludovici Pii, ac Religioni aliquorum Juriſconſultorum aut Theologorum tribuet. Sed ſcrupuloſumne judicabit etiam Imperatorem Juſtinianum, qui in caſu boni publici, permittens, bona immobilia ab Eccleſiis recipere, ſtatuit, ut alia æqualis vel etiam majoris pretii redderentur, declarans, menſuram dandi Eccleſiis eſſe, dare ſine menſurâ. *Sinimus igitur Imperio*, inquit Authent. de non alienan. &c. ſeu Nov. 7. cap. 2. §. 1. *ſi qua communis commoditas eſt, & ad utilitatem Reipublicæ reſpiciens, & poſſeſſionem exigens talis alicujus immobilis rei, qualem propoſuimus: hoc ei à ſanctiſſimis Eccleſiis, & reliquis venerabilibus Domibus & Collegiis percipere licere, undique ſacris Domibus indemnitate ſervatâ: & recompenſam dari eis ab eo qui percepit, æquâ,* AUT ETIAM MAJORE, QUAM DATA EST. *Quid enim cauſetur Imperator ne meliora det? Cui plurima dedit Deus habere, & multorum Dominum eſſe, & facilè dare,* ET MAXIME IN SANCTISSIMIS ECCLESIIS, IN QUIBUS OPTIMA MENSURA EST DONATARUM EIS RERUM IMMENSITAS.

29. Certè ſi Principes bonorum Domanialium partem in Eccleſias laudabiliter conferunt, impiè agunt, qui Principibus autores ſunt, ut ea repetant quæ fuerunt à Prædeceſſoribus ſuis Divino cultui, & Clericorum ac pauperum alimoniæ conſecrata. Unde à Conciliis tanquàm ſacrilegi à fidelium Cætu expulſi ſunt, qui à Regibus acceptâ licentiâ Eccleſiæ bona invaſerunt, *Qui reiculam Eccleſiæ petunt à Regibus*, inquit Concilium Arvernenſe anno 535. celebratum Canone quinto, *& horrendæ cupiditatis impulſu, egentium ſubſtantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione Eccleſiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur.* Concilium au-

tem

tem Pariſienſe tertium anno 557. Canone ſecundo: *Perpetuo anathemate feriatur, qui res Eccleſiæ confiſcare, aut competere, aut pervadere periculoſâ infeſtatione præſumpſerit.* Idem ſtatuitur à Concilio Turonenſi ſecundo anno 567. C. 24. Huc etiam pertinet Concil. Pariſ. V. Can. 7. Meldenſis anno 845. Can. 11. &c. Art. 4. §. 40.

30. Ipſi etiam Principes ejuſmodi uſurpationem ſibi vitio verterunt, quod Regum Francorum Capitularia & Diplomata teſtantur: *Omnibus nos ipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes generaliter interdicimus, ut nullus Laïcus homo vel* IMPERATOR VEL REX, *aut aliquis Præfectorum aut Comitum ſeculari poteſtate fultus ſibi per violentiam rapiat, aut à nobis competere, vel quocunque modo invadere præſumat Monaſterium, aut prædia, vel quaſcunque res de poteſtate Epiſcopi, vel Abbatis, aut Abbatiſſæ.* Capitular. lib. 6. cap. 427. Edit. Baluz.

31. Cùm Reges, aut etiam Regum ſubditi, aliqua bona in Eccleſias contulerant, certum habebant, neminem poſſe illorum donationes revocare, ut teſtantur donationum Inſtrumenta, & Regum Diplomata, quorum plurima collegit Stephanus Baluzius in Appendice Tomi ſecundi Capitularium. *Jubemus*, inquit Ludovicus Pius in Diplomate illîc relato ſub num. 52. *atque modis omnibus decernimus, ut nullus nobis Succeſſor, non Rex, non Epiſcopus, non Archidiaconus, non Comes, non Judex publicus, vel quilibet ex judiciariâ poteſtate, quicquid ex his quæ ipſius loci ſunt, vel fuerint in ſuâ dominatione redigere præſumat*, &c.

32. Carolomannus Rex, Ludovici Pii Pronepos, in Diplomate ibidem relato ſub num. 115. *Præcipientes quoque*, inquit, *decernimus & indiſſolubiliter ſancimus, ut nemo Succeſ-*

ſorum

Art.4. *ſorum noſtrorum alicujus argumenti machinatione illectus, præ-*
§. 40. *fatas res, quas modò liberalitatis noſtræ munificentiâ præfatæ Eccleſiæ* (Aurelianenſi) *& memorato Præſuli, ſuæque Eccleſiæ Canonicis confirmando unimus, abſtrahere ab ejuſdem Eccleſiæ poteſtate audeat, vel quolibet occaſionis obtentu violare ullo modo præſumat*, &c. Pluribus referendis ſuperſedeo, quia paſſim occurrunt in Hiſtoriis & Conciliis Galliæ.

Unicum addo ex dictâ Appendice num. 86. *Et ſi evenerit* (verba ſunt cujuſdam Airaudi) *quod minimè credo, quòd aut ullus Rex iniquus, aut Comes, aut Abbas, aut ullus Rector Eccleſiæ, ipſas res, jam ſuperiùs dictas, vel ullus hæres meus ad ipſam Caſam Dei, vel ad ipſos Canonicos abſtrahere voluerit, inprimis iram Dei incurrat, & Sanctorum offenſam, & ſit particeps in infernum cum Juda Scabriot, qui Dominum tradidit, & hic conſcriptus firmus, & ſtabilis permaneat ſtabulatione ſubnixa.*

34. Peſſimè igitur de Principibus merentur Theologi & Juriſconſulti, qui Principes poſſe bona & jura Domanialia, in Eccleſias collata revocare docent: quia eos ad contaminandum ſe variis ſacrilegiis, & provocandam in ſe ac in ſua Regna Divinam iram invitant. Nam propter ejuſmodi crimina multas accidiſſe calamitates, nemo, qui vel mediocriter Hiſtoriæ ſit peritus, ignorat.

35. Sed intolerabilis error eſt eorum qui propria Eccleſiæ jura, qualia ſunt diſpenſatio miniſteriorum Eccleſiaſticorum, & perceptio decimarum & oblationum, quæ alendis Euangelii operariis deputatæ ſunt, inter jura Domanialia Regum recenſent, atque ſub eo prætextu effutiunt, jura illa poſtquàm Eccleſiis reſtituta fuerunt ab aliquo Regum, *poſſe à Succeſſoribus, non ſecùs ac reliqua Jura Dominica repeti, revocari, vindicari:* quaſi illa reſtitutio fuiſſet ſupremæ Regum auto-

autoritatis alienatio, vel Reipublicæ enervatio; ac non propriæ nativæque Libertatis Eccleſiaſticæ reparatio. *Res*, inquit Ruzæus in Trac. de Regal. Privi. 11. num. 12. ubi probat Regaliam poſſe Eccleſiis remitti, *de facili revertuntur ad naturam ſuam . . . . Unde quando Rex remittit Jus Regaliæ in Eccleſiâ ipſi Epiſcopo, nihil de ſuo videtur donare, ſed in primordialem naturam reducit, & quod Eccleſiæ eſt, reddit Eccleſiæ.* *Art.4. §. 40.*

36. Vel hinc intelliges, quàm juſta ſit Regaliæ ad omnes Eccleſias extenſio, quæ ut defenderetur, excogitanda fuit adeò peſtifera juriſprudentia, adeòque contraria Eccleſiæ ſenſui. Olim quidem nemo dubitabat, quin irrevocabilia eſſent dona, etiam ex bonis fiſcalibus Eccleſiis à Regibus facta, & Privilegia illis conceſſa: nunc autem revocari poſſe remiſſionem Regaliæ docent Theologi, & Juriſconſulti Gallicani, ſi Patri Alexandro creditur, etiamſi remiſſio illa non Privilegium ſit, ſed antiqui & communis Juris reſtitutio: ſaltem ſi excipias uſum-fructum bonorum feudalium, quoad illas Eccleſias, quæ in Provinciis Juris conſuetudinarii, ubi viget Jus Relevii, liberatæ olim fuerunt. Atque, quod pejus eſt, ſi in Eccleſiis Provinciarum Juris ſcripti, ubi Jus Relevii nunquam locum habuit, aliquis abuſus aliàs fuit, cui Principes renunciârint, is abuſus Regalia nuncupatur, quamvis ab eâ plurimùm diſcrepet, & renunciatiò Privilegium appellatur, quod tanquam Reipublicæ pernicioſum revocari ad libitum Principis poſſit. Unde etiamſi proferantur authentica Inſtrumenta, non de Immunitatibus propriè dictis, ſed de reſtitutione Jurium Eccleſiaſticorum priſtinæque libertatis, ut quòd, vacantibus Sedibus, reditus ſacri & Beneficiorum collatio ad Eccleſiam pertineat; ſcribunt Theologi, ac reſpon-

Art.4. dent Juriſconſulti, hâc ſuâ naturali & Canonicâ Libertate Ec-
§. 40. cleſias ſpoliari poſſe. Egregiam ſanè Christianiſſimo Regi, Eccleſiæ Primogenito, pietatis, juſtitiæ, ac religionis laudem conciliant, qui ejuſmodi conſiliæ ſuæ Majeſtati ſuggerunt.

37. DISSERT. „ Toloſanum Comitem, cùm Regaliæ „ Jus Eccleſiis Ditionum ſuarum remiſit, de re non ſuâ munificum fuiſſe, ſiquidem Jus illud ad Reges Francorum in Toloſano Comitatu pertinebat ratione ſupremi Dominii, & „ à Comitibus Regio tantùm nomine poterat exerceri. Sanctum Ludovicum Ceſſionem illam Regalium ſeu Immunitatem à Raymundo Comite conceſſam non approbâſſe. Siquidem in Statutis ab ipſo editis pro Libertate Eccleſiarum „ Provinciæ Narbonenſis anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo, eas tantùm Libertates ipſis conceſſit, quibus „ Eccleſia Gallicana fruebatur. Cùm ergo Eccleſia Gallicana Regaliæ lege ſoluta non eſſet, Provinciæ Narbonenſis Eccleſias ab eâ liberas eſſe noluit S. Ludovicus. Hæc autem „ ſunt ejus verba : *Cupientes in primis ætatis & Regni noſtri „ primordiis, illi ſervire à quo Regnum recognoſcimus: deſideramus ad honorem ipſius qui nobis culmen dedit honoris, quòd „ Eccleſia Dei, quæ in partibus veſtris longo tempore fuit afflicta, „ & tribulationibus innumeris conquaſſata, in noſtro Dominio „ honoretur, & fæliciter gubernetur. Unde de Magnorum & „ Prudentum Conſilio ſtatuimus, quòd Eccleſiæ & Viri Eccleſiaſtici in terris conſtituti prædictis, Libertatibus & Immunitatibus utantur, quibus utitur* ECCLESIA GALLICANA, „ *& eis plenè gaudeant ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ memoratæ.* Edita ſunt hæc Statuta apud Ducheſnium Tom. v. & „ Tom. xi. P. 1. Concil. Editionis Labbeanæ, pag. 423.

38. RESP.

38. Resp. Nec de ſuâ, nec de Regis re; munificus fuit Toloſanus Comes, cùm peſſimæ conſuetudini bona Epiſcoporum defunctorum & Eccleſiarum vacantium invadendi renunciavit. Nec Regio, nec proprio nomine legitimum aliquod Jus Regaliæ exercuit, ſed injuſtè vexaverat Eccleſias, à quibus opprimendis ceſſare compulſus eſt. Imò poſt renunciationem ſupradictam promiſit, ſe Protectorem & Defenſorem illarum Eccleſiarum fore; unde colligitur, ipſum Juri Regaliæ ad Regem pertinenti nuncium non remiſiſſe, & protectionem ac defenſionem Eccleſiarum, neque Regaliam, neque Regaliæ fundamentum eſſe. *Promitto inſuper*, inquit, *quòd omnia Jura Eccleſiarum & domorum Religioſarum, ſicut decet Catholicum Principem, in præfatis Provinciis totis viribus protegam & defendam.* Art. 4. §. 40.

39. Quo conſilio Viri illi Eruditi, quorum nomine loquitur Pater Alexander, ſententiam S. Ludovici circa renunciationem à Comite Toloſano factam, quærunt in Statutis ab ipſo editis pro Libertate Eccleſiarum Provinciæ Narbonenſis anno 1228. in quibus nulla fit illius Comitis, aut renuntiationis ab eo factæ mentio? Edita ſunt hæc Statuta, ut amoverentur nonnullæ injuriæ Eccleſiæ Narbonenſi, præſertim à quibuſdam hæreticis, quos Ruptarios vocabant, illatæ, & contra quos ſpecialiter editus eſt Articulus ſextus. An illic recenſenda erant quæcumque antea pro ejus Eccleſiæ Libertate geſta fuerant, quæque omninò erant diverſa? An quotiès Principes Beneficium aliquod Eccleſiæ præſtant, vel debitum illi Jus reſtitui procurant, revocant omnia bona ei jam præſtita, niſi rurſùs confirment; aut innovant omnes injuſtas ſervitutes, niſi eis renuncient? Perperàm ergo concluditur, S. Ludovicum renunciationem à Comite Toloſano

Art. 4. factam non approbâſſe, ex eo quòd de illâ ſiluit in Inſtru-
§. 40. mento, in quo nulla erat occaſio de eâ loquendi. Si ex illis Statutis aliquid eſſet inferendum ad Regaliam pertinens, concludendum potiùs eſſet, Sanctum illum Regem, qui Eccleſiæ Libertatem, & obedientiam ei debitam tam laudabiliter vindicabat, non impoſuiſſe rurſùs Eccleſiæ ſervitutem, à quâ Comes illam jam liberaverat: cùm ab Eccleſiæ Juribus non excipiat Immunitatem à Regaliâ; licèt non ignoraret, Raymundum abuſui Regaliæ aliquatenùs ſimili renunciâſſe.

40. S. Ludovici ſententia circa factum Comitis Toloſani certiùs intelligitur ex iis, quæ cum illo geſſit. Porrò in Tractatu cum Raymundo, illo ipſo anno 1228. quo edita ſunt prædicta Statuta, inito, inter alia paciſcitur, quòd Raymundus *Eccleſias & Viros Eccleſiaſticos defendet, & defendi faciet à ſuis, & Jura, Libertates, & Immunitates, quas habent, conſervabit eisdem, & faciet firmiter conſervari.* Nonne ex hoc Tractatu rectiùs argueretur S. Ludovicum approbâſſe renunciationem à Comite factam, quàm ex ſilentio in Statutis Narbonenſibus inferat P. Alexander, eam à Sancto illo Rege fuiſſe improbatam? Verùm non negativum tantùm argumentum eſt, quod ex hoc Tractatu ducitur. Hæc enim verba, *Jura, Libertates, & Immunitates, quas habent*, Libertatem integram complectuntur, quandoquidem eam habebant Eccleſiæ illarum Provinciarum, ſaltem ex quo tempore abuſui ſupradicto renunciaverat Comes.

41. DISSERT. „ Obſervant quartò, S. Ludovicum Jus „ Regaliæ in Provinciâ Narbonenſi exercuiſſe, idque probari „ ex Diplomate Gregorii IX. dato 17. Kal. Aprilis anno mil- „ leſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo ad Archiepiſcopum „ Narbonenſem, & ad Epiſcopos Magalonenſem & Helenen-

„ nenſem, quibus morem illum acerbè exagitat, quo Bal- *Art.* 4.
„ livi & Seneſchalli Regis bona Eccleſiarum vacantium, oc- §. 40.
„ caſione Regalium, invadebant, & uſurpabant. Hujuſ-
„ modi autem exceſſus occaſione Regalium commiſſus non
„ fuiſſet, niſi Rex Sanctus Jus Regaliæ in Provinciâ Nar-
„ bonenſi exercuiſſet. Verba Pontificii Diplomatis ſubjicio.
„ *Ad audientiam noſtram famâ referente pervenit, quòd Sene-*
„ *ſchalli & Ballivi cariſſimi in Chriſto Filii noſtri Illuſtris Regis*
„ *Franciæ in Narbonenſi Provinciâ conſtituti, decedentibus Ec-*
„ *cleſiarum Prælatis in eâdem Provinciâ, caſtra, villas, & alia*
„ *bona Eccleſiarum vacantium contra Juris debitum uſurpare, ac*
„ *id de novo in Eccleſiarum Juribus attentare præſumunt, quod*
„ *nullo tempore à Prædeceſſoribus ipſius Regis, vel aliis,* OCCA-
„ SIONE REGALIUM, *vel aliâ, extitit attentatum. Unde ipſis no-*
„ *ſtris Literis dedimus in mandatis, ut à prædictorum exceſſuum*
„ *præſumptione omninò deſiſtant. Ideòque Fraternitati veſtræ per*
„ *Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs ſi dicti Seneſchalli &*
„ *Ballivi Mandatum noſtrum neglexerint adimplere, vos eos ab*
„ *ejuſmodi præſumptione ceſſare, monitione præmiſſâ, per cenſu-*
„ *ram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, cogatis. Proviſo ne in*
„ *terram dicti Regis excommunicationis vel interdicti ſententiam*
„ *proferatis* &c. Edidit Baluzius V. C. in Addit. ad cap. 18.
„ libri 8. D. de Marca, de Concordiâ Sacerdotii & Imperii,
„ pag. 423.

2. RESP. Ejuſmodi ſunt probationes non paucæ, à Patre Alexandro adhibitæ ad ſtatuendum Jus Regaliæ, ut Jus illud validiſſimè impugnent. Teſtatur Gregorius IX. quòd Seneſcalli & Ballivi Regis Chriſtianiſſimi, decedentibus Eccleſiarum in Provinciâ Narbonenſi Prælatis, *caſtra, villas, & alia bona Eccleſiarum vacantium contra Juris debitum uſur-*

 pabant:

Art. 4. *pabant*: ut ſcilicet eorum uſum-fructum perciperent. Nec
§. 40. enim de bonorum ipſorum Dominio intelligenda eſt uſurpatio. Percipiebant ergo Seneſcalli & Ballivi reditus Eccleſiarum, in Provinciâ Narbonenſi vacantium, ſed *contra juris debitum.* Quamobrem ab ejuſmodi præſumptione ceſſare per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, coguntur.

43. At, argues, Gregorius IX. ait, hæc nunquam facta fuiſſe occaſione Regalium: ergo Regalia in illis Eccleſiis locum habuerat. Mera cavillatio. Primò enim vox, *Regalium*, ibi accipitur pro feudis, caſtris, villis, non autem pro Jure percipiendi fructus ipſorum feudorum, caſtrorum, aut villarum tempore vacationis. Neque enim unquam in Occitaniâ Dominus poſt mortem Vaſſalli feudi fructibus potitus eſt: unde etiamnùm in hâc Provinciâ ignotum eſt Jus Relevii, quod ejuſmodi feudorum uſui-fructui in aliis Provinciis, quæ Jure conſuetudinario reguntur, ſucceſſit. Secundò, aliud eſt occaſio, aliud jus. Declarat Pontifex nonnulla in Eccleſiarum Juribus tunc attentata, quæ nunquàm *occaſione Regalium vel aliâ attentata* fuerant. Non tamen inde ſequitur, Raymundum, verbi gratiâ, etiam ſi fortè occaſione, id eſt prætextu Regalium Eccleſiarum vacantium fructus uſurpâſſet, id jure feciſſe.

44. Ex his autem Literis ſequitur contra P. Alexandrum, Summos Pontifices ab eâ ſententiâ longiſſimè abfuiſſe, quæ Regibus Chriſtianiſſimis judicium omnium controverſiarum circa Regaliam emergentium ita-tribuit, ut etiam Papæ non liceat illas tractare ac definire, quamvis de illius ſervitutis extenſione ad Eccleſias liberas agatur: cùm ecòntrà Gregorius IX. etiam Rege, ut Judices ſuos compeſceret, non rogato, illos per Cenſuram cohiberi præcipiat, ne Regaliam, ut

vocat

vocat P. Alexander, uſurpent, vel, ſecundùm rei veritatem, abuſus Regaliæ ſimiles, prætextu Regalium perpetrent. *Art.4. §.40.*

45. DISSERT. „ Obſervant quintò, Alphonſum Comi„ tem Pictavienſem & Toloſæ, S. Ludovici fratrem, Jus Re„ galiæ in Epiſcopatu Toloſano exercuiſſe, non obſtante ceſ„ ſione Raymundi; & Clementem Quartum Pontificem Ma„ ximum Epiſcopo Biterrenſi dediſſe in mandatis, ut in dicti „ Comitis Vicarium latam ab Officiali Toloſano excommu„ nicationis ſententiam, uſque ad ſatisfactionem condignam „ obſervari curaret: quâ excommunicatione propterea fuerat „ confixus, quòd domos, bona, cameras Epiſcopales, ſu„ pellectilem omnem, Epiſcopo vivente, occupâſſet, prætextu „ Regalium, quæ indebito modo Principi ac Domino ſuo „ vendicabat. Dico, indebito modo, quia Tò *indebitè*, „ quod in Clementis Diplomate legitur, ſubſtantiam Juris „ Regaliæ non ſpectat, quod Literis Apoſtolicis ad S. Ludo„ vicum datis idem Pontifex approbavit, ut ſuperiùs oſtendi, „ ſed modum Jus illud exigendi. Clementis IV. Diploma „ datum eſt 13. Kal. Novembris, anno milleſimo ducenteſi„ mo ſexageſimo tertio. Illud edidit clariſſimus Baluzius loco „ ſuprà laudato, pag. 424. cujus quidem Diplomatis hæc „ ſunt verba: *Significavit nobis venerabilis frater noſter Epiſco„ pus Toloſanenſis, quòd cùm famâ volante in illis partibus men„ daciter diceretur, quòd ipſe viam fuerat univerſæ carnis ingreſ„ ſus, Vicarius in Toloſâ dilecti filii nobilis viri Comitis Toloſæ, „ prætextu* REGALIUM, *quæ in bonis Epiſcopatûs Toloſanen„ ſis eidem Comiti indebitè vendicare contendit, domos, bona, „ & cameras Epiſcopales temerario auſu intrare, ac bona ipſius „ Epiſcopi ibidem inventa nequiter occupare præſumpſit, certis „ tandem cuſtodibus ad præmiſſorum domorum, bonorum & ca-*

mera-

Art. 4. „ *merarum cuſtodiam deputatis. Verùm cùm hujuſmodi præſum-*
§. 40. „ *ptionis exceſſus adeò eſſet notorius, quòd nullâ poſſet tergiver-* „ *ſatione celari, Officialis Toloſanenſis in dictum Vicarium, &* „ *omnes dantes ei ſuper hoc auxilium & favorem, Canonicâ mo-* „ *nitione præmiſſâ, excommunicationis Sententiam, exigente ju-* „ *ſtitiâ promulgavit. Quare dictus Epiſcopus nobis humiliter ſup-* „ *plicavit, ut ſententiam ipſam robur faceremus firmitatis debitum* „ *obtinere. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta man-* „ *damus, quatenùs Sententiam ipſam, ſicut rationabiliter eſt pro-* „ *lata, facias Auctoritate noſtrâ uſque ad ſatisfactionem condi-* „ *gnam, appellatione remotâ, inviolabiliter obſervari.*

46. RESP. Sive Vicarius Comitis Toloſani abuſum, cui Raymundus & Ildephonſus nuncium remiſerant, revocare tentaret; ſive tantùm feudorum occaſione in alia bona manum injeciſſet; ſive etiam Regaliæ uſum, quamvis in Literis Clementis nulla fiat uſûs-fructûs aut Beneficiorum collationis mentio, in Eccleſiam Toloſanam inducere meditaretur: conſtat ex hoc Diplomate, factum ejus & conſilium injuſtum fuiſſe. Nec enim aliter intelligi poſſunt illa verba *Prætextu* REGALIUM, *quæ in bonis Epiſcopatûs Toloſanenſis eidem Comiti* INDEBITE *vendicare contendit*. Quod enim ait P. Alexander, *Tò indebitè, ſubſtantiam Juris Regaliæ non ſpectare*, gratìs dicitur, imò contra proprium verborum ſenſum. De facto enim Vicarii dicitur, quòd *domos, bona, & cameras Epiſcopales temerario auſu intrare, ac bona ipſius Epiſcopi ibidem inventa nequiter occupare præſumpſit*: de ipſis verò Regalibus, quòd ea *in bonis Epiſcopatûs Toloſanenſis eidem Comiti indebitè vendicare contendit*.

47. Præterea, ſi Regalia in Eccleſiâ Toloſanâ locum habuiſſet, an tam acriter reprehendendus erat Vicarius Comitis Toloſani,

loſani, quod cuſtodiam bonorum Epiſcopalium aſſumpſiſſet? Eum certè aliquatenùs excuſaſſet bona fides ob ſparſam de morte Epiſcopi famam, nec niſi à tempore cognitæ falſitatis illius famæ fuiſſet in culpâ. An ſi hodie Procurator Regius Cameræ computorum bonis Eccleſiæ cujuſpiam Regaliæ obnoxiæ cuſtodem deputandum curaret, falſo rumore perſuaſus Epiſcopum eſſe mortuum, ſcriberet de hâc re Summus Pontifex: *Procurator chariſſimi in Chriſto filii Regis Franciæ, prætextu Regalium, quæ in bonis Epiſcopatûs N. eidem Regi* INDEBITE VINDICARE CONTENDIT, *domos, bona & cameras Epiſcopales* TEMERARIO AUSU INTRARE, *ac bona ipſius Epiſcopi ibidem inventa* NEQUITER OCCUPARE PRÆSUMPSIT &c.? *Art.* 4. §. 40.

48, Abſurdum eſt autem quod ait hîc Diſſertator, Clementem Jus Regaliæ Literis Apoſtolicis ad S. Ludovicum datis approbâſſe, ſeque id ſuperiùs oſtendiſſe. Nam etiamſi verum eſſet, Clementem IV. in eâ Epiſtolâ cujus fragmentum retulit ſuprà §. 32. approbâſſe Regaliam in Eccleſiâ Remenſi, de quâ agebatur: num idcircò eam cenſendus eſſet approbâſſe in Eccleſiâ Toloſanâ, quæ tum Libertate Canonicâ potiebatur, quæque in Occitaniâ ſita eſt, ubi mortuo vaſſallo dominus feudi fructus ſuos non facit: & in quâ falſum eſt Regaliam, de quâ quæritur, locum unquàm habuiſſe?

49. DISSERT. „ Obſervant ſextò, Jus Regaliæ ad eas „ omnes Eccleſias extendi, quæ feuda ex Regum Chriſtianiſ„ ſimorum ſeu munificentiâ ſeu permiſſione poſſident, quod „ Jus, etſi fuerit olim interruptum, cùm urbes vel provin„ ciæ quædam Ducibus aut Comitibus parebant, recupera„ tur tamen, reviviſcit, & optimo titulo exercetur, cùm ad „ ſacrum Patrimonium ſeu Domanium Regium revocan„ tur.

Art. 4. §. 40. 50. RESP. Omni rationis & juſtitiæ colore caret, quod ſexto loco hîc obſervatur. Primò enim in illis provinciis, ad quas Regalia de novo extenditur, dominus feudorum uſum-fructum mortuo vaſſallo uſque ad ſucceſſoris inveſtituram nunquàm percepit; nec debet Eccleſia pejoris eſſe conditionis quàm homines laïci, quorum feuda ejuſmodi oneri non ſubjacent. Secundò, etiamſi ejuſmodi Jus feudale in illis provinciis vigeret, quod omninò à vero abeſt, bonorum tantùm feudalium fructus Regi eſſent adjudicandi, non autem aliorum bonorum proventus, decimæ, oblationes, & ſimilia, multò minùs Beneficiorum collatio. Tertiò, redempta eſſet ejuſmodi ſervitus pecuniarum ſummis in Reges Chriſtianiſſimos à Clero Franciæ collatis, ut conſtat ex Actis ejuſdem Cleri Tom. 3. ult. Edit. part. 4. cap. 9. cujus titulus eſt: *Exemption de rendre foy & hommage, aveus & denombremens pour les biens Eccleſiaſtiques :* id eſt: „ Immunitas à præſtandis „ fide, hominio, recognitionibus & declarationibus. Et cap. 10. cui præfigitur hoc argumentum: *Exemption de toutes recherches & taxes des francs fiefs, nouveaux acquets & amortiſſemens :* id eſt: „ Immunitas ab omni inquiſitione, ac penſo „ ratione feudorum francorum, novarum acquiſitionum, & „ amortizationum.

DISSERT. 51. „ Id in urbe Sancti Antonini, quæ Epi„ ſcopali Sede à Bonifacio VIII. aucta eſt, contigiſſe aſſerunt. „ Rogerius Comes Carcaſſonenſis, ſecundùm monita *S.* An„ tonini Martyris ſibi in ſomnis conſpicui, terram omnem „ quæ inter duo litora, ſcilicet Aregiæ & Hyrcis, & uſque ad „ rivum cui *Extricæ* nomen, interjacet, ſimul cum ſylvis „ & pâſcuariis, & nemore quod *Bolbonam* vocant, Sulpitio „ Fredelacenſi Abbati, & Monachis ſub eo Chriſto ſervientibus

„ tibus conceſſerat anno 788. ut ibi Eccleſia in S. Martyris *Art.* 4.
„ memoriam extrueretur, ac ſacrum ejus corpus illuc trans- §. 40.
„ ferretur, ut refert Nicolaus Bertrandi, in libro qui inſcri-
„ bitur: *Geſta Toloſanorum.* Jus Cuſtodiæ in novâ Eccleſiâ,
„ & Monaſterio, ſibi ſervavit Rogerius Comes, ut docet Guiſ-
„ cardus Abbas, Sulpitii ſucceſſor, in veteri Chartâ, cujus
„ exiguum hoc fragmentum ſupereſt: *Ego Guiſcardus Abbas*
„ *moderno tempore in Eccleſiâ beati Antonini, ex Præcepto No-*
„ *biliſſimi Comitis Carcaſſonæ* ROGERII DEFENSORIS *loci,*
„ *omnia hæc Præcepta quæ vidimus, ſcripſimus, & teſtificati ſu-*
„ *mus.*

52. Errant qui Urbem S. Antonini cum Monaſterio S. Antonini confundunt, ut infrà oſtendemus. Monaſterio quidem S. Antonini, antequàm in Eccleſiam Cathedralem evaſiſſet, Comites Carcaſſonenſes fortè aliqua bona dederunt: illud etiam ſuâ protectione ac defenſione munierunt. Sed pium erat & gratuitum officium à Comitibus Carcaſſonenſibus illi Monaſterio præſtitum, ut vel ipſe, qui à Patre Alexandro citatur, Nicolaus Bertrandi teſtatur. Nam ſub hoc titulo; *Ejuſdem* (S. Antonini) *tranſlationis decoratio*, narratur ab illo Hiſtorico, corpus S. Martyris nullâ vi à loco, in quo primùm jacebat, dimoveri potuiſſe, ut in Eccleſiam recenter ædificatam transferretur, donec Comes Carcaſſonenſis, non ſolùm bona à ſe data, ſed etiam omnes incolas ab omni onere ac ſervitio liberâſſet: Sanctumque ipſum cuidam religioſo & ſancto Viro apparuiſſe, ac dixiſſe: *Nullo modo transferri, nec de terrâ corpus meum patiar promoveri, donec deſiderio & petitionibus populi ſatisfiat, ut ſicut hìc locum habitationis liberum, ſilvas & paſcuaria, & cætera quæque neceſſaria abſque omni creatione ſervitii poſſidebant, ita quoque eadem cum firmâ*

Art.4. *libertate in loco ad quem transferar, mei ſuſcipiant . . .*
§. 40. *Tunc inito conſilio cum omnibus Epiſcopis & Proceribus, præfatus Rogerius, ſicut ſuprà notatum eſt, Bolbonam totam liberam, ſylvas, paſcuaria, & cætera quæque neceſſaria abſque ullâ retentione Sancto Martyri Antonino conceſſit & ſolvit. Cùm demùm omnes terræ Proceres, Virique Religioſi, unà cum cœtu Pontificum, ante ſepulchrum S. Martyris Antonini unâ mente convenirent, & de ſuis facultatibus Eccleſiam ditarent: acceſſit Nobiliſſimus Princeps loci defenſor jam ſæpe donominatus Comes Carcaſſonæ Rogerius nudis pedibus & flexis poplitibus, & coram tumulo Beati Martyris Antonini aſtitit, atque omnem fundum quem priùs conceſſerat, ante præſentiam cunctorum confirmare voluit.*

53. Si Pater Alexander, utpote argumentum iſtud hiſtoricè tractans, Hiſtorico Nicolao Bertrandi fidem adhibendam exiſtimabat, poſtulabat bona fides, ut non reticeret prædicta, & cætera quæ à Bertrandi in favorem Eccleſiæ narrantur, præſertim iſta: *Antoninus autem Regis filius & Appamiarum Regni Dominus Abbatiam fundavit; & Regnum Abbati, & ſucceſſoribus Religioſis dedit; & poſt Abbatem, & Religioſos nunc Epiſcopus & Canonici ſive Capitulum Domini exiſtunt, eò quia Abbatia in Epiſcopatum & Canonicatum erecta fuit . . . Et Sereniſſimi Chriſtianiſſimique Franciæ Reges, Eccleſiarum firmiſſimi Adjutores, à faucibus luporum tutati ſunt illos, ob quod meruerunt in locis & caſtris ab eiſdem Eccleſiæ Epiſcopo & Capitulo vocari & rogari pro auxilio; & exindè partem Regni & Dominationis eorum voluntate ſuſceperunt.*

54. DISSERT. „Jus illud cuſtodiæ ad S. Ludovicum Re„gem cum urbis dominio tranſmiſſum eſt ceſſione & dona„tione Hugonis Bernardi Vicecomitis, qui illam in feudum „ab ejus tenebat Majeſtate. Chartam donationis ex Regeſto Ca-

„ Cameræ computorum ſubjicio : *Noverint omnes ad quos* Art.4.
„ *præſentes Literæ pervenerint, quod ego Hugo Bernardus, filius* §.40.
„ *quondam Frotardi Vicecomitis villæ S. Antonini, merâ &*
„ *ſpontaneâ voluntate dono & concedo ſtabili & irrevocabili in-*
„ *ter vivos, Excellentiſſimo Domino* LUDOVICO *Regi Franco-*
„ *rum, & ſuis Hæredibus, totum jus, dominium, poſſeſſionem,*
„ *proprietatem, quam olim tenui & habui, vel habere potui ex*
„ *ſucceſſione prædicti Patris noſtri defuncti, in villâ S. Antonini*
„ *& pertinentiis omnibus, & finibus & terminis ejuſdem villæ,*
„ *ubicumque ſint. Inſuper ego Hugo Bernardus ſuperiùs nomina-*
„ *tus promitto legitimâ ſtipulatione interveniente . . . . Sene-*
„ *ſcallo Excellentiſſimi Regis prædicti tenente pro ipſo villam*
„ *Sancti Antonini, & recipiente prædictam Donationem nomine*
„ *ipſius Domini Regis, quòd contra Donationem prædictam in to-*
„ *tum, vel in parte aliquo caſu in poſterum non veniam, nec ali-*
„ *quis per me, vel nomine meo. Et in omnibus præmiſſis renuntio*
„ *tactis ſacroſanctis Euangeliis corporaliter, ex certâ ſcientiâ,*
„ *omni beneficio & auxilio Juris Canonici & Civilis, & omni*
„ *foro & uſui & conſuetudini editæ, vel edendæ, & omni excep-*
„ *tioni rei vel perſonæ cohærenti, & ſpecialiter omnibus per quæ*
„ *poſſet à me vel à meis Prædeceſſoribus Donatio in poſterum im-*
„ *pugnari. Nos Prior & Conſules ſigilla noſtra præſentibus ap-*
„ *poſuimus in teſtimonium veritatis. Acta fuerunt præmiſſa in præ-*
„ *ſentiâ noſtrâ in Aulâ Sancti Antonini menſe Octobri, anno*
„ *Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono. Et ego Ber-*
„ *nardus Hugo recognoſco, quòd omnia iſta quæ contuli Domino*
„ *Regi, tenebam ab ipſo* IN FEUDUM. *Datum apud S. Antoni-*
„ *num* VIII. *Idus Maii.*

„ Prior Eccleſiæ, & Conſules villæ S. Antonini, ſeu Ap-
„ pamiarum, eidem Sancto Regi Ludovico ſacramentum fi-

*Art.*4. „ delitatis non ſolùm ut ſubditi, ſed ùt vaſſalli præſtiterunt,
§. 40. „ cujus documentum ex Regeſto Cameræ computorum ex-
„ ſcriptum hîc ſubjicio. LUDOVICO *Dei gratiâ Francorum*
„ *mitiſſimo & ſemper Auguſto, Domino ſuo cariſſimo & dilecto,*
„ *& ſemper diligendo G. Prior Eccleſiæ S. Antonini, & Com-*
„ *munia totius villæ conſilium, ſalutem in Domino, & ad omnia*
„ *proſperum adventum, & de inimicis ſuis triumphum. Quoniam*
„ *gratiam totius bonitatis Actor conſulit nobis invenire in con-*
„ *ſpectu Majeſtatis veſtræ, ut Eccleſiam noſtram, & nos, &*
„ *villam, & omnia noſtra in jus & proprietatem veſtram & ve-*
„ *ſtrorum in perpetuum transferretis, gratiam referimus ipſi Acto-*
„ *ri totius boni & Vobis, in quantum poſſumus, & in quantum*
„ *ſufficimus : notificantes Benignitati veſtræ, quòd ad dictum*
„ *Fratris Ebrardi Templarii & latoris præſentium, fecimus fideli-*
„ *tatem vobis & veſtris in manu Prioris Eccleſiæ noſtræ tactis*
„ *Sacroſanctis, nos duodecim Conſules prædictæ villæ.* Jura ita-
„ que Dominica & ſervitia ratione feudorum debita in Eccle-
„ ſiâ & villâ S. Antonini, ſeu Appamienſi, S. Ludovico, &
„ Chriſtianiſſimis Regibus ejus Succeſſoribus legitimè quæſi-
„ ta ſunt (inquiunt noſtri Juriſconſulti) ex quibus facilè dilui
„ poſſunt quæ nuperus Auctor Tractatûs de Regaliâ contra
„ Regis Chriſtianiſſimi Jura, libro 3. cap. 6. objicit ex Privi-
„ legiis ab Ildephonſo & Raymundo Comitibus Toloſanis,
„ ab Ermengarde Vicecomitiſſâ, & à Frederico II. Eccleſiis
„ ſuarum ditionum conceſſis : nec non ad ea quæ capite octa-
„ vo ejuſdem libri proferuntur. Has autem Gallorum Juris-
„ conſultorum obſervationes illuſtrandæ duntaxat Hiſtoriæ
„ cauſâ me protuliſſe profiteor, non ut meum ipſe judicium
„ interponam.

55. RESP. Errant præ ignorantiâ Geographiæ illi, quo-
rum

rum ſententiam refert P. Alexander. Urbem ſancti Antonini provinciæ Ruthenenſis (provincia enim vocatur in libello de vitâ ſancti Amantii Ruthenorum Epiſcopi) cum urbe Appamiarum in finibus Septimaniæ confundunt. Nunquàm Hugo Bernardus Appamiarum, ſed oppidi Sancti Antonini Vicecomes fuit: nunquàm Epiſcopi vel Abbates Appamiarum civitatem Appamienſem à Rege Chriſtianiſſimo receperunt, aut ab illo ſe tenere agnoverunt. Sacramentum illud fidelitatis, quod refert Diſſertator, non eſt à Conſulibus Appamienſibus præſtitum, ſed à Conſulibus urbis Sancti Antonini. Itaque Juriſconſulti, quorum conſilium ſeu ſententiam exhibet, Jura Regia, locorum ſitum & nomina, nec non Hiſtoriam ignorant. Urbem Sancti Antonini apud Ruthenos à Monaſterio Sancti Antonini & à civitate Appamienſi optimè diſtinxit Petrus du Puy in eo libro quem ſcripſit de Juribus Regis Chriſtianiſſimi pag. 171. & pag. 909. Quamobrem miror, Patrem Alexandrum, vel Juriſconſultos, qui ex illo libro hauſiſſe videntur maximam partem eorum, quæ in hâc obſervatione referuntur, potuiſſe in perſpiciendo tam aperto locorum illorum diſcrimine hallucinari. Illa etiam diſtinxit Adrianus Valeſius in Notitiâ Galliæ, & alii. Itaque manent quæ Autor Tractatûs Appamienſis de Regaliâ pro Libertate illius Eccleſiæ protulit: ac ſi quid ab eo Scriptore hâc in parte peccatum eſt, in eo defecit, quòd illius Eccleſiæ Jura potuiſſet validiùs confirmare.

Art. 4. §. 40.

56. Potuiſſet etiam P. Alexander illuſtrandæ Hiſtoriæ causâ, quæ in Tractatu Appamienſi omiſſa ſunt ſupplere ex Illuſtriſſimi D. de Marca Hiſtoriâ Benarnenſi, & ex Eccleſiæ Appamienſis & caſtelli Fuxenſis archivis, ſeu Actis, niſi à Juriſconſultis, quorum obſervationes hîc ſe proponere pro-

*Art.*4. profitetur, conſilium petere maluiſſet, ut Curiæ obſequeretur contra Eccleſiæ Libertatem. Porrò prætermiſſis iis, quæ de origine & dotatione Monaſterii Sancti Antonini Appamienſis circumferuntur, quæ plurimùm Eccleſiæ Appamienſis Libertati faverent, alia, quæ certiora ſunt, & à Domino de Marca in prædictâ Hiſtoriâ referuntur, multiſque indubitatæ fidei documentis comprobantur, paucis complectemur.

§. 40.

57. Monaſterii ſeu Abbatiæ illius à Comitibus Fuxenſibus, quorum ditioni conterminum erat, bona frequenter diripiebantur. Quamobrem Rogerius II. excommunicatus fuit ab Urbano II. & à Paſchale II. Verùm quia quæ ſemel à Viris potentibus ſimul & iniquis uſurpata ſunt, difficulter recuperantur, Abbas & Canonici Regulares cum eo Comite transigere coacti ſunt. Itaque annò milleſimo centeſimo undecimo inita ſunt inter illos Pacta, quorum Inſtrumentum authenticum in archivo Caſtelli Fuxenſis aſſervari dicitur; & ſummam refert D. de Marca lib. 8. cap. 11. num. 4. Hiſtoriæ Benarnenſis. En Comitis declarationem: *Ego Rogerius prædictus Fuxenſis Comes recognoſco & reddo me culpabilem, & Dei Legis violatorem de violentiâ & rapacitate, quam Rogerius patruus meus, & ego poſt eum de villâ Fredelaci, & de Abbatiâ S. Antonini uſque ad præſentem diem fecimus, quæ ab Anteceſſoribus noſtris, à Comite videlicet Fuxi & Carcaſſonæ juſtè vel injuſtè nunquam ablata vel poſſeſſa fuerit* &c. Audi jam Priorem & Canonicos Regulares: *Ego igitur Iſarnus prædictus Prior cum conſilio Clericorum noſtrorum, & Amelii Toloſani Epiſcopi, & Raymundi Barbaſtenſis Epiſcopi, Sancti Antonini Eccleſiæ filii, commendo tibi Rogerio Comiti caſtrum Appamienſe cum forteresſiâ & forteresſiis quæ modò ibi ſunt, vel in antea erunt, ut fidelis cuſtos de ipſo caſtro maneas, & de villâ Fredelacenſi, & de*

& de omni Abbatiâ verus adjutor & defenſor exiſtas, ad honorem Dei & Sancti Antonini, & Clericorum ejus tam præſentium quàm futurorum. Ad cuſtodiam itaque & defenſionem munitionemque caſtri conſentio tibi medietatem Leudarum &c. Art. 4. §. 40.

58. Plurima ibidem extant Inſtrumenta hujuſmodi, quia, cùm perſonalia eſſent, nec ad ſucceſſores Comitis pertinerent, identidem renovabantur. Verùm cùm Monaſterium tyrannos eos expertum eſſet, quorum cuſtodiam ac defenſionem ſibi comparare, communicatis bonis ſuis, voluerat; eoſque, tempore præſertim graſſantis hæreſis Albigenſis, infeſtos pateretur, Regum Chriſtianiſſimorum cuſtodiæ ſe commiſit: primò quidem Ludovici VIII. anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo ſexto ad ejus vitam; deindè anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono Sancto Ludovico Regi caſtrum & munitiones urbis Appamienſis, & mediam partem plurimorum redituum conceſſit ad decem annos duntaxat. Eadem pacta cum Philippo III. Sancti Ludovici filio renovata ſunt anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo.

59. Verùm Philippus Jus ſuum in Comitem Fuxenſem, nomine Rogerium Bernardum, tranſtulit: cui ceſſioni pro viribus obſtiterant Abbas & Canonici, tum quia lupum cuſtodem admittere renuebant, tum vel maximè quia Philippus Comitem perpetuum cuſtodem conſtituerat. Philippus IV. tertii filius & ſucceſſor, plurimam dedit operam, ut ceſſio à Patre facta in favorem Comitis, ab Abbate & Canonicis acceptaretur: quod tamen ſtatim impetrare non potuit; ſed è contrà, illis requirentibus, prædictus Comes à Summo Pontifice, cujus fuerat autoritas implorata, excommunicatus fuit.

60. Abbatiâ in Epiſcopatum an. 1295. erectâ, cùm Bernardus Epiſcopus videret, ſe Regis voluntati, ac Comitis vio-

Art. 4. lentiæ difficillimè poſſe obſiſtere, negotium Dynaſtæ Mira-
§. 40. picenſis arbitrio ab utrâque parte commiſſum eſt. Ejus ſententiâ an. 1297. prolatâ ſtatutum eſt inter alia multa; ut Comes, ejuſque ſucceſſores, in feudum ab Epiſcopo bona ibi enumerata tenerent, ac pro illis juramentum fidelitatis & hominium ei præſtarent in Eccleſiâ Appamienſi: ut in feſto S. Antonini claves caſtelli Epiſcopo conſignarentur: ut corpus S. Martyris ad caſtellum ſolemni proceſſione deferretur, ibique cum vexillo & Epiſcopi familiâ uſque ad veſperum remaneret. Quæ quidem ſententia fuit à Bonifacio VIII. Pontifice confirmata, & demùm executioni demandata.

61. Itaque Comites Fuxi, etiam cùm Reges Navarræ eſſent, prædictum hominium & fidelitatis juramentum Epiſcopo Appamienſi præſtiterunt, nominatim Rex Joannes an. 1499.

62. Denique Comitatus Fuxenſis Regum Chriſtianiſſimorum Dominio acceſſit, cùm Henricus Rex Navarræ Regnum Franciæ adeptus eſt. Itaque præterquàm quòd Eccleſia Appamienſis iiſdem titulis à Regaliâ libera eſt, quibus reliquæ Occitaniæ Eccleſiæ, hâc ſpeciali ratione munitur, quæ vel ipſius Regis Chriſtianiſſimi Declaratione ſufficeret ne in eam induceretur Regalia, quòd ſcilicet magnam bonorum ſuorum partem in Reges Franciæ contulerit, quibus etiamnùm ſua Majeſtas fruitur, ut Regiâ ope atque protectione reliquis ſecurè ac quietè gauderet: atque adeò ſuam libertatem titulo oneroſo comparaverit ſeu conſervaverit.

§. QUA-

§. QUADRAGESIMUS PRIMUS. *Art.* 4. §. 41.

De uſu Regaliæ ſub Philippo III. S. Ludovici filio.

1. DISSERT. „ Ante Concilium Lugdunenſe Philippus III. S. Ludovici filius Regaliæ Jus exercebat, „ non ſolùm quoad perceptionem fructuum, verùm etiam quoad collationem Præbendarum, „ in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus Regni ſui vacantibus, ac auguſto illo Jure ipſum legitimè frui agnovit „ Gregorius X. Pontifex Maximus, Diplomate dato 5. Idus „ Junii anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo. Petro Senonenſi Archidiacono in Archiëpiſcopum ejuſdem urbis electo, & apud Sedem Apoſtolicam conſecrato, S. Ludovicus Archidiaconatum vacantem *M. Girardo de Rampellione duxit*, PROUT AD IPSUM SPECTABAT RATIONE REGALIUM „ QUÆ HABEBAT IBIDEM, LIBERALITATE REGIA CONFERENDUM, juſſitque Decano & Capitulo Senonenſi ut ipſum „ ad eumdem Archidiaconatum admitterent. Verùm circa „ hanc Proviſionem aliqua orta difficultas eſt. Clemente IV. „ contendente quòd idem Archidiaconatus Senonenſis, poſt „ Conſtitutionem ſuam de Dignitatibus & Beneficiis apud Sedem Apoſtolicam vacantibus per alium à Romano Pontifice „ minimè conferendis, apud Sedem vacaret eamdem, & Proviſo in Regalia inhibente ne ſe pro Archidiacono Senonenſi „ gereret, poſſeſſionem Regaliſta non adierat. Res ſuſpenſa „ manſit ad annum uſque 1271. quo Philippus III. S. Ludovici filius & ſucceſſor Gregorium X. per nuntios rogavit, „ ut Deceſſoris ſui inhibitionem revocaret; quod ultrò præ-

 ſtitit

Art.4. „ ſtitit Pontifex. *Nos*, inquit, *qui eidem Philippo Regi, quan-*
§. 41. „ *tùm cum Deo poſſumus, in ſuis petitionibus gratificari diſponi-*
„ *mus, ſuis ſuper hoc beneplacitis annuentes, ut G. per inhibi-*
„ *tionem & Conſtitutionem prædictas,nullum* JURI,*quod in eodem*
„ *Archidiaconatu eſt per Collationem Regiam aſſecutus, præjudi-*
„ *cium generetur, quin & ipſius Archidiaconatûs poſſeſſionem*
„ *nanciſci, ac etiam de ipſius juribus & reditibus diſponere va-*
„ *leat, tanquàm non proceſſiſſet prædicta inhibitio, & ipſa Con-*
„ *ſtitutio edita non fuiſſet, ei per noſtras duximus concedendum.*

2. RESP. Non potuit P. Alexander vel unum exemplum uſûs Regaliæ in provinciis ad quas de novo extenditur, reperire. Quapropter revertitur ad Eccleſiam Senonenſem, quæ inter obnoxias Regaliæ recenſetur in Regeſtis Cameræ computorum. Ex hoc autem exemplo particulari contra Dialecticæ regulas generatim concluderetur, Regaliam in omnibus Eccleſiis Galliæ tempore Philippi III. viguiſſe: maximè cùm contrarium in monimentis indubitatæ fidei appareat. Sufficiet hîc unum adducere, Arreſtum ſcilicet an.1272. ab eodem Philippo III. pro libertate Eccleſiæ Albienſis prolatum, à D. de Marca lib.8. Concord. cap.26. num.3. ex veteri Regeſto recitatum: *Sabbatho poſt Aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Appamias, & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albienſis Regalia Eccleſiæ Albienſis quæ mortuo Epiſcopo Albienſi, Seneſcallus Carcaſſonenſis, ad manum Domini Regis ceperat &* SAISIVERAT SINE CAUSA, CUM DOMINUS REX SUPER HOC ALIAS NUNQUAM USUS FUISSET, *prout ex aliorum ac ipſius relatione fuit inventum.*

3. Animadverte circa prædictum Archidiaconatum, Clementem IV. licèt natione Gallum & Jurium Regiorum peritiſſimum, *Proviſo in Regalia inhibuiſſe, ne ſe pro Archidiacono Seno-*

Senonenſi gereret, & Regaliſtam poſſeſſionem (Archidiaconâtus) *non adiiſſe, donec Gregorius* X. *Philippo Regi, quantùm cum Deo poterat in ſuis petitionibus gratificare diſponens*, impedimentum ſuſtulit: ex quo inferes, quantùm differret Pontificum, Regum, & Clericorum illius temporis mens à ſententiâ novorum Regaliſtarum, quoad Regaliæ uſum, & controverſiarum judicium, etiam in illis Eccleſiis in quibus vigebat Regalia. *Art.4. §. 42.*

§. QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

De Regaliâ redditâ Electo Noviomenſi.

1. DISSERT. „Idem Pontifex Diplomate dato x. „Kal. Januarii ejuſdem anni Philippum III. Re„gem Chriſtianiſſimum rogavit ut Electo Noviomenſi Regalia redderet. *Excellentiam Regiam roga„mus* (inquit) *quatenus Electo eidem ob reverentiam Apoſtolicæ „Sedis & noſtram*, REGALIA *ſine quâlibet difficultate conce„dens, Te ſibi reddas in Regio favore munificum, & in cunctis „opportunitatibus glorioſum.*

2. RESP. Quæſtio eſt in hâc Diſſertatione, ut jam notavimus, *de Regaliæ extenſione*; atque adeò parùm ad rem facit, quod hîc de Eccleſiâ Noviomenſi dicitur, ad quam Regis Chriſtianiſſimi Edictum Regaliam de novo non extendit. Adde quòd, ut ſæpè notavimus, vox illa, *Regalia*, æquivoca eſt, & ſæpius ſumitur pro ſolis bonis feudalibus à Rege conceſſis.

Art. 5. §. 1.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrum Concilium Lugdunenſe II. Jus Regaliæ Chriſtianiſſimis Regibus competens imminuerit, circumſcripſerit, coarctaverit?

§. PRIMUS.

De ſententiâ D. de Marca & Autoris Tractatûs Appamienſis de Regaliâ, circa ſenſum Concilii Lugdunenſis II.

1. DISSERT. „ Regem Chriſtianiſſimum Philippum III. ſtimulis conſcientiæ urgentibus per „ Oratores ſuos effeciſſe, ut Regaliæ uſus tum „ quoad uſum-fructum redituum Epiſcopatûs, „ tum quoad Præbendarum collationem, adverſùs Canones in„ troductus in Concilio generali Lugdunenſi II. confirma„ retur, ſcripſit Dominus de Marca in Commentariolo de „ Regalia edito, quem habemus inter Acta Cleri Gallicani, „ Tom. 2. pag. 102. Eam ob rem editum eſſe eo in Concilio „ Canonem 12. præſentibus Francorum Legatis, quo Jus reci„ piendi Regaliæ confirmatum eſt in Eccleſiis ubi recepta erat „ illa conſuetudo: cujus introductio vetita eſt quoad Eccle„ ſias quæ ei non erant obnoxiæ. Magni Archipræſulis no„ mini licèt plurimùm tribuam, ejus theſim nullo monu„ mento fultam admittere non poſſum.

2. RESP. Cùm Eruditiſſimus D. de Marca rerum Gallicanarum peritiſſimus, & Jurium Regis Chriſtianiſſimi, qui ejus

ejus operâ uſus eſt in maximis graviſſimiſque negotiis & officiis, ſtudioſiſſimus, ut nemo ignorat, extiterit, eum temerè in re tanti momenti locutum, vix prudens quiſquam ſibi ſuadebit. Præſertim cùm non ſolùm loco à Patre Alexandro citato ſcripſerit quod ex eo relatum eſt, ſed etiam (ne fortè ſuſpiceris hæc incogitanti excidiſſe) lib. 8. de Concord. c. 24. num. 4. id quod ſequitur: *Cùm autem uſus-fructus redituum Epiſcopatûs (ſi reditus feudorum excipias) & collatio Præbendarum, ex conſuetudine proficiſceretur adverſùs Canones introductâ, optimum factu exiſtimarunt Principes, ut hujus conſuetudinis confirmationem decerni procurarent in Concilio Generali Lugdunenſi, quod à Gregorio X. convocatum & celebratum eſt anno* 1274. Art. 5. §. 1.

3. DISSERT. „ Multò minùs probare valeo abſonas & „ pugnantes Autoris nuperi Tractatûs de Regaliâ contra Jura „ Chriſtianiſſimi Regis propoſitiones. Ubi enim præmiſit capitibus 3.4.5.& 9. libri ſecundi, Regaliam omni Juri, Naturali, Divino, Canonico, & Civili adverſari, aſſeruitque „ cap. 10. nullo ipſam fulciri Privilegio, caput XI. ſic exorditur: „ *Cùm Regalia nec Jure communi, nec ullo Privilegio nitatur,* „ *imò Juribus contraria ſit univerſis, ut vidimus, hinc colligi* „ *meritò videtur,* „ *ipſam eſſe meram uſurpationem: ſiquidem con-* „ *ſuetudo omnibus contraria Legibus, non niſi abuſus eſſe poteſt.* „ Tum paginâ ſequenti ſubdit: *Nihilominùs cùm Lugdu-* „ *nenſe Concilium innuat antiquam poſſeſſionem inſtar legitimi ti-* „ *tuli hâc in materiâ eſſe poſſe, noſtri conſilii non eſt ſimpliciter* „ *damnare Regaliam quoad ea loca in quibus erat uſu firmata ante* „ *illius Decretum Synodi.* Tertiò, hanc propoſitionem paſſim „ inculcat, quam in ipſo libri 3. limine protulit: *Regaliam* „ *abſque Eccleſiæ conceſſione juſtam eſſe non poſſe.* Quartò, aſſe-

rit

Art.5. „ rit cap.6.lib.4. Concilium Lugdunenſe Regaliam duntaxat
§.1. „ toleraſſe. Sic enim caput iſtud inſcribit; *Quod nullum Concilium ante Lugdunenſe Regaliam toleraverit*. Quibus propoſitionibus quid, quæſo, abſurdius, & ſecum ipſo magis „ pugnans? Quomodò enim Eccleſiæ conceſſione legitimum „ eſſe poteſt, quod Juri Naturali & Divino adverſatur? „ Quomodò conſuetudinem omnibus contrariam Legibus, & „ quæ merus abuſus eſt, Synodus œcumenica toleravit? Quomodò ſacrilegium (Hanc enim infamiam nominis Regaliæ etiam inurit) antiquâ poſſeſſione velut juſto titulo niti „ poteſt?

4. RESP. Rhetoris declamatio; non gravis *Hiſtorici* narratio, aut Theologi diſputatio. Nunquamne Diſſertator legit hanc D. Thomæ doctrinam, quæſtionem de pluralitate Præbendarum ſecundùm Jus Naturale determinantis, Quodlib.9. Art.15.? *Actionum humanarum multiplex eſt differentia. Quædam enim ſunt quæ habent deformitatem inſeparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujuſmodi, quæ nullo modo benè fieri poſſunt . . . . Sunt vero quædam actiones quæ abſolutè conſideratæ deformitatem vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumſtantiis advenientibus, bonæ efficiuntur: ſicut occidere hominem vel percutere, in ſe deformitatem quandam importat: ſed ſi addatur, occidere malefactorem propter juſtitiam, vel percutere delinquentem cauſâ diſciplinæ, non erit peccatum, ſed virtuoſum.* Huic exemplo alia poſſent adjungi, in quibus conſtat amoveri aliquandò malitiam, ſuperveniente circumſtantiâ, rerum conditionem moralem immutante, verbi gratiâ, quod alterius eſt, injuſtè retinetur præter ejus voluntatem: ſed ſi bonâ fide acceptum & poſſeſſum eſt per tempus à Legibus præſcriptum, cum omnibus conditionibus

tionibus requiſitis, incipit deinde juſtè poſſideri ſecundùm ſententiam communem Theologorum poſt D. Thomam Quodlib. 12. art. 24. *Quia*, inquit, *lex poteſt aliquem pro peccato & negligentiâ punire in re ſuâ, & illam alteri dare & concedere.* Poteſt ergo poſſeſſio injuſta ſucceſſu temporis juſta fieri. Contra legem naturalem, divinam, & humanam eſt, ut quis quod alienum eſt accipiat: poteſt tamen per modum pœnæ contra Dominum alteri adjudicari, per liberam condonationem remitti, aliiſque juſtis viis acquiri. Art. 5. §. 1.

5. At, inquies, tunc rerum natura mutatur, & in illis exemplis non ampliùs quod alienum, ſed quod ſuum eſt quis accipit aut retinet. Cur idem de Regaliâ dici non poſſet? Injuſtum ac contra omnis generis leges eſt, ut quis, præſertim laïcus abſque conſenſu Eccleſiæ reditus Eccleſiaſticos, ad Dei cultum, Miniſtrorum ejus ſuſtentationem, templorum ornatum, pauperum ſubſidium, aliaque pia opera deſtinatos uſurpet, & Beneficia diſtribuat: attamen ſi propter antiquam conſuetudinem aliasque juſtas rationes Eccleſiæ conſenſus acceſſerit, utrumque abſque culpâ fieri poterit; multò faciliùs tolerari.

6. Iniquâ ergo cenſurâ P. Alexander notat Tractatum Appamienſem de Regaliâ, quaſi abſona & pugnantia proponat, dum ex unâ parte aſſerit, Regaliam in principio extitiſſe meram uſurpationem; atque adeò legibus omnibus contrariam (Nulla enim lex meras uſurpationes non damnat) aliunde tamen ex Eccleſiæ conſenſu, antiquam conſuetudinem approbantis, juſtam evadere potuiſſe. An ſi miles alicujus Eccleſiæ bona diriperet, Jus naturale & divinum, omneſque leges non violaret? An non eſſet ſacrilegii reus? Attamen ſi vel miles ille de Eccleſiâ benemeritus, vel ejus hæ-

Art.5. redes poſt antiquam poſſeſſionem ea ſibi ab Eccleſiâ in
§.1. Concilio œcumenico remitti curarent, poſt Eccleſiæ conſenſum poſſeſſio bonorum uſurpatorum immunis eſſet à culpâ. Niſi fortè tunc etiam exclamandum Diſſertatori videretur: *Quomodò Eccleſiæ conceſſione legitimum eſſe poteſt, quod Juri Naturali & Divino adverſatur? Quomodò poſſeſſionem omnibus contrariam Legibus, & quæ merus abuſus eſt, Synodus œcumenica toleravit? Quomodò ſacrilegium antiquâ poſſeſſione velut juſto titulo niti poteſt?*

7. Quòd autem Autor Tractatûs Appamienſis Regaliam ſine conceſſione aut aſſenſu Eccleſiæ uſurpationem eſſe ſcripſit lib. 2. c. XII. Præterquàm quòd totius Libri titulus expreſſam illam addit limitationem: „ Niſi ex conceſſione Eccleſiæ: *Que par la conceſſion de l'Egliſe*; tituli etiam capitum eâ formâ compoſiti ſunt, quæ minimè offendere debeat, ſcilicet capitis primi; *Que la Regale n'eſt pas fondeé ſur le droit naturel*: „ Regaliam in jure naturali non eſſe fundatam: capitis quarti; *Que la Regale n'eſt pas de droit Divin*; „ Regaliam non eſſe de jure Divino: capitis quinti; *Que la Regale n'eſt pas fondée ſur le droit Canonique*, „ Regaliam jure Canonico non niti. Adde quod idem ſignificant verba D. Marca ſuprà relata: *Cùm uſus-fructus redituum Epiſcopatûs (ſi reditus feudorum excipias) & collatio Præbendarum ex conſuetudine proficiſcerentur adverſùs Canones introducta &c.* Quid enim eſt conſuetudo contra Canones, niſi uſurpatio? Cur eam confirmari curaſſent Principes, ut aſſerit idem D. Marca, niſi uſurpationem eſſe agnoviſſent? Eandem ſententiam Ruzæus præfat. par. 1. n. 3. tribuit Archidiacono, Joanni Monacho, & Joanni Andreæ. Antonius Fabricius Bleynianus introduct. in Theor. & praxi Benefic.

Ec-

Eccleſiæ lib. 1. tit. 9. num. 37. illam etiam Cujacio adſcribit. *Art. 5.*

8. Regalia ſacrilegium in prædicto cap. xi. lib. 2. Tractatûs Appamienſis non vocatur. Non vacat totum Tractatum plus quàm ſemel lectum nunc relegere, ut ſciam utrùm alibi, & quo in ſenſu eo nomine donetur. Certè ſi uſurpatio eſſet, ſacrilegium meritò diceretur. Eſſet enim bonorum & jurium ſacrorum uſurpatio; ac re ipſâ Joannes Andreas in addit. ad Gloſſ. Canonis Concil. Lugdunenſis, cujus occaſione facta eſt hæc Diſſertatio â P. Alexandro in verb. *occupare*, hæc habet: *Dicit Archidiaconus, quòd iſti tales rerum Eccleſiaſticarum occupatores dicuntur committere furtum &* SACRILEGIUM. Nos cum D. Marca excipimus uſum-fructum feudorum in illis provinciis, in quibus ex lege aut ex conſuetudine feudorum, pertinebat ad dominium poſt mortem vaſſalli uſque ad Inveſtituram ſucceſſoris. *§. 1.*

9. Denique Regaliam, quoad eas Eccleſias in quibus ex antiquâ conſuetudine locum non habet, ſacrilegium abſolutè appellari poſſe confirmat autoritas Ludovici XII. Regis Franciæ in Conſtitutione an. 1499. editâ, cujus hæc ſunt verba à P. Alexandro §. 21. hujus Articuli relata & Latinè reddita: *Deffendons à tous nos Officiers qu'ez Archevêchez, Evêchez, Abbayes & autres Benefices de noſtre Royaume, eſquels n'avons Droit de Regale ou de Garde, ils ne ſe mettent dedans ſur peine d'eſtre punis comme* SACRILEGES. Id eſt: „ Inhibemus univerſis „ Officiariis noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, „ Abbatias & alia Beneficia Regni noſtri, in quibus Jus Regaliæ aut Cuſtodiæ non habemus, ſe intromittant: alioquin „ ut *ſacrilegi* plectuntor.

10. DISSERT. „ Sed ut Lugdunenſis Canonis ſenſum „ aperiamus, ejus verba ſunt referenda. *Generali Conſtitutione*

Art.5. „*ſancimus, univerſos & ſingulos qui Regalia, Cuſtodiam ſive*
§. 1. „*Guardiam, Advocationis vel Defenſionis titulum, in Eccle-*
„*ſiis, Monaſteriis, ſive quibuslibet aliis piis locis, de novo*
„*uſurpare conantes, bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut*
„*locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcun-*
„*que dignitatis honore præfulgeant; Clericos etiam Eccle-*
„*ſiarum, Monachos Monaſteriorum, & perſonas cæteras lo-*
„*corum eorumdem qui hæc fieri procurant, eo ipſo Excommu-*
„*nicationis Sententiæ ſubjacere. Illos verò Clericos qui ſe, ut*
„*debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ec-*
„*cleſiarum ſeu locorum ipſorum, pro tempore quo præmiſſa ſine*
„*debitâ contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictiùs*
„*inhibemus. Qui autem ab ipſarum Eccleſiarum cæterorumque*
„*locorum fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine, Jura ſibi*
„*hujusmodi vindicant: ab illorum abuſu ſic prudenter abſti-*
„*neant, & ſuos Miniſtros in eis ſolicitè faciant abſtinere,*
„*quòd ea, quæ non pertinent ad fructus, ſive reditus provenientes*
„*vacationis tempore non uſurpent; nec bona cætera, quorum*
„*ſe aſſerunt habere Cuſtodiam, dilabi permittant, ſed in bono*
„*ſtatu conſervent.*

11. RESP. Adeò perſpicua ſunt hujus Canonis verba, ut turpe ſit Theologo, eorum ſenſum velle obſcurare: quod animadvertens P. Alexander, ejusmodi dedecus renovatâ, in §. ſequenti, proteſtatione declinare conatus eſt.

§. SECUN-

§. SECUNDUS. Art. 5. §. 2.

De variis interpretationibus Canonis ſuprà ſcripti.

1. DISSERT. „ Hoc Canone Jus Regaliæ Chriſtia-„ niſſimis Regibus competens non imminutum, „ non circumſcriptum, aut coarctatum ad certas „ duntaxat Eccleſias, quatenùs uſum-fructum bo-„ norum Eccleſiæ vacantis, & collationem Præbendarum „ complectitur, Galli quotquot ſunt hodie Juriſconſulti, ſu-„ premi Senatûs Pariſienſis, aliorumque totius Regni, & „ Regii Conſiſtorii Patres, Rex ipſe Maximus, Sapientiſſi-„ mus, Æquiſſimus, poſt accuratam ſui Juris diſcuſſionem, „ certiſſimum habent : in eamque ſententiam poſt Declara-„ tionem ejuſdem Chriſtianiſſimi Regis datam 10. Februarii „ anno 1673. Clerus etiam Gallicanus deſcendit, ita ut in „ Galliis contrariam opinionem propugnare non liceat. Va-„ riis autem reſponſionibus Objectionem ex Canone Lugdu-„ nenſi petitam diluunt. Singulas referam, & Hiſtorici dun-„ taxat munus exequar, ut in ipſo Diſſertationis hujus limine „ ſum profeſſus.

2. RESP. Totius controverſiæ ferè hic cardo eſt. Cùm enim neque Summus Pontifex Regaliam, quantùm ad ſubſtantiam, in iis Eccleſiis, in quibus ante Concilium Lugdunenſe II. locum habuerat, improbare ſe ſignificaverit; neque Scriptores materiam illam tractantes, Regaliam ipſam univerſim impugnent ; & ipſe P. Alexander jam in ipſo Diſſertationis exordio de *Regaliæ extenſione* acturum ſe declaraverit :

Art. 5. rit : in eo verſari videtur tota quæſtio , utrùm Concilium
§. 2. Lugdunenſe II. obſtiterit quominùs Regalia de novo in Eccleſias antea ab hoc onere liberas legitimè induceretur ? Itaque ſtatus quæſtionis præpoſterè à Diſſertatore ponitur. Certum eſt enim, Concilium Lugdunenſe *Jus Regaliæ Chriſtianiſſimis Regibus competens non imminuiſſe*, neque in eo ſenſu *circumſcripſiſſe*, vel *coarctaſſe* : ſed tantùm vetuiſſe, ne ultra conſuetudinis antiquæ modum excreſceret, propagaretur, extenderetur. Duplex igitur quæſtio eſt, altera juris, facti altera. Verus primæ quæſtionis ſtatus eſt , utrùm decretum Concilii Lugdunenſis II. impediat , quominùs Eccleſiæ, tunc à Regaliâ immunes, huic poſtea ſervituti ſubjici potuerint : ſecundæ verò, utrùm omnes Eccleſiæ Gallicanæ, tempore Concilii Lugdunenſis II. Regaliæ eſſent obnoxiæ. Expendamus ergo Diſſertatoris circa hæc duo puncta doctrinam.

3. Fallor autem , ſi profeſſione jam in limine factâ , & identidem renovatâ quemquam decipiet. Nemo enim tam hebes eſt , quin animadvertat , ipſum non tam Hiſtoriam ſcripſiſſe , quàm ad Aulæ voluntatem orationem concinnâſſe. Scimus quidem , Regem Chriſtianiſſimum Edicto ſuo Regaliam ad omnes ſuæ Ditionis Eccleſias extendiſſe , ſed occultatam ei fuiſſe veritatem, præſumendum eſt.

4. Id certiſſimè falſum eſt , *Gallos quotquot ſunt hodie Juriſconſultos* &c. in eam ſententiam deſcendiſſe , quòd Canone Concilii Lugdunenſis modò relato Regalia non ſit ad certas Eccleſias coarctata , ad illas ſcilicet, in quibus *ex fundatione, vel ex antiquâ conſuetudine* locum habebat ; ac peſſimè de Gallis ſentiret, qui crederet , ipſos omnes in errorem adeò manifeſtum incidere potuiſſe. Pauci ſunt etiam in Galliâ , qui & viola-

violatum Canonem Lugdunenſem, & factam Eccleſiæ injuriam non agnoſcant, licèt multi hâc de re ſileant, multi ad Aulæ deſiderium ſeſe accommodent. *Art.5.* §. 2.

5. DISSERT. „Quidam aiunt, non eſſe certum quid „in iſto Canone REGALIÆ nomine intelligatur. Gloſſam „Cap. *Generali*, in Sexto, duplicem illius indicare ſenſum, & „diſcrepantes Doctorum, circa ſignificationem quâ à Concilio „acceptum eſt, ſententias. *Pro intellectu* (inquit) *hujus Capitis*, „*præſupponendum eſt ſecundùm veriorem intellectum ipſius, quid* „*propriè iſte textus appellet* REGALIA. *Quidam volebant di-* „*cere, quòd Regalia accipiuntur pro Juribus Imperialibus, de* „*quibus in lib. Feudorum, Cap. Quæ ſint Regalia: ut ſi Rex do-* „*naverit Regalia Eccleſiæ, & aliquis illa uſurpet, ipſo facto eſt* „*excommunicatus. Alii dicunt, quòd Regalia accipiuntur pro* „*Juribus quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſiis: videlicet* „*quòd vacante aliquâ Eccleſiâ Rex percipiat fructus, & Eccle-* „*ſiam conferat.* Et infrà: REGALIA, *Id eſt, collectam quæ* „*ſit Regis ratione vel Imperatoris, vel tributum quod debetur Re-* „*gi.* XI. *Q.* I. *C.* Si tributum: *Sic ſolet exponi*, De Jure Patronat. „*C.* Præterea.. 2. *Vel, id eſt Jura quæ ad Imperatorem pertinere* „*conſueverunt, ut portus & vectigalia. Sed illa erant Eccleſiis* „*conceſſa, & modò volebat ea de novo aliquis occupare: ut in* „*lib. Feudor. Tit. quæ ſint Regalia; aliàs eſt ſub L. Imperialem.* „Quo modo ſi Regaliæ nomen uſurpetur, evidens eſt „Lugdunenſis Concilii Canonem, quem expendimus, non „ſpectare Jus Regaliæ quatenùs perceptionem fructuum Ec- „cleſiæ vacantis, & Præbendarum collationem complectitur; „adeòque ex eo colligi non poſſe Juris iſtius Regii circumſcri- „ptionem aut reſtrictionem ad certas Eccleſias.

6. RESP. Rem gratam præſtitiſſet P. Alexander, ſi eos nomi-

Art. 5. §. 2. nominaſſet Autores qui *ajunt non eſſe certum, quid in iſto Canone Regaliæ nomine intelligatur*, ut ſciremus quanti ſit ponderis illorum autoritas, quantumque illorum ſententiæ ſit deferendum. Eos enim Gloſſator nec nominandos, nec ſequendos exiſtimavit, ut patet ex illo modo loquendi: *Quidam volebant dicere*, quo utitur primam interpretationem referens. *Pro intellectu*, inquit, *hujus Capitis, præſupponendum eſt ſecundùm veriorem intellectum ipſius, quid propriè iſte textus appellet Regalia. Quidam volebant dicere quòd Regalia accipiuntur pro Juribus Imperialibus, de quibus in libro Feudorum &c.* Conſtat autem, Gloſſatorem non eam interpretationem ſequi, ſed alteram, quam ſecundo loco ponit; cùm non niſi duas adducat, ac juxta ſecundam, caſum, qui eſt veluti quæſtionis ſtatus ac fundamentum, efformet: *Alii dicunt*, inquit, *quòd Regalia accipiuntur pro Juribus quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſiis, videlicet quòd vacante Eccleſiâ Rex percipiat fructus, & Eccleſiam conferat. Hoc præſuppoſito ponamus caſum. Vacante aliquâ Eccleſiâ, aliquis Comes vel Dux, qui dicebat ſe habere Jura Regalia in ipſâ Eccleſiâ, occupavit Cuſtodiam Eccleſiæ vacantis; & dicebat quòd fructus ipſius Eccleſiæ ad ipſum ſpectabant; licèt non fuiſſet uſus ipſo Jure, an ille Comes, vel Dux uſurpans illud Jus in Eccleſiâ vacante ſit puniendus aliquâ pœnâ? Reſpondet Rom. Pontifex, quòd ſic &c.* Alterum exemplum profert inferiùs in quo Regum expreſſè meminit: quod §. ſeq. referemus.

7. Patebat adhuc apertiùs Gloſſatoris mens, antequàm pars Gloſſæ reciſa fuiſſet ſub Gregorio XIII. In eâ enim expreſſa fiebat mentio Regaliæ in Eccleſiis Gallicanis, ac diſſidii inter Bonifacium VIII. Papam & Philippum IV. Galliæ Regem exorti, & literarum invicèm ab illis ſcriptarum. Sed re-

reſecta fuit pars illa, ſicut & alibi alia, ut, ſi fieri poſſet, ex omnium memoriâ deleretur lugendum illud diſſidium. Referetur à Patre Alexandro §. 20. pars illius Gloſſæ reciſa. *Art.*4. §. 2.

8. Hanc autem Gloſſam, quantumvis ſibi contrariam, maximè ſi tota accipiatur, profert, quaſi ſibi faventem, propter voces illas, *Quidam volebant dicere*; quaſi ſcilicet mens Concilii Lugdunenſis incerta vel obſcura evaſerit, ex eo quòd quidam Hiſtoriæ Concilii Lugdunenſis vel ignari, vel non ſatis periti, ejus verba perperàm acceperint. Nec enim puto quemquam ante P. Alexandrum vel in Galliâ, vel in Angliâ, quorum Regnorum occaſione editum fuiſſe Canonem iſtum §. ſequenti videbimus, ſcripſiſſe, *non eſſe certum, quid in iſto Canone Regaliæ nomine intelligatur*. Sanè ſi res dubiæ cenſendæ ſint, ubi ab omnibus non capiuntur, neſcio quid certum futurum ſit. Tot tamque præſtantes ſunt Scriptores, qui Decretum Concilii Lugdunenſis de Regaliâ, prout modò intelligitur, expoſuerunt, ut qui aliter ſenſerunt, prudentis viri animum movere omninò non poſſint. Sufficeret ad evertendam illorum autoritatem teſtimonium Guillelmi Durandi, de quo in §. ſeq. atque unus ille teſtis affirmans, centum negantibus anteponendus eſſet, quanquàm nullus propriè negavit, ſed aliqui diverſa retulerunt. Libet tamen Durando & Gloſſatori alios adjungere, præſertim ex Gallis quorum multi Regii Magiſtratûs vel in Academiis publicis juris Profeſſores extitêre, & ferè omnes Concilii Lugdunenſis autoritate uſi ſunt ad defendendum Regaliæ Jus quoad eas Eccleſias, in quibus ex antiquâ conſuetudine locum habebat.

9. Ita Ruzæus in Senatu Pariſienſi Conſiliarius, & Regaliſta celeberrimus in præfatione parte 1. n. 9. ſic ſcribit: *Tertiò, iſtud Jus Regaliorum fuit approbatum & declaratum in ſacro*

Art. 5. §. 2. *cro Concilio Lugdunenſi, cui præfuit Gregorius X. in Cap. General. in §. Finali. de electio. in Sexto ubi textus prohibet de novo vendicare Jus Cuſtodiæ, Advocationis vel Regaliæ, & ibi exponit Joannes Monachi, & Archidiaconus de Jure Regaliorum Franciæ.* Vide Philippum Probum quæſt. 7. in fin.

10. Ægidius Magiſter Gallicè *Le Maiſtre* Protopræſes Parlamenti Pariſienſis Tractatu de Regaliis cap. 1. de Regaliâ temporali verba faciens ait: *Rex eo Jure utitur ratione Cuſtodiæ Eccleſiæ vacantis, quæ Regi competit jure communi Cap. Generali. de electio. in Sexto.*

11. Teſtimonium Joannis de Selua in eodem Senatu Præſidis, in Tract. de Beneficio part. 2. quæſt. 23. num. 37. & Coſmæ Guimerii etiam in Parlamento Pariſienſi Præſidis in Gloſſâ Pragmaticæ Sanctionis tit. de Annatis §. *Item quòd dicta quinta pars*, verb. *Regaliæ*, referentur infrâ §. 18. Videri etiam poſſunt Renatus Chopinus Tract. *de ſacrâ Politiâ* tit. 7. num. 11. Petrus Rebuffus de Regiâ ad Prælat. Nomin. §. 1. verb. *ſed teneantur.* Joannes Feraldus, de Juribus & Privilegiis Regni Francorum Privil. 5. Franciſcus Duarenus, de ſacris Eccleſiæ Miniſtris lib. 3. cap. ult. Antonius Fabricius Bleynianus Introd. Theor. & prax. Benef. Eccleſ. lib. 1. tit. 9. num. 37.

12. Imò Illuſtriſſimi Antiſtites Gallicani in Conventu Pariſienſi mandato Regio anno 1682. congregati, quorum certè teſtimonium, Juriſconſultorum, aliorumque, quorum ſententiam tacito nomine P. Alexander exhibere ſe profitetur, autoritati longè eſt anteponendum, in eâ Epiſtolâ, quam menſe Februario ejuſdem anni Summo Pontifici ſcripſerunt, Decretum Concilii Lugdunenſis de Jure Regaliæ, quod in Galliâ exercetur, loqui agnoſcunt his verbis: *Si Jus illud,*

quod

quod Regaliam dicimus, aut fidei fundamentis, aut morum regulis eſſet adverſum, non illud ſacrum generale Lugdunenſe Concilium tot perſonis, tòtque ſub titulis ſuâ authoritate firmaſſet. Art. 5. §. 2.

13. Eadem fuerat ſententia Prælatorum in eâdem urbe præcedenti anno, hoc eſt 1681. collectorum, ut videre eſt in eorum Proceſſu verbali, cujus hæc ſunt verba: *C'eſt ſur ce principe, que le ſecond Concile de Lyon ayant toleré l'uſage de la Regale dans les lieux où elle eſtoit pour lors ètablie, & deffendu en même temps de l'étendre davantage ſous peine d'excommunication, il faut convenir &c.* Id eſt: „ Quo poſito principio, cùm „ Concilium Lugdunenſe ſecundum uſum Regaliæ, quoad „ ea loca in quibus tunc locum habebat, toleraverit, ſimul- „ que vetuerit eam ulteriùs producere, fatendum eſt &c.

14 Aliarum nationum Scriptores eodem modo Concilium Lugdunenſe interpretati ſunt. Guido à Baïſo ſeu Baïfo vulgò Archidiaconus, *Regalia*, inquit, *id eſt quæ capiunt Reges, vacante Eccleſiâ, ut patet in Franciæ Regno & Angliæ: nam illic vocantur Regalia Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis vacantibus competentia.* Illum inrerpretem ſecuti ſunt alii, ut Joannes Andreæ, num. 6. in Gloſſa tertiâ, Dominicus de S. Geminiano.

15. Deniquè tam clara ſunt Concilii verba, tam conſtans ea interpretantium ſententia, ut vix poſſint bonâ fide in alium ſenſum detorqueri, vel etiam cuiquàm obſcura videri, qui ea vel mediocri cum diligentiâ expenderit. Ipſemet P. Alexander in eo ſenſu Concilium Lugdunenſe de Regalia propriè dictâ accepit Art. 1. §. 3. bis, & Art. 11. §. 6. ſemel. Ita etiam interpretati ſunt alii Scriptores, antequàm contra ejus Canonis prohibitionem Regalia ad Eccleſias liberas fuiſſet porrecta.

Art. 5. §. 2. An. 1654. Franciſcus Pinſonius (qui unus fuiſſe dicitur ex Juriſconſultis, quorum ſtudiis adjutus eſt P. Alexander in hâc Diſſertatione) dum Tractatum Antonii Bengei proſecutus eſt, ſic ſcripſit §. 14. n. 9. *Namque illud conſtat, & ipſum Regaliæ naturæ uſum generalium Conciliorum & Romanorum etiam Pontificum approbationem meruiſſe. Id patet ex generali Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. relato in Cap. Generali de elect. & elect. poteſt in 6.*

16. Quamobrem fruſtrà Concilii verbis tenebras offundere, collectis hinc inde aliquibus voculis, nonnulli hodie conantur. Quid enim, verbi gratiâ, illos juvat quòd Gloſſator vocem illam, *Regalia*, explicet de *collecta*, *tributo &c.* Non enim illas hujus vocis ſignificationes affert, quaſi ſolæ, aut magis propriè illi conveniant in Canone Lugdunenſi, ſed ne qua prætermitteretur ex iis, quæ vel hîc vel alibi ſub voce illâ continentur. Norunt enim qui ad Gloſſas attenderunt, plurima in illis referri eruditionis tantùm cauſâ, & ad rem, de quâ agitur, parùm pertinentia. Id certò hîc factum eſt. Verba enim illa Gloſſæ, *collecta* &c. ſunt Joannis Andreæ, qui tamen Archidiaconum tanquam Magiſtrum, ut alibi, ita & in hujus Decreti ſententiâ exponendâ, ſecutus, ae Regaliam in proprio ſenſu quem defendimus, interpretatus eſt. num. 6. Gloſſâ 3. jam citatâ. *Ibi*, inquit, *Regi, dicit Archidiaconus quòd illa quæ capiunt Reges* &c.

§. TER-

§. TERTIUS. Art. 5. §. 3.

An Canon Concilii Lugdunenſis ſpectet Regem Chriſtianiſſimum.

1. DISSERT. „Alii ſentiunt, de Regaliâ, ſecundo „ ſenſu acceptâ intelligendum Canonem Concilii „ Lugdunenſis; nec tamen reſtrictionem à Concilio adhibitam ſpectare Regem Chriſtianiſſimum, ſed Duces, aut alios Viros Nobiles qui Jus illud „ uſurpabant, ut colligitur ex Guillelmo Durando, Commentario in Lugdunenſe Concilium; cujus è Patribus unus „ fuit, cap. 11. pag. 40. verſâ, *Regalia*, inquit, *hîc vocantur Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis & Monaſteriis competentia; quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu Cuſtodiæ „ facit fructus ſuos, & etiam in quibuſdam Præbendas confert, „ ſicut patet in quibuſdam Eccleſiis Franciæ. Quod Jus ſibi vel „ ex fundatione, vel ex bonorum temporalium conceſſione vendicant etiam alii Principes, Barones, & Communitates aliquæ, „ quæ Jus ſimile ſibi vendicant, ſeu* USURPANT, *& diverſimodè ſecundùm locorum diverſitatem illud appellant, ut de Simon. Cap. In tantum. 14. Quæſt. 3. Cap. Plerique. Quandoque „ tamen aliter accipitur hoc nomen, Regalia, dicuntur viæ publicæ, flumina navigabilia, portus, ripatica, vectigalia, quæ „ vulgò telonea dicuntur; & alia plura quæ numerantur in libro Feudorum, in Conſtit. Frederici, quæ incipit, Imperialem, in* §. REGALIA. Et infrà, ſubdit idem Speculator: „ *Ex eo autem quòd hîc prohibetur abuſus, videtur per conſequens „ concedi bonus uſus. De Præſumpt. C. Nonne. Quod verum eſt*

Art.5. „*in prædictis duobus caſibus, ſcilicet in his quæ competunt ex*
§. 3. „*fundatione, vel conſuetudine.* Porrò (inquiunt Juriſconſulti „ noſtri) his duobus titulis fulcitur Jus Regaliæ quod Rex in „ Eccleſiis Regni ſui exercet. Nulla enim eſt quæ Reges, aut „ Principes, quorum in Jura ſucceſſerunt, fundatores non „ agnoſcat: nulla quæ Regiæ munificentiæ vel permiſſioni „ acceptum non, ferat quicquid bonorum temporalium poſſi-„ det. Nulla eſt quæ olim ſub primâ vel ſecundâ Regum no-„ ſtrorum Dynaſtiâ Regaliæ Juri obnoxia non fuerit. Et licèt „ interrupta fuerit hujuſmodi conſuetudo, ſive ob Privilegia „ quibuſdam Eccleſiis à Regibus indulta, ſive quòd Provin-„ ciæ quædam ſeriùs ad Gallicam Ditionem revocatæ ſint, ni-„ hilominùs (inquiunt) manentibus in iis Regaliæ titulis ex „ Cuſtodiâ & Legibus Feudorum, ſupremoque Regum Do-„ minio petitis, integrum fuit eorum Majeſtati Legem Re-„ galiæ non minùs quàm Leges Regni reliquas ad eas univer-„ ſim extendere.

2. RESP. Hîc quoque lubens ediſcerem Autorum nomina, qui Canonem Lugdunenſem negant ad Regem Chriſtianiſſimum ſpectare: nullum enim legi qui ſuam Majeſtatem exceperit. Jam diximus à Gloſſatore Regem Franciæ expreſſè fuiſſe commemoratum in parte reciſâ. Imò in Gloſſa, prout nunc extat, hæc habentur: *Ponamus quòd Rex vel alius Princeps non cognoſcens ſuperiorem in temporalibus, habet iſta Jura Regalia in aliquibus Eccleſiis, & ponamus quòd vacante tali Eccleſiâ eſt ſylva cædua: tamen nondum venit tempus ipſam ſylvam cæduam ſcindendi ſive amputandi: utrùm talis Princeps poſſit illam ſcindere, ſive ſcindi facere? Reſpondet quòd non.* Sed quorumnam Scriptorum auctoritas præponenda erit Durandi teſtimonio?

3. Et-

3. Etenim quamvis Guillelmus Durandus natione Gallus *Art.5.* dictus *Speculator* ob *Speculum Juris* ab ipſo compoſitum, hîc *§. 3.* à Diſſertatore citatus, non unus fuerit è Patribus Concilii Lugdunenſis, ut falsò exiſtimavit Pater Alexander, quandoquidem nondum erat Epiſcopus, ut in ejus vitâ à Simeone Majolo compendiatim ſcriptâ, & ejus Commentariis in Concilium Lugdunenſe præfixâ, nec non in Galliâ Chriſtianâ, licet obſervare, fuit tamen teſtis oculatus, ac pro ſuâ eruditione, ſapientiâ & pietate omni exceptione major. Non ſolùm autem Regaliam de uſu-fructu Eccleſiarum vacantium & de collatione Præbendarum interpretatur; ſed etiam Franciæ diſertis verbis meminit; *Regalia hîc vocantur Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis & Monaſteriis competentia*; *quia videlicet illis vacantibus Rex ſub prætextu Cuſtodiæ* (nota verba, *ſub prætextu*, quæ innuunt, Regaliam in ſuâ origine uſurpationem fuiſſe, ut ſcripſit Autor Tractatûs Appamienſis) *facit fructus ſuos, & etiam in quibuſdam Præbendas confert, ſicut patet in quibuſdam Eccleſiis Franciæ.*

4. Hunc Canonem ad Reges Chriſtianiſſimos pertinere adeò clarè adſtruit Durandus in verbis, modò relata præcedentibus, & infrà à Patre Alexandro in alium finem referendis, ut nullum relinquant dubitandi locum. Sic enim ait in verb. *Regalia: Præſens Conſtitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata. Nota ergo quòd Regalia hîc vocantur Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis & Monaſteriis competentia* &c.

5. Nec ex eo quòd *alii Principes & Communitates aliquæ Jus ſimile ſibi vendicabant*, ſeu uſurpabant, ſequitur, juxta ſententiam Durandi, hunc Canonem contra illos, non autem contra Reges editum. Primò, quia verba illa, *Quantæcumque*

Art. 5. *cumque dignitatis honore præfulgeant*, Reges ſatis apertè com-
§. 5. plectuntur. Secundò, quia ipſemet Durandus fideliſſimus interpres ſententiæ Patrum, qui Canonem condiderunt, verbum: *Quantæcumque*, ſic exponit; *ſive Regiæ ſive Comitativæ, vel cujuſcumque alterius ſit C. de Mandatis Principum. L.* 1. *quia reatus hominum honorem excludit. C. ut Senatus vel Clar. L.* 1. & in Fragmento à Patre Alexandro exſcripto affert exemplum Franciæ, ut vidimus: *ſicut patet in quibuſdam Eccleſiis Franciæ.* Illudque repetit ſuper verb. *vendicant: ut Reges Angliæ & Franciæ*, inquit, *& alii quidam in aliquibus Eccleſiis.* Tertiò, in eodem ſenſu intelligunt illum Canonem alii tum Galli tum exteri jam citati, ex quibus Archidiaconus, & Joan. Monachi illis ipſis verbis, quibus Durandus, utuntur verb. *Quantæcumque; ſive Regiæ ſive Comitativæ.* Joan. autem Andr. *Quantæcumque; etiamſi ſit Baro, Rex vel Princeps.*

6. Quod autem ait Speculator his verbis à Patre Alexandro exſcriptis; *Quandoque tamen aliter accipitur hoc nomen, Regalia* &c., ſatis apertè indicat, illam aliam acceptionem non eſſe hujus loci. Sequitur enim, *Regalia, dicuntur viæ publicæ* &c. in loco ſcilicet qui ſtatim citatur; *In Conſtitutione Frederici, quæ incipit, Imperialem, in* §. *Regalia.*

7. Falſa multa hîc repetit Pater Alexander, quæ cùm ſuis jam locis confutata ſint, nullâque hîc probatione muniantur, aliâ reſponſione non indigent, quàm ſimplici negatione.

§. QUAR-

§. QUARTUS. Art. 5. §. 4.

Obſervatio Autoris Tractatûs Appamienſis circa Decretum Concilii Lugdunenſis.

1. DISSERT. „ At (inquit nuperus Regiorum Ju-„ rium Impugnator, lib. 3. ſui de Regaliâ Tracta-„ tûs, cap. 2.) Concilium Lugdunenſe vetat Jus „ illud ad eas Eccleſias extendi, in quibus tunc „ inſtitutum non erat, & anathemate ferit omnes *de no-„ vo illud uſurpare conantes*, & Clericos qui ſe talia facienti-„ bus non opponunt. Cujus Concilii eò major auctoritas „ apud Gallos eſſe debet, quòd in Eccleſiâ univerſâ receptum, „ atque etiam in Galliis executioni mandatum eſt, & poſtu-„ lantibus Philippi III. Legatis addita fuit clauſula reſtrin-„ gens excommunicationis pœnam ad eos duntaxat, qui Re-„ galiæ Jus de novo uſurparent.

2. RESP. Erraſſet Autor Tractatûs Appamienſis, ſi ſcripſiſſet, Concilium Lugdunenſe anathemate feriſſe Clericos, qui ſe extendentibus Regaliam non opponunt: neque enim ea pœna contra illos decernitur in Concilio Lugdunenſi; ſed tantùm pœna privationis fructuum quamdiù ſe non opponunt. *Illos verò qui ſe, ut deberent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Eccleſiarum ſeu locorum ipſorum pro tempore quo præmiſſa ſine debitâ contradictione permiſerint, aliquid percipere diſtrictiùs prohibemus.* Verùm errat P. Alexander, dum ait, prædictum Autorem ſcripſiſſe, quòd Concilium Lugdunenſe anathemate ferit Clericos ſe non opponentes. Hoc enim non de Canone Concilii Lugdunenſis dicit, ſed de

Art. 5. Decreto Concilii Avenionenſis anno 1326. celebrati, cujus
§. 5. hæc ſunt verba cap. 26. in altero item Concilio Avenionenſi an. 1337. cap. 29. repetita & confirmata : *Item quòd nullus omninò Prælatus, Abbas, Prior, vel Patronus Clericus vel Laïcus, cujuscumque ordinis, ſtatûs vel dignitatis, Ordinis vel Religionis exiſtat, bona Eccleſiarum vacantium, Metropolitanæ vel ſuffraganeæ, Prioratûs, Abbatiæ vel alterius cujuscumque Monaſterii vel Eccleſiæ, per promotionem aut mortem vel reſignationem, vel mutationem vel abſolutionem aut alio quocumque modo, capere, vel per ſe, vel per alium, aut occupare aut uſurpare præſumat, niſi ſibi per Privilegium vel conſuetudinem hoc liceret. Quod ſi fecerit, tam ipſe, quàm gratìs obedientes ei aliqualiter in hac parte, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto.* In aliis quæ de Concilio Lugdunenſi à P. Alexandro notata ſunt, cum Autore Tractatûs Appamienſis conſentiunt D. Marca & alii. Quid ergo opponant qui ſecùs opinantur, audiamus.

§. QUINTUS.

De Reſponſionibus ad Obſervationem in §. præcedenti contentam.

1. DISSERT. „ Prohibitionem illam Reges Chriſtianiſſimos ſpectare negant Regiorum Jurium Vindices. Negant ſecundò, de Regaliâ hîc agi quatenùs collationem Præbendarum amplectitur. „ Negant tertiò, Canonem 12. Lugdunenſis Concilii quatenùs ad Regii Juris reſtrictionem ac circumſcriptionem „ flecti poſſet, in Galliis receptum fuiſſe ac executioni mandatum.

„ datum. Primam propoſitionem ex eo probant, quòd Le- *Art.5.*
„ gibus odioſis, quales ſunt quæ pœnas Excommunicationis §. 5.
„ vel Interdicti in transgreſſores decernunt, Reges compre-
„ henſi non cenſeantur, ſicut nec Epiſcopi, niſi nomina-
„ tim exprimantur, ſecundùm omnium Jurisperitorum
„ ſententiam, fundatam in Can. *Quod nonnullis.* Extra. *De*
„ *Privilegiis.* & in Regulâ Juris, quòd *odia reſtringi, favores*
„ *ampliari* conveniat. Cùm itaque Reges in Canone 12. Lug-
„ dunenſis Concilii non nominentur, conſequens eſſe quòd
„ eorum non ſpectet Majeſtatem. Addunt, latum Canonem
„ occaſione uſurpationis Regaliæ, Cuſtodiæ, Advocationis ſeu
„ Defenſionis quam aliqui de novo uſurpare conabantur.
„ Sed Philippum III. Regem Chriſtianiſſimum nihil uſurpaſ-
„ ſe in hâc materiâ: Jus Regaliæ in omnibus Eccleſiis Regni
„ ſui exercuiſſe, exceptis illis quas Philippus Auguſtus Immu-
„ nitate donaverat. Nullam fuiſſe de Eccleſiis Delphinatûs,
„ Provinciæ, Aquitaniæ, & Occitaniæ quæſtionem, nec pro-
„ hibuiſſe Patres Concilii Lugdunenſis Chriſtianiſſimo Regi
„ ne Jus Regaliæ ad illas Provincias extenderet, quæ nondum
„ erant ad ejus Ditionem revocatæ. Philippum III. ab uſur-
„ pandis Eccleſiarum Juribus alieniſſimum fuiſſe, qui Sanctiſ-
„ ſimi Parentis Ludovici documenta animo penitùs impreſſa
„ habuit, illius amorem erga Eccleſiam æmulatus eſt, Mat-
„ thæi Sandionyſiani Abbatis Religioſiſſimi conſiliis in Regni
„ adminiſtratione plurimùm uſus, & Chriſtianis virtutibus
„ decus addens Majeſtati, ut Guillelmus de Nangiaco in ejus
„ vitâ teſtatur. *Super Sedem,* inquit, *paternam Philippus Rex*
„ *collocatus, Patris ſui non immemor Præceptorum, quibus illum*
„ *in extremis laborans imbuerat, ambulavit cum Domino, Sapien-*
„ *tum tractatibus corde ultraneo adhærendo. Et maximè tunc*

Art. 5. §. 5. „ *uſus eſt conſilio & diſciplinâ Reverendi Patris Matthæi, Abbatis S. Dionyſii in Francia, viri religioſi, & ſapientiæ floribus adornati, cui ſuper omnes Aſſeſſores Palatii Regii, cauſas & univerſa negotia Regni ſui, ſicut & Pater ſuus fecerat* „ LUDOVICUS REX, *expedienda tradidit. Illo etiam tempore, quo poſt mortem Yſabellæ Reginæ ſine uxore fuit, cilicio* (*ut aiunt*) *uſus eſt, loricam deſuper indutus. Domabat enim corpus ſuum jejuniis, & mirabili ciborum abſtinentiâ ſe reſtringebat, ne vitiis humanæ fragilitatis fœdaretur. Ex illo verò tempore frugalitatem ita ſervavit uſque ad mortem, quòd potiùs Monachus, quàm Rex vel Miles propter abſtinentiam dici poſſet. &c. Totus in fide Catholicus, & erga Dei cultores extitit benevolus ac devotus.* Præterea inter fælicem obitum „ S. Ludovici, & Lugdunenſis Concilii celebrationem quatuor duntaxat anni interceſſerunt, quibus Regaliæ Jus à Philippo III. ampliatum, nec Geſta ipſius à Guillelmo de Nangiaco ſcripta, nec alia monumenta produnt. Quòd verò „ ſcrupulum paſſus ſit Rex *Audax* circa uſum Regaliæ, & ideò Jus illud confirmari à Concilio poſtulaverit, eâ conditione ut ad Eccleſias in quas illius uſus introductus non fuerat, non porrigeretur, figmentum eſt. Quis enim credat, ipſum conſcientiæ ſuæ timuiſſe Jus illud exercendo, quod exercuerat Ludovicus ejus Pater, cujus ſanctitas novis miraculis in dies celebrabatur?

2. RESP. Immeritò negatur, Concilii Lugdunenſis prohibitionem Reges Chriſtianiſſimos ſpectare, ut jam oſtendimus. Pugnantia loquuntur qui negant, ibi agi de collatione Præbendarum, & tamen volunt, eam fructuum nomine comprehendi. Receptum fuiſſe, ac executioni demandatum Lugdunenſe Decretum infrà probabimus.

3. Pro-

3. Proferendus eſſet Canon, quo Reges Chriſtianiſſimi à Cenſuris in Conciliis generalibus latis eximuntur, niſi ſpecialis eorum mentio fiat, ſicut Canone, *Quod à nonnullis.* De Privileg. à P. Alexandro citato, Epiſcopis conceditur, ut *cùm commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis & interdictis excluſis, poſſint quandoque januis clauſis, ſuppreſſâ voce & non pulſatis campanis, Divina celebrare officia*, niſi & hoc ipſum eis expreſſè fuerit interdictum: & Canone *Quia periculoſum.* De ſententia excommunic. ipſos, niſi ſpecialis eorum mentio fiat, ſuſpenſionem aut interdictum non incurrere declaratùr. Adde quòd etiamſi Reges Chriſtianiſſimi â Cenſura tuti eſſent, non tamen à Lege totius Eccleſiæ nomine promulgatâ liberi forent; præſertim hoc Decreto obligari etiam Reges Chriſtianiſſimos ex ipſiuſmet Concilii verbis, & ex Durandi natione Galli, multorumque aliorum teſtimonio, §. 3. oſtenderimus. *Art. 5. §. 5.*

4. Conſtat Regaliam fuiſſe uſurpatam, non quidem à Philippo III. Rege, cujus laudibus à Patre Alexandro celebratis libens ſubſcribo, ſed ab ejus Officialibus, ut patet ex Arreſto in favorem Eccleſiæ Albienſis pronuntiato ab ipſo Philippo III. biennio ante Concilium Lugdunenſe, & Articulo ſuperiori §. quadrageſimo primò jam relato, ſed hîc rurſus referendo: *Sabbatho poſt Aſcenſionem Domini reſtituta fuerunt apud Appamias, & reddita per Dominum Regem Procuratoribus Capituli Albienſis, Regalia Eccleſiæ Albienſis, quæ mortuo Epiſcopo Albienſi, Seneſchallus Carcaſſonenſis, ad manum Domini Regis ceperat & ſaiſiverat ſine cauſa, cùm Dominus Rex ſuper hoc aliàs nunquam uſus fuiſſet, prout ex aliorum ac ipſius relatione fuit inventum.*

5. Conſtat etiam vel ex hoc ipſo Arreſto, tempore Concilii

 lii

Art.5. lii Lugdunenſis, Occitaniam fuiſſe ſub Ditione Regis Franciæ; quandoquidem Eccleſia Albienſis, cujus Regalia ad
§. 5. manum Regis capta fuerant, intra Occitaniam poſita eſt. Alphonſus frater Philippi III., & S. Ludovici filius, nec non Joanna uxor Alphonſi, filia Raymundi Comitis Toloſani, ejuſque hæres, deceſſerant abſque liberis anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, eorumque deceſſu Occitania reverſa erat ad Ditionem, plerumque Dominium Regis Franciæ, juxta Tractatum inter S. Ludovicum Regem & Raymundum Comitem Toloſanum anno milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo initum: imò poſſeſſionem Occitaniæ per ſe ipſum adierat Philippus III. eodem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, ut refert teſtis oculatus Guillelmus de Podio Laurentii *Capp.* penult. & ult. Chronici Albigenſium; & tunc Arreſtum ſuprà memoratum pro libertate Eccleſiæ Albienſis tulit. Cùm ergo illud Arreſtum datum ſit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo primo, S. autem Ludovicus defunctus ſit anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo; Concilium verò Lugdunenſe celebratum anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo quarto; neceſſariò concluditur, inter obitum Sancti Ludovici ac Concilium Lugdunenſe, Officiales Regios uſurpaſſe fructus Eccleſiarum vacantium prætextu Regaliæ.

6. Partem etiam Aquitaniæ poſſederant Comites Toloſani, ac poſſidebat Rex Franciæ tempore Concilii Lugdunenſis. Nam in renunciatione à Raymundo Comite factâ, cujus fragmentum à Patre Alexandro relatum eſt Articulo præcedenti §. 36. Eccleſiis provinciarum *Auxitanenſis, Burdegalenſis & Bituricenſis immunitatum ſecundùm ſtatuta Canonum, & pleniſſimam libertatem concedit*, In Addit. ad cap. 26. lib. 8. de

de Concord. Domini de Marca. Pervenerat autem illa pars Aquitaniæ ad Comites Toloſanos, quia data fuerat à Richardo Rege Angliæ ſorori ſuæ Joannæ in dotem, dum ſupradicto Raymundo nupſerat, ut narrat Catellus in Hiſtoriâ illius Comitis. Adde quòd Aquitaniæ pars à Philippo Auguſto Rege Franciæ, nec non ab ejus filio Ludovico VIII. fuerat occupata, dumque S. Ludovicus anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, & Henricus Angliæ Rex controverſias illas compoſuerunt, Rex Angliæ, ut refert Guillelmus de Nangis in Chronico ad hunc annum, *Quitavit in perpetuum Regibus Franciæ de expreſſâ voluntate fratris ſui Regis Romanorum Richardi, & conſilio Principum ac Baronum Angliæ quidquid Juris requirebat in Ducatu Normanniæ & Comitatibus Andegaviæ, Cenomaniæ, Turoniæ, & Pictaviæ, ac in eorum feodis.* Aliquarum autem ex his provinciis portio Aquitaniâ continetur. Art. 5. §. 5.

7. Pervenerat etiam ad Dominium Franciæ pars Provinciæ *Provinciæ*, quia pertinuerat ad Comites Toloſanos. Raymundus enim ſenior in Inſtrumento, quo Eccleſiis libertatem Canonicam reſtituit, dicit ſe *Marchionem Provinciæ*; quia ſcilicet Alphonſus ejus Avus duxerat Faididam filiam Gilberti Comitis Provinciæ; unde pars Provinciæ illi obtigerat, parte alterâ in Comitem Barcinonenſem, cui nupſerat altera Gilberti filia, cedente, ex factâ inter Toloſanum & Barcinonenſem diviſione anno 1125.

8. Sed, etſi verum eſſet quòd Aquitania & Occitania ad Ditionem Regis Franciæ nondum revocatæ fuiſſent tempore Concilii Lugdunenſis, ſicut non erat revocatus Delphinatus, nec Provinciæ pars; num ideò liceret ad illas provincias Regaliam extendere? Num Decretum Concilii Lugdunenſis ejuſmodi extenſionem prohibuit, quoad illas tantùm Eccle-

ſias,

Art. 5. ſias, quæ tunc Regi Franciæ ſuberant? Num Patribus Lug-
§. 5. dunenſibus curæ tantùm fuit Eccleſiarum Gallicanarum libertas?

9. Quòd autem Philippus Audax conſcientiæ ſuæ non metuerit, Jus Regaliæ exercendo, rectè non concluditur ex eo quòd illud antea exercuerit S. Ludovicus. Quis enim ſcit an non aliqua circa uſum illum orta fuerit etiam Sancto Regi dubitatio? Nonne id colligere liceret ex maximâ illâ religione, quâ cavebat, non ſolùm ne Regalia ad Eccleſias liberas extenderetur, ſed etiam ne intra eamdem Eccleſiam ultra vetuſtæ conſuetudinis limites porrigeretur: adeò ut licèt in Eccleſiâ Anicienſi poſſeſſionem conferendi beneficia à duabus ultimis vacationibus haberet, ubi tamen agnovit poſſeſſionem non eſſe antiquam, libertatem Eccleſiæ hâc in parte aſſeruerit? Præterea quoad uſum-fructum bonorum, ſimiliter id tantùm ſibi ac ſuis ſucceſſoribus vindicavit, quo ſua Majeſtas ejuſque Prædeceſſores jamdudum fruiti erant: imò in examine ejus cauſæ proceſſit de aſſenſu ejuſdem Eccleſiæ Anicienſis, ut vidimus Art. IV. §. 31. Fortè autem maximis Regni ſui negotiis ac bellis diſtentus, Regaliæ juſtitiam, quoad eas Eccleſias in quibus non ita recens erat uſus ille, minùs accuratè examinavit, contentus ſummam adhibere diligentiam, ut beneficia rectè diſpenſarentur ac reditus in commune Eccleſiæ bonum inſumerentur. Philippus verò Officiales tum S. Ludovici Parentis ſui, tum ſuos animadvertens, Regaliam in quaſdam Eccleſias liberas inducere tentaſſe, potuit meritò timere ne Officiales Prædeceſſorum ſuorum, quo tempore primùm inducta eſt Regalia, ſimili injuſtitiâ alias Eccleſias Canonicâ libertate ſpoliaſſent: præſertim cùm natura ipſa & conditio beneficiorum ac fructuum bonorum Eccleſiaſticorum, maximè

mè non feudalium, clamare videatur, eorum adminiſtratio- *Art.5.*
nem ad Eccleſiam ipſam pertinere, quemadmodum declarant §. 6.
etiam ſacri Canones.

§. SEXTUS.

An Decretum Lugdunenſe ad ſolos Principes Rege inferiores pertineat.

1. DISSERT. „Duces itaque, & Comites, qui in„clinante ſecundâ Regum noſtrorum Dynaſtiâ Re„galia uſurpaverant, ſicut & ipſos Ducatus atque Comitatus transmiſerant ad hæredes, cùm „illos antea poſſiderent ad vitam, & ſolo adminiſtrationis „titulo, ſpectat Canon 12. Lugdunenſis Concilii. Spectat „etiam Barones, alioſque Nobiles, Vicedominos, Ballivos, „alios quoslibet, qui vel Patronatum, Guardiam, Advoca„tionem Eccleſiarum de novo uſurpabant, vel legitimo titu„lo, & Jure Patronatûs abuſi, nova Eccleſiis imponebant „onera, & bona Eccleſiarum vacantium, Monaſteriorum, „& quorumvis piorum locorum occupabant, in proprios „uſus convertebant ac diſtrahebant, in ſupellectilem etiam „domorum Eccleſiaſticarum, & ſpolia defunctorum Epiſ„coporum, Abbatum, Curatorum, aliorumque Virorum „Eccleſiaſticorum, manus injicientes: non verò Reges Chri„ſtianiſſimos, qui ad Parochiales Eccleſias, & alia quævis pia „loca Regaliæ uſum non extenderunt. Hunc Lugdunenſis „Canonis legitimum verumque ſenſum eſſe probant Con„ciliorum & Pontificum antecedentium & conſequentium, „& eumdem abuſum damnantium Decreta (inquiunt Juris-

Art. 5. „ conſulti & Theologi plerique Gallicani, qui hoc argumen-
§. 6. „ tum diligentiùs & accuratiùs expenderunt.) Illos ſcilicet ſpe- „ ctat, de quibus decernit Concilium Lateranenſe IV. ſub In- „ nocentio III. anno 1215. celebratum, Canone 45. cujus hæc „ ſunt verba: *In quibuſdam Provinciis Eccleſiarum Patroni, ſeu* „ *Vicedomini, & Advocati, ſe in tantam inſolentiam erexe-* „ *runt, quòd non ſolùm, cùm vacantibus debet Eccleſiis de Paſto-* „ *ribus idoneis provideri, difficultates ingerunt & malitias:* „ *verùm etiam de poſſeſſionibus & aliis bonis Eccleſiaſticis pro ſuâ* „ *voluntate ordinare præſumunt, &* (quod horrendum eſt di- „ cere) *in necem Prælatorum prorumpere non formidant. Cùm* „ *igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſio-* „ *nis diſpendium non debeat retorqueri: prohibemus expreſſè ne* „ *Patroni, vel Advocati, ſeu Vicedomini, ſuper præmiſſis de* „ *cætero plus uſurpent, quàm reperiatur in Jure permiſſum: &,* „ *ſi contra præſumpſerint, diſtrictiſſimè per ſeveritatem Canoni-* „ *cam compeſcantur.*

2. RESP. Erat quidem abuſus intolerabilis, quòd Duces & Comites bona Epiſcoporum defunctorum & Eccleſiarum vacantium occuparent, ſaltem exceptis feudorum fructibus, ſicubi ad ipſos ex conditione donationi appoſitâ, vel ex generali provinciarum conſuetudine ad ipſos pertinebant. Abuſus tamen ejuſmodi Regaliæ aliquatenùs ſimilis erat; ex quo ejus exercitium extendi cœperat ad omnes Eccleſiarum fructus, etiam decimas & oblationes. Et fortè hinc etiam Reges Chriſtianiſſimi occaſionem inducendæ in aliquas Eccleſias Regaliæ ſumpſerunt, ut alibi explicatum eſt. Cùm enim Ducatus atque Comitatus ad plenum Regum Dominium revertebantur, exiſtimabant Reges, licere ſibi uſum proſequi, quem jam inductum reperiebant; cùm ipſi non minorem,

quàm

quàm inferiores Principes in provincias autoritatem deberent obtinere. Sed quæ rationes probant, non potuiſſe Principes inferiores Regaliam uſurpare, ſuadent etiam, Reges ipſam ſibi vendicare non debuiſſe. *Art.5. §.6.*

3. Decretum Concilii Lateranenſis IV. ab Autore relatum duo probat ipſi adverſa, primò, quòd Patroni, Vicedomini, ſeu Advocati, Eccleſiarum vacantium Cuſtodiam obtinebant: ſecundò, quòd tamen ratione Cuſtodiæ non poterant ſibi aliud vendicare, quàm ſalarium conſuetum; quod ſignificant hæc verba: *Cùm igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri: prohibemus expreſſè ne Patroni, vel Advocati, ſeu Vicedomini, ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quàm reperiatur in Jure permiſſum.*

4. Ex eo autem quòd hoc Decretum Reges expreſſè non commemoret, (quanquàm in ipſis eadem videatur ratio militare, quòd ſcilicet eorum defenſio non debeat in Eccleſiarum diſpendium retorqueri) perperàm infertur, ad ipſos non pertinere Decretum Concilii Lugdunenſis, cùm *univerſos & ſingulos complectatur quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, hoc eſt, ſive Regiæ ſive Comitativæ vel cujuſcumque alterius,* ut ait Durandus, *quia reatus hominum honorem excludit*, L. 1. Cod. Ut Senatus vel Clar.

Art. 5. §. 7.

§. SEPTIMUS.

De Canone VII. Concilii Colonienſis.

1. DISSERT. „ Illos perſtringit Canon 12. Concilii „ Lugdunenſis, quos Concilium Colonienſe anno „ 1266. celebratum, Canone 7. cujus hæc ſunt „ verba: *Statuimus ut nullus Laïcus cujuſcumque „ dignitatis vel conditionis exiſtat, de bonis Clericorum, ſive in „ vitâ, ſive in morte ſe intromittat. Et illos qui contra hoc Sta- „ tutum de bonis & rebus Clericorum decedentium auſu ſacrilego „ ſe injecerint, niſi ſint ipſorum Clericorum manufideles, ſeu ulti- „ marum executores voluntatum, ex nunc ſententiâ excommuni- „ cationis innodamus : & per locorum Ordinarios præcipimus „ excommunicatos publicè nuntiari, donec ablata reſtituerint, & „ aliàs ſatisfecerint competenter. In quâ excommunicatione ſi per „ menſem perſtiterint : ex tunc contra eos tanquàm invaſores bo- „ norum Eccleſiarum procedatur.*

2. RESP. Cur conſequens eſt, ut eos tantùm perſtringat Concilium generale, quos antea Concilium Colonienſe Diæceſanum perſtrinxerat ? Undenàm conjicit Diſſertator, ab hoc Canone excipi Reges; quandoquidem hæc verba : *Nullus Laïcus cujuſcumque dignitatis vel conditionis exiſtat*, generalia ſunt ? An ex eo quòd Reges de bonis Clericorum, ſive in vitâ, ſive in morte non ſe intromittebant ? Pari ratione dici poſſet, nullam legem ſpectare bonos ac pios, quia ipſi crimina à legibus prohibita non perpetrant. Ac revera *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis*, ut docet S. Paulus

1. Timoth.

1. Timoth. 1. verſ. 9. Nihilominùs ſi juſti à juſtitiâ receden- *Art.* 5.
tes legem violarent, pœnam legis non effugerent. Non erant §. 8.
fortè tales tunc temporis Clericorum facultates, ut eas concupiſcerent Reges. Sed ſi hi Regiam Majeſtatem uſque ad illas diripiendas demiſiſſent, & Archiepiſcopo Colonienſi ſubjacuiſſent, incidiſſent in Cenſuras contra hoc ſacrilegium latas.

§. OCTAVUS.

De Literis Innocentii IV. adversùs Magnates, Libertatem Eccleſiaſticam violantes.

1. DISSERT. „ Illos perſtringit Canon 12. Concilii „ Lugdunenſis, contra quos Innocentius IV. Pon„ tifex Maximus anno 1252. VIII. Kal. Auguſti „ ad Narbonenſem Achiepiſcopum, & Epiſco„ pum Elnenſem ſcripſerat in hæc verba : *Ad aures noſtras „ Eccleſiæ Gallicanæ querelâ perferente pervenit, quòd nonnulli „ Regni Francorum Barones, Ballivi, Præpoſiti, ac eorum & „ aliorum Nobilium ejuſdem Regni Officiales, eamdem Eccleſiam „ contra libertatem ipſius graviter comprimentes, aliquando per ſe, „ aliquando ad mandatum Dominorum ſeu Majorum ſuorum, & „ interdum motu proprio, res & bona Eccleſiarum, hominum „ earumdem, & Eccleſiaſticarum perſonarum capiunt, & in„ terdum capi faciunt per eos qui ſuas contra ipſas Eccleſias vel „ Perſonas exerunt actiones, ut per adverſarios graviùs infeſten„ tur, & capta, ut ſic ab ipſis aliquid extorqueant, detinent „ pro ſuæ arbitrio voluntatis. Eorum autem aliqui jus talia fa„ ciendi ſibi ex eo vendicare nituntur, quòd cùm Eccleſiæ vel Per-*

Art. 5. § 8. „*ſonæ Eccleſiaſticæ ſub eorum Cuſtodiâ ſive Advocatione conſi-* „*ſtant, ex frequenti exercitio ejuſmodi captionis ſe fore in poſ-* „*ſeſſione Juriſdictioni hujuſmodi exercendæ per ipſos in Eccleſias* „*vel Perſonas Eccleſiaſticas, homines & res ipſarum, licèt pec-* „*candi diuturnitas non Jus eis, ſed damnationem afferat, & in* „*ſubverſionem Privilegii Ordinis Clericorum talis actûs frequen-* „*tia in conſuetudinem convaleſcere nequeat, aſſeverant. Habe-* „*bat inſuper Eccleſiæ præfatæ querela, quòd vacantibus inter-* „*dum Eccleſiis ſeu Monaſteriis Regni prædicti, ſi ſuper Proviſio-* „*ne ipſorum duratura diſcordia oriatur, iidem Barones & alii* „*prætextu Guardiæ ſeu Advocationis, ad bonorum temporalium* „*eorumdem cuſtodiam diſſipatores & conſumptores deputant, non* „*cuſtodes, in enormem Eccleſiarum & Monaſteriorum ſæpiùs læ-* „*ſionem. Feruntur etiam quidam eſſe Ballivi, Præpoſiti, & Offi-* „*ciales eorum, qui multò cariùs ſolito ſua emunt Officia, ſpem* „*damnabilis lucri ponentes in ſervitiis ſeu exactionibus, quæ ab* „*Eccleſiis, hominibus earum, & Perſonis Eccleſiaſticis extor-* „*quent quodammodò violenter, dum ratione Guardiæ ſeu Advo-* „*cationis hujuſmodi, eorum nomine, à quibus hujuſmodi emunt* „*Officia, Eccleſiaſtica bona capiunt, vel capi mandant aliquando eo* „*tempore, agriculturæ videlicet, meſſium, ac vindemiarum, quo* „*eiſdem majora damna noſcuntur, etſi vexationem ſuam ab eis re-* „*dimant, imminere. Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica* „*Scripta mandamus, quatenùs præfatos Barones, Ballivos, Præ-* „*poſitos, Officiales, & alios Narbonenſis Provinciæ, quotiens opus* „*fuerit, ut ab hujuſmodi Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum Perſo-* „*narum gravaminibus conquieſcant, attentè monere ac efficaciter* „*inducere ſtudeatis: & ſi ad monita fuerint pertinaces, ipſos ſu-* „*per iis per excommunicationem in perſonas, & interdictum in* „*terras eorum, appellatione remotâ, veritate per vos vel per alios*

„ *cognitâ, compeſcatis.* Iſtud Innocentii IV. Diploma edidit *Art.5.*
„ Baluzius Vir Clariſſimus in Addit. ad caput. 18. lib. 8. D. de §. 8.
„ Marca, de Concordia Sacerdotii & Imperii, pag. 423.

2. Resp. His literis confutatur quod Diſſertator Art. præcedenti §.40. obſervatione 4. conatus eſt adſtruere ſimilibus literis Gregorii IX. quæ à Stephano Baluzio in eodem quo literæ Innocentii loco referuntur. Nam literas Gregorii adduxit, ut probaret, S. Ludovicum Jus Regaliæ in Provincia Narbonenſi exercuiſſe; quia in illis habetur, quòd *Seneſchalli & Ballivi bona Eccleſiarum vacantium contra Juris debitum uſurpare, ac id de novo in Eccleſiarum Juribus attentare præſumunt, quod nullo tempore à Prædeceſſoribus ipſius Regis, vel aliis, occaſione Regalium, vel aliâ extitit attentatum.* In literis autem Innocentii Barones, Ballivi, Præpoſiti, & aliorum Nobilium ejuſdem Regni Officiales Narbonenſis Provinciæ (illorum enim occaſione ſcriptæ ſunt hæ literæ, ut ex ipſarum fine conſtat) dicuntur bona Eccleſiarum uſurpare ſub prætextu Cuſtodiæ, quæ ſecundùm Patrem Alexandrum, idem eſt ac Regalia, ſeu Regaliæ fundamentum. *Eorum autem aliqui Jus talia faciendi ſibi ex eo vendicare nituntur, quòd cùm Eccleſiæ vel perſonæ Eccleſiaſticæ ſub eorum Cuſtodiâ ſive Advocatione conſiſtant.* Et infrà; *Iidem Barones & alii prætextu Guardiæ ſeu Advocationis ad bonorum temporalium eorumdem cuſtodiam diſſipatores & conſumptores deputant.* Non poterat autem Regalia ſeu Cuſtodia ſimul exerceri & à Rege & à Principibus inferioribus. Sed tam Regis Officiales, quàm Duces, aliique Dynaſtæ inferiores bona Eccleſiarum in eâ Provinciâ per vim & injuriam uſurpabant: utriſque autem obſiſtebat Eccleſia.

3. Nec dicas, illa poſſe conciliari quæ pugnare videntur, diſtinguendo tempora, quia literæ Gregorii datæ ſunt anno mille-

Art. 5. milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo; literæ autem In-
§. 8. nocentii anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ut diverſi diverſis temporibus potuerint Eccleſiarum habere Cuſtodiam. Non enim plus juris habebat S. Ludovicus in Provinciam Narbonenſem anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo, vivente tunc Raymundo illius Provinciæ Comite, quàm anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, quo jam defunctus erat Raymundus: quia eo mortuo anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, dominium Comitatûs pervenit ad Joannam ejus filiam, Alphonſi fratris S. Ludovici uxorem. Vide, ſi placet, quæ dicta ſunt §. 3. hujus Articuli.

4. Accedit quòd literæ Innocentii an. 1252. enuntiant, illos Barones, Ballivos, & Præpoſitos aliquam ſpeciem conſuetudinis, vel potiùs corruptelæ allegaſſe: *Ex frequenti*, inquit, *exercitio ejuſmodi captionis ſe fore in poſſeſſione Juriſdictionis hujuſmodi exercendæ per ipſos in Eccleſias vel Perſonas Eccleſiaſticas, homines & res ipſarum, licèt peccandi diuturnitas non Jus eis ſed damnationem afferat* &c. . . . . *aſſeverant*: quæ congruè dici non poſſent anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo ſecundo, ſi anno milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo S. Ludovicus Jus Regaliæ in eâ Provinciâ exercuiſſet.

5. Judicet Lector, quâ ratione negari poſſit, damnatam fuiſſe his literis Regaliam, ſaltem in Provinciâ Narbonenſi, de quâ in fine fit mentio, ſi eas cum P. Alexandro de Jure Regaliæ intelligamus.

§, NO-

§. NONUS. Art. 5. §. 9.

De Canone decimo Concilii Viennenſis in Auſtriâ.

1. DISSERT. „Illos perſtringit Canon 12. Concilii „Lugdunenſis, quos Viennenſe in Auſtriâ Concilium à Guidone S. R. E. Cardinali, Sedis Apo„ſtolicæ Legato anno 1267. celebratum, Canone „10. cujus hæc ſunt verba : *Ad aures noſtras per clamoſam in„ſinuationem multorum devenit, quòd Patroni Eccleſiarum tam „Clerici quàm Laïci, Advocati, & Judices, & Præcones, „bona decedentium Clericorum occupant, volentes ſibi ab inteſta„to ſuccedere, pro ſuæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. „Quare providè duximus ſtatuendum, ut Patroni Eccleſiarum, & „alii ſuprà dicti, à talibus de cætero abſtineant : & niſi ab„ſtinere voluerint, quouſque ſic ablata reſtituant, excommuni„cationis vinculo innodentur.*

2. RESP. Quo colore, amabò, Diſſertator Canonem duodecimum Concilii Lugdunenſis illos perſtringere docet, quos perſtringit Canon decimus Concilii Viennenſis ; cùm Canon Lugdunenſis nullam faciat bonorum Epiſcopi mentionem, ſed totus ſit de bonis Eccleſiarum vacantium, & de illorum bonorum fructibus ; Canon autem Viennenſis ne verbum quidem faciat de uſu-fructu bonorum, ſed de ſpolio tantùm Clericorum decedentium ? Quomodò ergo ex Viennenſi Decreto colligi poteſt Lugdunenſis ſenſus ?

Art. 5. §. 10.

§. DECIMUS.

De Canone vigeſimo ſecundo Concilii Lugdunenſis.

1. DISSERT. „ Illos Eccleſiarum Advocatos, ſive „ Advocationis Officium, Regaliam, aut Cuſto- „ diam uſurpantes, perſtringit Lugdunenſis Con- „ cilii Canon 12. quibus Canon 22. ejuſdem Sy- „ nodi bona immobilia ſeu Jura Eccleſiarum ſubjici vetat his „ verbis: *Hoc conſultiſſimo prohibemus Edicto, univerſos & ſin-* „ *gulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia ſeu Ju-* „ *ra ipſarum, laïcis ſubmittere, ſubjicere ſeu ſupponere, abſ-* „ *que Capituli ſui conſenſu, & Sedis Apoſtolicæ licentiâ ſpecia-* „ *li, non concedendo bona ipſa vel Jura in emphyteoſim, ſeu aliàs* „ *alienando in formâ & caſibus à Jure permiſſis, ſed conſtituendo* „ *vel recognoſcendo, ſeu profitendo ab illis ea tanquam à Supe-* „ *rioribus ſe tenere, ſeu ab ipſis eadem advocando (prout in qui-* „ *buſdam partibus vulgariter dicitur,* Avoüer) *vel ipſos Patro-* „ *nos, ſive Advocatos Eccleſiarum, ſeu bonorum ipſarum, per-* „ *petuò aut ad tempus non modicum ſtatuendo.*

2. RESP. Differunt illi duo Canones Concilii Lugdunenſis, quia duodecimus conditus eſt adverſùs *univerſos & ſingulos, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant:* vigeſimus ſecundus de *laïcis* ſimpliciter loquitur. Atque licèt Reges nomine communi laïcorum non tam commodè intelligerentur in vigeſimo ſecundo Canone, ſatis expreſſè per verba illa duodecimi, *quantæcumque dignitatis honore præfulgeant,* deſignarentur. Materia etiam utriuſque Canonis aliquatenùs diverſa eſt. Nihilominùs ſi, ut vult P. Alexander, ſenſus Ca-

Canonis duodecimi ex vigeſimo ſecundo eruendus eſt, duodecimus intelligendus eſt de Regaliâ & de Regibus. Nam ideò vigeſimus ſecundus prohibet ne Eccleſiæ laïcis tanquàm Patronis aut Advocatis ſubjiciantur, quia Patres experientiâ didicerant, ſæpiſſimè contingere, ut prætextu Guardiæ ſeu Advocationis, diſſipatores & conſumptores, non cuſtodes ac conſervatores exiſterent: quâ de re conqueſti ſunt Pontifices & Concilia, præſertim Concilium Remenſe an. 1148. Can. 6. Lateranenſe 1215. Can. 45. Lucius III. Cap. *Præterea. De Jure Patronatûs*. Id autem Regibus faciliùs eſt, quia cùm majori potentiâ præditi ſint, difficiliùs illis obſiſtere poteſt Eccleſia. Ut ergo huic malo occurreret Concilium Can. 12. modum adhibuit iis, qui jam cuſtodiam exercebant: & vigeſimo ſecundo providit, ne in poſterùm cuſtodia cuiquam laïco concederetur abſque magnâ cautelâ. Art. 5. §. 11.

§. UNDECIMUS.

De Canone vigeſimo quarto Concilii Saltzburgenſis anno 1274. celebrati.

1. DISSERT. „ De illis intelligitur Canon XII. „ Lugdunenſis Concilii, de quibus Saltzburgenſe Concilium proximè poſt illud celebratum eodem anno 1274. pro recipiendis illius Statutis, „ Canone 24. cujus hæc ſunt verba: *Præſentis auctoritate Con-„ cilii, Eccleſiarum Advocatos, qui Eccleſias onerant ultra con-„ ſuetam & debitam ſervitutem, ac per hoc Eccleſiarum Liber-„ tates violant & infringunt, publicè commonemus, ut ab inde-*

Art.5. „ *bitis vexationibus Eccleſiarum, & bonis ipſarum abſtineant,*
§. 11. „ *& Juribus debitis ſint contenti: alioquin adverſus eorum inju-*
„ *riam mediante Juſtitiâ refrænandam, ad conceſſa nobis Juris*
„ *beneficia recurremus.*

2. RESP. Neſcio quem fructum Diſſertator coacervandis hujusmodi Canonibus ſibi proponat. An enim quia Eccleſiarum Advocati monentur, ut juribus debitis ſint contenti, Concilium Lugdunenſe non prohibuit, ne Reges Regaliam ad Eccleſias liberas extenderent? Concilium Saltzburgenſe non habebat in ſuâ Provinciâ Reges: quid ergo mirum ſi Decretum Concilii Lugdunenſis exequens, Advocatorum tantùm meminerit? Cæterùm ſi vis ac ſenſus Canonis Saltzburgenſis conſideretur, ex eo colligitur, cuſtodiæ honorarium non integrum Eccleſiarum uſum-fructum eſſe, ſed id quod pro ſalario conſtitutum fuit, ut docent etiam Canones §. præcedenti citati.

3. Notanda ſunt verba Concilii Saltzburgenſis in præfatione, quæ, quod aliunde certum eſt, apertè declarant, Decreta Conciliorum generalium non eâdem prorſus ratione in univerſis provinciis obſervari; ſed ſingulis pro earum conditione aptari; ut abſurdum ſit ſenſum Conciliorum œcumenicorum ex Synodorum particularium Canonibus & aliquarum tantùm provinciarum uſu metiri, quaſi latiùs non pateret: *Definiendo præcipimus*, inquiunt Patres Concilii Saltzburgenſis, *ut Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alii Eccleſiarum Prælati, ſtatuta ſacri generalis Concilii celebrati proximè in Lugduno, in Eccleſiis, & ſubditis ſuis, Clericis & laïcis,* SECUNDUM QUOD EADEM STATUTA ISTIS ET ILLIS CONVENIUNT, ET QUANTUM EOS TANGUNT, *ſic ſolicitè & frequenter ſtudeant publicare, ut ipſorum pronuntiantium*

tium & ſubditorum memoriæ & obſervantiæ impriman- tur. Art. 5. §. 12.

§. DUODECIMUS.

De Capite decimo ſecundo Synodi Colonienſis anno 1279. *celebratæ.*

1. DISSERT. „ De illis intelligitur Canon 12. Concilii Lugdunenſis, de quibus Synodus Colonienſis à Siffrido Archiepiſcopo habita anno 1279. „ Cap. 12. cujus hæc ſunt verba: *Excommunicamus omnes Advocatos Eccleſiarum, & alios quoſcumque, & „ quocumque nomine cenſeantur, qui exactiones vel ſervitia in- „ debita Eccleſiæ vel Eccleſiaſticis Perſonis imponunt. Item ex- „ communicamus in his ſcriptis omnes illos, cujuscunque ſint „ dignitatis vel ſtatûs, qui Eccleſiæ noſtræ Majoris, vel alia- „ rum Eccleſiarum noſtræ Diœceſis homines, cenſum capitalem „ ipſis Eccleſiis ſolventes, prætextu Advocationis, vel alterius „ coloris, exactionibus vel captionibus opprimunt, vel moleſtant, „ aut bona eorum mobilia vel immobilia, poſt mortem ipſorum, in- „ vadunt vel accipiunt violenter.*

2. RESP. Num ex iſto Decreto ſequitur, Canonem XII. Lugdunenſem non eſſe intelligendum de Regaliâ vel de Regibus? Quaſiverò dum unum ſacrilegii genus in aliquo Concilio damnatur, iſtud tantùm in alio Concilio reprobatum fuiſſe cenſendum ſit. Adde, quòd hæc duo Decreta in hoc concordant, quòd uterque prohibet, ne prætextu Advocationis exactiones vel ſervitia indebita Eccleſiis vel Perſonis

Art.5. Eccleſiaſticis imponantur. Quæ concordia clariùs apparet in §. 13. Canonibus, qui ſequuntur.

§. DECIMUS TERTIUS.

De Canone XII. & Canone decimo quinto Concilii Saltzburgenſis anno 1281. *habiti.*

1. DISSERT. „ De illis intelligitur Concilii Lugdu- „ nenſis Canon 12. de quibus Concilium alterum „ Saltzburgenſe anno 1281. celebratum, quod „ ipſum laudat, Canone item 12. cujus hæc ſunt „ verba: *Item ſub velamento Advocationis nonnunquam gravan- „ tur Monaſteria, Conventualium, Parochialium, & aliarum „ Eccleſiarum libertas, & immunitas perturbantur: decrevimus „ ut omnes qui occaſione hujusmodi aliquod Jus ſibi vendicant in „ Eccleſias, niſi de Jure ſuo Ordinarium loci certum fecerint, „ ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, quem eis ad hoc terminum „ peremptorium aſſignamus; ex tunc ſuper hoc de cætero nullate- „ nùs audiantur; & Clericus qui ſe non oppoſuit taliter uſurpan- „ ti, pœnam ſuſtineat nuper in Lugdunenſi Concilio ſtatutam.* Et „ Canone 15. *Statutum bonæ memoriæ Guidonis contra Patronos, „ Judices, & Præcones editum, qui bona invadunt deceden- „ tium Clericorum, pro neceſſitate temporis aggravantes, ſtatui- „ mus, ut raptores rerum hujuſmodi vacantium Eccleſiarum ipſo „ jure excommunicationem incurrant.*

2. RESP. Concilium Saltzburgenſe Lugdunenſe Decre- tum

tum Provinciæ ſuæ moribus accommodavit. Unde nonniſi vitioſâ conſequentiâ inferri poteſt, Reges Galliæ à Decreto Lugdunenſi excipiendos, quia de illis non intelligitur Canon Saltzburgenſis: quaſi Saltzburgenſium Patrum eſſet, Canones pro Galliâ condere: aut in ipſorum Provinciâ nullius uſûs eſſent Canones Reges Galliarum ſpectantes: aut ad Galliam pertinere cenſendi ſint illi tantùm Canones, qui eodem omninò modo, ne variatis quidem perſonarum circumſtantiis in aliis omnibus provinciis obſervandi ſint. Nonne potiùs ex Decreti Lugdunenſis executione in aliis provinciis ſecundùm illarum mores, conjiciendum eſſet, illud etiam in Galliâ exequendum eſſe juxta Galliæ mores: ac ſicut alibi Cuſtodes ultra conſtitutum ſibi ſalarium quidquam exigere prohibentur, nec poſſunt ſine præſcriptis conditionibus cuſtodiam de novo aſſequi; ita Reges Chriſtianiſſimos, ad quos ſolos juxta Diſſertatoris doctrinam pertinet in ipſorum Regno cuſtodia Eccleſiarum vacantium, non poſſe Jus illud autoritate propriâ ad Eccleſias liberas de novo extendere, aut in Eccleſiis Regaliæ obnoxiis Jus ſuum novo modo exercere? *Art. 5. §. 13.*

§. DECI-

Art. 5. §. 14.

§. DECIMUS QUARTUS.

De Canonibus vigeſimo ſexto & vigeſimo Concilii Herbipolenſis anno 1287. *congregati.*

1. DISSERT. „ De illis intelligitur Concilii Lugdu-„ nenſis Canon 12. de quibus Concilii Herbipo-„ lenſis anno 1287. celebrati Canon 26. cujus hæc „ ſunt verba : *Nonnulli afflictis Eccleſiis, quæ va-„ cationis laborant incommodo, non verentes afflictionem adde-„ re, bona earumdem Eccleſiarum diripere ac occupare nitun-„ tur. Ex quo grave ipſis Eccleſiis in rebus earum provenit detri-„ mentum. Nos ſuper hoc vacantibus Eccleſiis providere volen-„ tes, eos qui vacantium Eccleſiarum, & decedentium Clerico-„ rum bona immobilia ſeu mobilia de cætero uſurpabunt, aut uſi-„ bus propriis deputabunt, excommunicatos eſſe volumus ipſo „ facto.* Et Canone 20. in quo à ſententiâ excommunicatio-„ nis in bonorum & jurium Eccleſiaſticorum invaſores latâ, „ excipiuntur Rex, Regina, & eorum Filii: *Dignum arbi-„ trantes & conſentaneum æquitati, ut quos jugo legis forſitàn „ premimus, ab oppreſſorum illicitis auſibus defendamus, & con-„ ſultiſſimâ Conſtitutione in poſterùm valiturâ ſanciamus, quòd „ nulla ſecularis vel Eccleſiaſtica Perſona, quantâcunque nobili-„ tate vel præeminentiâ ſtatûs præfulgeat (Chriſtianiſſimo Domino „ Romanorum Rege ſemper Auguſto, ejuſdemque Divinâ Conſorte „ eorumque Filiis duntaxat exceptis) Eccleſias & Eccleſiaſtica „ bona, jura, & juriſdictiones, & vaſſallos eorum, violenter „ & auctoritate propriâ publicè uſurpare, aut occupando inva-dere,*

„ *dere, vel ſcienter uſurpare, aut occupatoribus, invaſoribus, & Art.5.*
„ *ſcienter uſurpantibus Eccleſias & bona prædicta, præſtare præſu-* §. 14.
„ *mant quomodolibet per ſe vel per alium aut alios, conſilium, auxi-*
„ *lium, vel favorem: vel quòd ſi aliquis contra hujuſmodi no-*
„ *ſtræ Conſtitutionis tenorem facere vel venire præſumpſerit. . . .*
„ *Ipſo facto anathematis vinculo ſit innodatus, & terræ ipſius*
„ *Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto.*

2. RESP. *Si de illis intelligitur Concilii Lugdunenſis Canon* XII. *de quibus Concilii Herbipolenſis anno* 1287. *celebrati Canon 26.* ergo de illis intelligitur qui *bona Eccleſiarum vacationis laborantium incommodo occupare nitantur:* atqui hoc fit ab iis qui Regaliam in Eccleſiis hactenùs liberis exercent. Nec enim occupare dicuntur ii tantùm, qui bona in ſuum dominium transferunt, ſed etiam qui ita in illa manus injiciunt, ut fructus ſuos faciant. De iis igitur intelligendus erit Canon Lugdunenſis.

3. At in Canone vigeſimo Concilii Herbipolenſis *à ſententiâ excommunicationis excipiuntur Rex, Regina, & eorum Filii.* Sed ſi Concilium provinciale Regem, Reginam, ejuſque Filios in ſuo Canone excipiendos putavit, ne verbis generalibus anathemati ſubjicerentur: nonne Concilium Oecumenicum, cujus longè major latiorque eſt autoritas, Reges Franciæ exciperet, niſi illos Decreto ſuo comprehendi vellet? Cenſuræ in Concilii provincialis Herbipolenſis Decretis latæ Regem Romanorum affeciſſent, niſi Patres contrariam mentem expreſſè declaraſſent: num Concilii Lugdunenſis generalis ac celeberrimi Decretum Reges Galliæ non ſpectabit, quia ſpecialiter ab eo nominati non ſunt, etiamſi Decretum in *univerſos & ſingulos quantæcumque dignitatis honore præfulgeant,* expreſſè dirigatur?

Art. 5. §. 15.

§. DECIMUS QUINTUS.

De Canone XI. Concilii Colonienſis anno 1300.

1. DISSERT. „ De illis intelligitur Concilii Lugdu-„ nenſis Canon 12. de quibus Synodus Colonien-„ ſis anno 1300. à Wichboldo Archiepiſcopo cele-„ brata, Canone 11. cujus hæc ſunt verba: *Quia* „ *nonnulli terrarum Domini, Judices & alii Officiarii laici, bona* „ *Clericorum noſtræ Diœceſis decedentium ex teſtamento, vel ab in-*„ *teſtato, auctoritate propriâ violenter rapiunt, occupant & arre-*„ *ſtant in præjudicium Eccleſiaſticæ libertatis, quo minùs deceden-*„ *tium ultima voluntas pro ſalute animarum eorumdem valeat adim-*„ *pleri: Nos tam præſumptuoſos exceſſus corrigere volentes, mone-*„ *mus omnes Nobiles; Judices terræ, Advocatos, terrarum Do-*„ *minos & laicos quoſcunque, ne deinceps talia attentare præ-*„ *ſumant. Contrarium facientes, (quos ipſo facto ex tunc in his* „ *ſcriptis excommunicamus) excommunicatos in Eccleſiis veſtris,* „ *& præcipuè in Parochiis in quibus talia perpetrantur, & in* „ *quibus tales morantur, vos univerſi Rectores Eccleſiarum publi-*„ *cè nuncietis.*

2. RESP. Diſcrimen eſt inter Canonem Lugdunenſem, & Colonienſem: quia Lugdunenſis editus eſt adverſus *univerſos & ſingulos*, qui *bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum ipſorum vacantium occupare præſumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant*: Colonienſis verò adverſus *nonnullos terrarum Dominos, Judices, & alios Officiarios laïcos bona Clericorum Colonienſis Diœceſis decedentium ex teſtamento, vel ab inteſtato, auctoritate propriâ violenter rapientes.* Unde

ex

ex Colonienſi Canone Lugdunenſis metiendus aut limitandus non eſt. Cùm enim fines diverſos ſpectent, nihil mirum eſt, ſi diverſa ſint quæ ſtatuunt; neque hâc in parte alterum ex altero interpretandum quiſquam niſi temerè judicaverit. *Art.5. §. 16.*

§. DECIMUS SEXTUS.

De Canone III. Concilii Colonienſis anno 1310. *convocati.*

1. DISSERT. „De illis intelligitur Canon 12. Concilii Lugdunenſis, de quibus Concilii Colonienſis anno 1310. celebrati Canon 3. cujus hæc ſunt „verba: *Monemus omnes Nobiles, terrarum Dominos, Scabinos, Conſules, Judices ſeculares, & univerſitates, ac alios laïcos, cujuscunque ſtatûs exiſtant, ne de cætero occaſione Advocatiarum, quas quidam ex eis ſuper bona Eccleſiaſtica habent, vel quocunque alio nomine vel colore ad hoc quæſito, tallias, collectas, exactiones, petitiones, aſſiſias, contributiones, ſervitia indebita, & ultra quàm Jus Advocatiæ, juxta Scabinorum ſententiam, ubi Advocati ſunt, permittit ipſis Eccleſiis, Eccleſiaſticiſve Perſonis, hominibus, mancipiis, & bonis earumdem imponant, vel imponere, exigere, aut recipere præſumant, &c. Aliàs contra ipſos volumus procedi per ſententiam excommunicationis, quouſque ſatisfaciant de commiſſis.*

2. RESP. Det veniam Lector, ſi tamdiù tamque frequenter in rebus à controverſiâ noſtrâ alienis detinetur, ob legem quam nobis ipſi impoſuimus, ne quid prætermitte-

Art. 5. remus ex Diſſertatione cui reſpondemus. Non potuit Diſ-
§. 16. ſertator argumenta propria invenire ad cauſæ, quam defendit, patrocinium. Quamobrem colligit hinc inde quidquid putat ſibi adjumento eſſe poſſe, ſaltem ut Lectoris animum à vero ſtatu quæſtionis, quæ eſt *de Regaliæ extenſione*, avertat.

3. Magnum eſt diſcrimen inter Canonem XII. Concilii Lugdunenſis, & tertium Concilii Colonienſis hîc citatum. Concilium enim Colonienſe, cùm provinciale tantùm eſſet, nec in ſuâ Provinciâ Reges haberet, Canonem ſuum edidit contra Nobiles, terrarum Dominos, Scabinos, Conſules &c. Concilii autem Lugdunenſis, utpote œcumenici Decretum afficit univerſos & ſingulos, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant. Præterea Canon Colonienſis non eſt limitatus ad tempus vacationis Eccleſiarum; Lugdunenſis verò conditus eſt contra eos qui bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut locorum piorum vacantium occupare præſumunt. Itaque Lugdunenſis Regaliam, quæ non niſi vacante Sede exercetur, cohibet; Colonienſis quovis tempore onera injuſta Eccleſiis imponere vetat.

§. DECI-

§. DECIMUS SEPTIMUS. Art. 5. §. 17.

De Canone vigeſimo quarto Concilii Avenionenſis ab aliis Conciliis renovato.

1. Dissert. „ De illis intelligitur Canon 12. Concilii Lugdunenſis, de quibus Concilium Avenionenſe anno 1326. celebratum, cujus hæc ſunt „ verba : *Nullus omninò Prælatus, Abbas, Prior, „ vel Patronus Clericus, vel laicus, cujuſcunque ſtatûs, vel „ dignitatis, Ordinis, vel Religionis exiſtat, bona Eccleſiarum „ vacantium, Metropolitanæ, vel Suffraganeæ, Prioratûs, Ab- „ batiæ, vel alterius cujuscunque Monaſterii vel Eccleſiæ, per „ promotionem, aut mortem, vel reſignationem, vel mutatio- „ nem, vel abſolutionem, vel alio quocumque modo vacantium, „ capere vel per ſe vel per alium, aut occupare vel uſurpare præ- „ ſumat, niſi ſibi per Privilegium, vel conſuetudinem hoc liceret. „ Quod ſi fecerit, tam ipſe, quàm gratis obedientes ei aliquali- „ ter in hâc parte, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo „ facto.* Hunc Canonem recenſuit & confirmavit Synodus „ Avenionenſis altera anno 1337. habita, Canone 29. Eum- „ dem inter ſua tranſcripſit Decreta Synodus Vaurenſis anno „ 1368. Canone 13. Certè cùm illa Pontificum & Concilio- „ rum ante vel poſt Concilium Lugdunenſe II. edita Decreta, „ in eâdem materiâ verſentur, eumdemque abuſum emen- „ dent, prohibeant, damnent ſub eâdem pœnâ, quem Ca- „ non 12. ejuſdem Concilii damnat, & evidentiſſimum ſit „ illa Reges non ſpectare, nec de Regaliæ Jure prout à Regi-

 bus

Art. 5. „bus Chriſtianiſſimis exercebatur, decernere, ſed de Juribus
§. 17. „quæ à Comitibus, Baronibus, Vicedominis, Advocatis, „Judicibus, titulo Patronatûs, Advocationis, Guardiæ, „ſeu Cuſtodiæ uſurpabantur in Eccleſiis vacantibus, evidenter „colligitur (inquiunt noſtrates Magiſtratus & Juriſconſulti) „Lugdunenſis Concilii 12. Canonem his Decretis ſimillimum, „Reges Chriſtianiſſimos non ſpectare, *quos ne quidem no„minat; nec de Regaliæ Jure prout ab ipſis exercetur, qua„tenùs ſcilicet perceptionem fructuum Eccleſiæ vacantis, „& collationem Præbendarum complectitur, intelligendum „eſſe.

2. Resp. Si rectè argumentatur Diſſertator, Rex Franciæ nulli Conciliorum generalium, multò minùs nationalium aut provincialium Canoni ſubeſt. Quinam enim Canones expreſſam illius mentionem faciunt: niſi fortè pauca quædam antiqua Concilia Gallicana, quorum obligationi ſuam Majeſtatem ſubtrahere, non erit operoſum erudito, & ingenioſo Theologo & Juriſconſulto.

3. Canon Concilii Lugdunenſis tam apertè Regaliam de novo in Eccleſiis ab eâ liberis uſurpare, & eâ in Eccleſiis ei obnoxiis abuti vetat, ut, ſi qui Canones Conciliorum particularium eam non ſpectent, abuſus ab iis, quibus occurrere voluit Concilium Lugdunenſe, diverſos corrigere potiùs cenſendi ſint, quàm Concilium Lugdunenſe eos tantùm abuſus emendare voluiſſe, qui à particularibus Conciliis fuerunt prohibiti. Sed attentè conſiderantibus patet, Concilia illa particularia Lugdunenſe Decretum perſonis & moribus ſuarum regionum accommodaſſe. Cùm enim varii variarum provinciarum mores ſint, variique in illis abuſus oriantur, Canones in Conciliis œcumenicis nunquàm confici poſſent, ſi debe-

deberent ſpeciales ſingularum provinciarum abuſus exprime- *Art.5.*
re. Canones ſicut & leges inſtar remediorum ſunt, quæ in §. 17.
Conciliis generalibus præſcripta, in provincialibus ad diverſa morborum genera accomodantur.

4. Verumtamen Decretum Concilii Avenionenſis hîc relatum, maximam habet affinitatem cum Canone XII. Concilii Lugdunenſis ; cùm bonorum Eccleſiarum vacantium ſecuritati uterque conſulat ; uterque perſonas cujuſcumque ſtatûs & dignitatis afficiat ; uterque non ſolùm bona invadentes, ſed etiam invadentibus, prout deberent, non obſtantes plectat. Itaque ſi ſenſus Concilii Lugdunenſis eſſet obſcurus, ab Avenionenſi illuſtraretur, & ex amborum inter ſe collatione clariùs appareret, bona Eccleſiarum vacantium non poſſe à quoquam occupari, *niſi ſibi per Privilegium vel conſuetudinem hoc liceret*. Hoc tamen inter illos diſcrimen intercedit, quòd Lugdunenſis Reges apertiùs deſignat, verbis illis, ***quantæcumque dignitatis honore præfulgeant***, ſtrictiùſque illos obliget, quia nullus fidelis à Concilii generalis obedientiâ ſe ſubducere poteſt, Conciliorum autem particularium prohibitionibus non omnes ligantur.

5. Sed ſi Diſſertator ſinceri tantùm Hiſtorici, non autem Regii ſeu Aulici Patroni partes agebat : cur hîc prætermiſit Canonem 56. Concilii Vaurenſis, in quo agitur de legitimâ cuſtodiâ Eccleſiarum vacantium, & ſolius Ca. 13. meminit? Cur ex hoc potiùs quàm ex illo accipiendum voluit ſenſum Concilii Lugdunenſis ? ſunt autem in prædicto Ca. 56. notanda verba ſequentia : *Ut ii quibus adminiſtratio bonorum Archiëpiſcopalis, vel Epiſcopalis Dignitatis competit, Sede vacante, ex conſuetudine, vel ſtatuto, vel qui ad hoc per Capitulum eliguntur, ſciant, ſe ſolam adminiſtrationem & cuſtodiam dicto-*

Art. 5. §. 17. *dictorum bonorum habere. . . . . Et teneatur* (Adminiſtrator) *futuro ipſius Eccleſiæ Prælato de totâ dictâ adminiſtratione, quàm citiùs poterit commodé fidelem reddere rationem. Et quidquid apud ipſum, ratione redditâ, repertum fuerit ſupereſſe, nec non privilegia, inſtrumenta, regeſtra, libros, & ſcripturas alias, quæ ſeu quas de Chartulario ſeu Archivo vel alio loco abſtraxerit, niſi jam reſtituerit, ut eſt dictum, integrè & realiter reſtituat intra menſem.* Plurimùm differt cuſtodiæ ratio quæ hîc præſcribitur, ab uſu Regaliæ, ut attendenti patet; Primò enim cuſtodia & adminiſtratio bonorum Eccleſiaſticorum, Sede vacante, non ad Regem, ſed ad Capitulum pertinere ſupponitur, vel ad alios *ex conſuetudine vel ſtatuto*, puta ad Archidiaconos, vel alios Officiales Eccleſiaſticos. Secundò, Cuſtos *tenetur, futuro ipſius Eccleſiæ Prælato de totâ dictâ adminiſtratione, quàm citiùs poterit commodè fidelem reddere rationem. Et quidquid apud ipſum, ratione redditâ, repertum fuerit ſupereſſe . . . . integrè & realiter reſtituere intra menſem.* Nonne hujuſmodi cuſtodia & adminiſtratio excludit Regaliæ uſum & exercitium? Niſi fortè P. Alexander velit duo illa quæ diximus & alia quæ in toto illo Canone ſtatuuntur, Regibus præcepta eſſe circa Regaliæ praxim. Sed nimiùm repugnant Regaliæ definitioni ab ipſo traditæ. Art. 1. §. 1.

§. DECIMUS OCTAVUS. Art. 5. §. 18.

De collatione Præbendarum Jure Regaliæ.

1. DISSERT. „ Sed enim quomodo Jus conferendi „ Beneficia ſimplicia vacantibus Eccleſiis Metro- „ politanis vel Cathedralibus Regibus Chriſtia- „ niſſimis competens, circumſcriptum, & ad cer- „ tas Eccleſias coarctatum cenſeri poteſt eo Canone, qui „ nec de Beneficiorum collatione, nec de Metropolitanis „ & Cathedralibus Eccleſiis verbum ullum habet? Non ita „ obſcurè Concilia & Pontifices loqui ſolent ſuis in Decretis, „ nec ſilentio involvunt id quod præcipiunt aut prohibent „ ſub pœna excommunicationis, ſed illud conceptis verbis „ exprimunt & inculcant. Sciunt enim, ſe hujuſmodi leges „ Prophetis non dicere, ſed iis hominibus qui ex verbis legis „ mentem Legislatoris intelligant. Relege Canonem 12. Con- „ cilii Lugdunenſis, attentâ conſideratione illum expende, „ nihil ibi invenies de collatione Præbendarum Sede vacante, „ quæ tamen in Regaliâ Regum Chriſtianiſſimorum præcipua „ rẽs eſt. Id pridem obſervavit Guimerius Præſes in Pragmati- „ cam Sanctionem, ad Caput de Annatis : *Rex Franciæ & „ Angliæ* (inquit) *vendicant ſibi in quibuſdam Eccleſiis Cathe- „ dralibus ſuorum Regnorum collationem Præbendarum, aut alio- „ rum Beneficiorum Sede vacante; & illo etiam tempore ipſarum „ Eccleſiarum temporalia recipiunt, & ſibi applicant, & cir- „ ca hoc ultimum providit Gregorius X. in Concilio generali con- „ tra hæc de novo uſurpantes, & contra abutentes quibus com- „ petit ab antiquo. De hoc autem Jure conferendi nihil providit.*

Art. 5. 2. RESP. Ad vanas argutias recurrere coguntur, qui cer-
§. 18. tam veritatem impugnant. Non ſimpliciter negat Diſſertator, Canonem Concilii Lugdunenſis Eccleſias Metropolitanas & Cathedrales ſpectare; at rethoricè ſic interrogat: *Sed enim quomodo Jus conferendi beneficia ſimplicia vacantibus Eccleſiis Metropolitanis vel Cathedralibus Regibus Chriſtianiſſimis competens, circumſcriptum & ad certas Eccleſias coarctatum cenſeri poteſt eo Canone qui nec de Beneficiorum collatione, nec de Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis verbum ullum habet?* An Eccleſiæ Metropolitanæ & Cathedrales non ſunt Eccleſiæ, ut ſub generali & communi Eccleſiarum nomine, quod frequenter in Canone Lugdunenſi repetitur, etiam in materia favorabili, qualis eſt ipſarum libertas, intelligi non debeant? Nonne Cathedrales potiſſimùm Eccleſiæ per antonomaſiam nuncupantur? Nonne de ejuſmodi Eccleſiis Canonem Lugdunenſem accepit nominatim Guimerius in illis ipſis verbis, quæ ex eo refert hîc Diſſertator: *Rex Franciæ & Angliæ*, inquit, *vendicant ſibi* IN QUIBUSDAM ECCLESIIS CATHEDRALIBUS &c.? An *Prophetarum* more, & non potiùs ex verbis legis mentem Legiſlatoris intelligens, Canonem hunc de Eccleſiis Cathedralibus interpretatus eſt Durandus, & cum illo omnes alii interpretes?

3. Sed quam lepida eſt Diſſertatoris obſervatio, ſic Adverſario, quaſi eum validiſſimo telo confodiſſet, inſultantis: *Relege Canonem* XII. *Concilii Lugdunenſis, attentâ conſideratione illum expende; nihil ibi invenies de collatione Præbendarum Sede vacante, quæ tamen in Regaliâ Regum Chriſtianiſſimorum præcipua res eſt.* Ad probandum Jus aut uſum Regaliæ innumera ipſe coacervavit teſtimonia, in quibus ne verbum quidem invenitur de collatione Præbendarum Sede vacante: an ergo ei nunc auſcultabimus, aſſerenti Canonem Concilii Lugdunen-

ſis

ſis non ſpectare ad Regaliam, *quia nihil ibi invenitur de collatione Præbendarum?* Centies in hac Diſſertatione decantat, collationem Præbendarum inter fructus computari; atque in eum ſenſum accipi Decretum Concilii Lugdunenſis ſcripſit Art. I. §. 1. & tamen hîc quærit, *quomodo Jus conferendi Beneficia ſimplicia vacantibus Eccleſiis Metropolitanis vel Cathedralibus Regibus Chriſtianiſſimis competens, circumſcriptum & ad certas Eccleſias coarctatum cenſeri poteſt eo Canone qui nec de Beneficiorum collatione, nec de Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis verbum ullum habet:* idque, licèt ſupponatur Regaliæ extenſionem, quoad bonorum Eccleſiaſticorum uſum-fructum, fuiſſe à Concilio Lugdunenſi prohibitam. Hanc enim ſuppoſitionem innuit Pater Alexander primis illis particulis, *ſed enim quomodo* &c. Confer, quæſo, cum hoc loco quod ſcripſit præcitato Art. 1. his verbis: *Dicitur* (Regalia) *Jus conferendi Beneficia, quia collatio Beneficiorum ad fructus pertinet, ſecundùm Abbatem Panormitanum, & alios Interpretes in Cap. Illa devotionis. Tit. Ne Sede vacante aliquid innovetur; & Gloſſam Cap. Cum olim tit. de Majoritate & Obedientia; nec non in Cap. Generali Conſtitutione. De electione & electi poteſtate in Sexto.* (quod eſt Decretum Concilii Lugdunenſis de quo eſt quæſtio) *Quæ in editione Romanâ reciſa eſt. Unde* APUD NOS ILLUD VELUT AXIOMA JURIS INVALUIT, CONSTANTERQUE RETINETUR: COLLATIO BENEFICIORUM COMPUTATUR IN FRUCTU. Art. 5. §. 18.

3. Equidem Patri Alexandro in præſenti §. & Gloſſæ Pragmaticæ Sanctionis libenter aſſentior, falſumque exiſtimo illud axioma: *Collatio eſt in fructu*, in eo ſaltem ſenſu quo à Regaliſtis accipitur, quique omninò adverſatur fini Gloſſæ, ubi primùm uſurpatus eſt ille loquendi modus. Hinc ſequi-

Art. 5. tur, Regem Chriſtianiſſimum non poſſe ſibi, ut plures etiam
§. 18. Regaliſtæ tradiderunt, collationem Præbendarum in Eccleſiis vacantibus vendicare, ſub prætextu quòd illarum cuſtodiam & uſum-fructum habeat; niſi Privilegio aliquo, vel ſaltem antiquâ conſuetudine juvetur, quod etiam confirmatur Arreſto pro Eccleſia Anicienſi lato à S Ludovico, quod videre potes Articulo præcedenti §. 31. & Arreſtis pro Eccleſia Bituricenſi & pro Ambianenſi, de quibus infrà §. 22. n. 23.

4. Nota obiter in teſtimonio Guimerii, primò, hæc verba: *In quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus*, quæ rem aliunde certam confirmant, Regem ſcilicet non habere Jus Regaliæ in omnibus Regni ſui Eccleſiis etiam Cathedralibus. Nota ſecundò, hæc alia: *Illo etiam tempore ipſarum Eccleſiarum temporalia recipiunt & ſibi applicant* &c. quibus clarè diſtinguitur uſus-fructus à Beneficiorum collatione. Utramque obſervationem complectitur *Ragueau* in Academia Bituricenſi Juris Profeſſor in Indice Jurium Regiorum, verb. *Droit de Regale*. EN QUELQUES EGLISES, inquit, LE ROY A REGALE POUR LES FRUITS SEULEMENT, ET NON POUR LA COLLATION DES BENEFICES : COMME LA COLLATION NE FAISANT PARTIE DES FRUITS DE L'EVECHE OU ARCHEVECHE. Id eſt: „ In aliquibus Eccleſiis Rex habet Regalia „ quoad fructus duntaxat, minimè verò quantùm ad Beneficiorum collationem: collatione ſcilicet fructuum Epiſcopatûs vel Archiëpiſcopatûs partem nequaquam conſtituente.

5. Itaque hoc caſu locum habebit doctrina Petri Rebuffi Juriſconſulti Galli celeberrimi in Concord. tit. de Regia ad Prælat. nominat. §. 1. v. *Sed teneatur. Sed dubitaret quis*, inquit,

quit, *ad quem ſpectet vacantium Beneficiorum collatio interim Sede vacante? Reſponde ſi Rex Jure Regali habuerit Privilegium conferendi, ut in quibuſdam habet Epiſcopatibus, in illis poterit conferre Beneficia Epiſcopatûs vel Archiëpiſcopatûs per Cap. Generali de elect. in Sexto. Si autem Jure Regali hoc ſibi in fundatione vel aliàs ex Privilegio conceſſum non fuerit, ſed tantùm quòd vacante Sede illos capiat fructus, ut futuro reſerventur ſucceſſori, tunc conferre non poterit, ſed Papa aut Legatus tunc conferet, vel Archiëpiſcopus poſt ſex menſes jure devoluto.* Art. 5. §. 18.

6. DISSERT. „ Accedit, quod fervente diſſidio inter „ Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Chri- „ ſtianiſſimum, Rex Jus ſuum Regaliæ à Bonifacio injuſtè „ impugnatum auctoritate Lugdunenſis Concilii nullatenus „ tuitus eſt. At ſi Lugdunenſis Concilii Canon 12. de Re- „ galiæ Jure Chriſtianiſſimis Regibus competente intelligen- „ dus eſſet, non eſt veriſimile quòd Rex, & qui ipſius Jura „ tunc temporis adverſùs Bonifacianas invaſiones defenderunt „ momentum iſtud neglexiſſent; nec reſpondiſſent Summo „ Pontifici, ipſum abſque ratione Regi negotium faceſſere ob „ collationem Præbendarum Eccleſiis vacantibus, quæ à Con- „ cilio Oecumenico approbata eſſet. Neque Bonifacius VIII. „ hujuſmodi collationem & Regaliæ uſum vitio vertiſſet Re- „ gi, ſi res certa & explorata fuiſſet, Canonem 12. Concilii „ Lugdunenſis ipſum confirmaſſe in Eccleſiis omnibus in qui- „ bus eâ tempeſtate inſtitutum erat, vetuiſſe duntaxat ne de „ novo uſurparetur. Sed in illa diſſenſione nulla Concilii Lug- „ dunenſis facta mentio. Bonifacius in brevi Epiſtola ad Phi- „ lippum Regem: *Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio „ nulla ſpectat: & ſi aliquorum vacantium Cuſtodiam habeas, „ fructus eorum ſucceſſoribus reſerves: & ſi quæ contuliſti, col-*

 latio-

Art. 5. „ *lationem hujusmodi irritam decernimus, & quantùm de facto pro-*
§. 18. „ *ceſſerit, revocamus. Aliud autem credentes, hæreticos repu-*
„ *tamus.* Ad quam Epiſtolam Rex Philippus reſpondit: *Ec-*
„ *cleſiarum ac Præbendarum vacantium collationem ad Nos* JURE
„ REGIO *pertinere, fructus earum noſtros facere, collationes à*
„ *Nobis factas & faciendas fore validas in præteritum, & futu-*
„ *rum; & earum poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri: ſe-*
„ *cùs autem credentes, fatuos & dementes reputamus.*

„ Inter Articulos à Bonifacio VIII. objectos eidem Chri-
„ ſtianiſſimo Regi, ſecundus eſt: *In quibuſcunque Beneficiis*
„ *Eccleſiaſticis conferendis vacantibus in Curia, vel extra Cu-*
„ *riam, Romanus Pontifex ſummam & potiorem obtinet poteſta-*
„ *tem: & per collationem cujusvis laici in ipſis vel eorum ali-*
„ *quo, non poteſt alicui jus acquiri ſine auctoritate vel conſenſu*
„ *Sedis Apoſtolicæ tacitis vel expreſſis.* VII. *Item, quòd Guardiâ*
„ *& Cuſtodiâ Eccleſiarum Cathedralium vacantium, quas vocant*
„ *Regalia per abuſum, non abutatur,* &c.

„ Ad quos Rex Chriſtianiſſimus reſpondet: Ad ſecundum,
„ *Quòd collatione Beneficiorum uſus eſt & utitur, ſicut ad eum per-*
„ *tinet de jure & bona conſuetudine, ſicut S. Ludovicus & alii*
„ *Prædeceſſores ſui uſi fuerunt, à tempore cujus memoria non exi-*
„ *ſtit, nec circa hoc fecit nec intendit facere aliquam novitatem,*
„ *nec credit quòd Papa ſibi facere velit, qui longum uſum ſuum,*
„ *& Prædeceſſorum ſuorum in collatione hujusmodi novit pleniſ-*
„ *ſimè ab experto.* Ad VII. reſpondit, *Quòd nunquam fuit, nec*
„ *eſt intentionis vel voluntatis ſuæ in hujuſmodi perceptione Re-*
„ *galium præjudicialem vel noxiam facere novitatem, ſed intendit*
„ *eis uti quemadmodum S. Ludovicus, & alii Prædeceſſores ſui*
„ *uti conſueverunt,* &c.

„ In Scripto quod Guillelmus de Nogareto, & Guillelmus
de

„ de Plaſiano Clementi V. Pontif. Max. tradiderunt, hi le- *Art.5.*
„ guntur Articuli: X. *Item certum, notorium & indubitatum* §. 18.
„ *exiſtit, quòd Dominus Rex habet Jura Regalia univerſa in*
„ *Regno ſuo: ſed inter cætera Jura Regalia, habet jus perci-*
„ *cipiendi fructus omnes, reditus & proventus Eccleſiarum Ca-*
„ *thedralium vacantium, & ſuos faciendi, qui de ſuâ Regaliâ*
„ *exiſtunt, quandiu vacant: & cùm præficitur novus Prælatus*
„ *illis Eccleſiis, Prælati hujuſmodi ab ipſo Rege temporalitatem*
„ *recipiunt, poſt Fidelitatem ſibi præſtitam, vel Homagium: quo*
„ *Jure Regalium dictus Dominus Rex uſus eſt, tam ipſe, quàm*
„ *ejus Prædeceſſores Reges Franciæ, tantis temporibus, de quorum*
„ *contrario memoria non exiſtit.*

„ XII. *Item certum, notorium, & indubitatum exiſtit, quòd*
„ *quandiù vacant dictæ Eccleſiæ, in quibus dictus Dominus Rex*
„ *habet Regalia, idem Dominus Rex donat & donare conſue-*
„ *vit Dignitates, & Præbendas & Beneficia, quorum collatio*
„ *modo quocunque pertinere poteſt ad Prælatum illius Eccleſiæ, eo*
„ *tempore quo exiſtant ibidem, ſive ibidem vacent prædicta Bene-*
„ *ficia, Præbendæ, vel Dignitates, vel in Curia Romana, vel alibi*
„ *ubicunque.*

„ XIV. *Item certum, notorium, & indubitatum exiſtit, quòd*
„ *Jura Regalia aliquarum Eccleſiarum, quæ habet in Eccleſiis*
„ *prædictis Dominus Rex prædictus, Progenitores ipſius Domini*
„ *Regis, & Prædeceſſores ejus in Regno, dederunt in feudum*
„ *aliquibus Baronibus ſuis, tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus:*
„ *qui Barones Regalibus illis utuntur & fruuntur, Sedibus Ec-*
„ *cleſiarum ipſarum vacantibus, Jure ſuo feudali, & Jure Re-*
„ *gio, à quo ſuum Jus movet; & ideò Jus Regale vocatur; quo*
„ *Jure dicti Barones utuntur nominibus ſuis, & nomine Regio, &*
„ *uſi ſunt tanto tempore, de cujus contrario memoria non exiſtit.*

7. RESP.

Art. 5. §. 18. 7. RESP. Controverſia inter Bonifacium VIII. & Philippum IV. non erat propriè circa ſubſtantiam Regaliæ ſeu cuſtodiæ, ſed circa ejus exercitii modum. Quia enim Concilium Lugdunenſe prohibuerat quidem iis, qui ex fundatione, vel antiquâ conſuetudine Jus Regaliæ ſibi vendicabant, ne *ea quæ non pertinent ad fructus ſive reditus provenientes vacationis tempore, uſurparent*; non tamen expreſſè permiſerat uſurpare quæcumque pertinebant ad fructus ſeu reditus: idcirco Bonifacius, juxta juris communis diſpoſitionem, judicabat, fructus provenientes tempore vacationis deductis expenſis, reſervandos eſſe futuro ſucceſſori; non autem in Fiſcum Regium deferendos. Hic enim erat quintus ex Articulis à Papa ad Regem per Legatum Apoſtolicum miſſis, ab Henrico Spondano ad an. 1303. num. 2. ex M. S. Sanvictorino relatis: *Non debere Regem abuti cuſtodiâ Eccleſiarum Cathedralium vacantium, quæ vocant Regalia per abuſum; ſed deductis neceſſariis & moderatis expenſis, reſiduum fructuum reſervandum eſſe Prælatis.* Conquerebatur Pontifex, ut refert idem Hiſtoricus ad an. 1301. num. 10. *Regem Eccleſiarum Cathedralium proventus quos appellabant Regalia per abuſum, immoderatè aſſumere; ſicque fieri, ut quarum cuſtodia fuiſſet ab initio Regibus pro conſervatione permiſſa, nunc ad conſumptionis noxam deveniſſent.* Hos Articulos refert P. Alexander, ſed truncatos, addito, *&c.* ſi Regi omninò faviſſent, ne apicem quidem prætериiſſet.

8. Porrò modeſtum ac religioſum Theologum decuiſſet reverentiùs de Summis Pontificibus loqui, quàm & hîc & aliis in locis fecit Diſſertator: ac ſi verum erat deſiderium quod in fine hujus Diſſertationis præ ſe fert, prætermittenda erant odioſa, quæque ad controverſiam de Regaliæ extenſione mini-

minimè neceſſaria atque alterutrius Poteſtatis animum exaſpe- *Art.5.*
rare nata. Sed incepta proſequamur. §. 18.

9. Quia etiam Concilium Lugdunenſe circa collationem Beneficiorum titulo Regaliæ nihil ſtatuerat, non putabat Bonifacius Regi plenam eorum diſpoſitionem, ſed tantùm præſentationem competere: *Nec item de collatione Præbendarum Regem gravari; eſſe enim duo in illis conſideranda, jus Patronatûs, & præſentationem: collationem verò & uſum ad laïcos nullo jure pertinere poſſe, niſi fortè miniſterialiter. Quantùm ad collationem Beneficiorum, non poſſe cadere in laïcum, ita quòd habeat jus & autoritatem ſpiritualem conferendi.*

10. Itaque non negabat Summus Pontifex, quin Rex Franciæ cuſtodiam haberet aliquarum Eccleſiarum vacantium, ſed illius uſum ad juris communis terminos reducere conabatur. Unde ex illa controverſia non niſi vitioſè concludi poteſt, Concilium Lugdunenſe non vetuiſſe, Regaliam ad Eccleſias liberas extendere: de qua extenſione inter Pontificem & Regem non erat quæſtio: quandoquidem ipſemet Philippus IV. agnoſcebat, ſe Jus illud in omnibus Regni ſui Eccleſiis non habere, ut videbimus §. §. 21. & 22.

11. Sanè quemadmodum P. Alexander negat Concilium Lugdunenſe jus conferendi Beneficia in Eccleſiis, in quibus eâ tempeſtate inſtitutum erat, confirmaſſe, ac vetuiſſe, ne de novo in aliis uſurparetur; quia alioquin Bonifacius VIII. hujuſmodi collationem, utpote à Concilio approbatam vitio non vertiſſet Regi Philippo: ita concludere liceret Reges fructus Eccleſiarum vacantium non facere ſuos, ſed eos, deductis expenſis, futuro Epiſcopo reſervare. Ali-

Art. 5. ter enim doctiſſimus ille Pontifex conſuetudinem tam inſi-
§. 18. gnem non ignoraſſet, atque adeò nec vitio vertiſſet Regi; præſertim, ſi, ut Regaliſtæ communiter docent, à Concilio Lugdunenſi fuiſſet approbata.

2. Cæterùm dum Guillelmus de Nogareto ait Articulo x. hîc relato: ***Item certum, notorium & indubitatum exiſtit, quòd Dominus Rex habet Jura Regalia univerſa in regno ſuo***, per vocem illam, ***univerſa***, non ſignificavit Regaliam in univerſo Regno Franciæ locum habuiſſe, ſed tantùm Regem obtinere genus omne jurium Regiorum, inter quæ Regaliam quæ in aliquibus Eccleſiis exercebatur, reponebat. Hæc enim ejus verba in Articulo XII. ***Dictæ Eccleſiæ in quibus dictus Dominus Rex habet Regalia***, ſatis innuunt, ſuam Majeſtatem non habuiſſe Jus illud in omnibus Eccleſiis. Sin aliter ſenſiſſet Nogaretus, falſi convinceretur tum aliorum, tum ipſiusmet Philippi Regis teſtimonio de quo infrà.

13. Quòd autem Nogaretus in Art. XIV. de Ragaliâ Baronibus conceſſâ dicit, expendimus jam Art. I. §. I. ubi eumdem Articulum retulit Diſſertator, ibique obſervatum eſt, hoc teſtimonio confutari idipſum quod ex eo inferebat P. Alexander, ſcilicet quòd Regalia ſoli Regi competat & cum nemine alio communicetur, id quod etiam falſum eſſe oſtendunt aliqua ex reliquis teſtimoniis hîc exſcriptis.

§. DECI-

§. DECIMUS NONUS. *Art.* 5. §. 19.

De uſu-fructu Eccleſiarum vacantium à Comitibus & Baronibus percipi ſolito.

1. DISSERT. „ Ex poſtremo illo Articulo compertum eſt, Bonifacii VIII. temporibus Comites „ & Barones quoſdam uſum-fructum Regalium „ Sedibus Eccleſiarum Cathedralium vacantibus „ habuiſſe, nec id recens tum fuiſſe, ſed antiquo uſu firmatum, adeòque ante Lugdunenſis Concilii tempora. Quod „ & plures Epiſcoporum, Abbatum, & aliorum Epiſtolæ à „ Ducheſnio editæ Tom. 5. Hiſtor. Francor. confirmant xxxv. „ Fulberti Carnotenſis Epiſcopi, pag. 184. Ivonis Carnotenſis 21. pag. 228. qui teſtatur Carnotenſem Comitem *pravas* „ *conſuetudines, quas habuerant Anteceſſores ſui, & ipſe, in* „ *domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti vel depoſiti, multo* ſuo *labore & ſumptu, Eccleſiæ dimiſiſſe.* Antiſiodorenſis „ Epiſcopi 213. pag. 642. Decani & Capituli Matiſconenſis „ 482. ad Regem ſcripta, pag. 735. *quantis infeſtationibus Comitis Girardi & ſuorum veſtra Matiſconenſis Eccleſia poſt de*„ *ceſſum venerabilis noſtri Domini Pontii ſit afflicta, Literis no*„ *ſtris, Sublimitati veſtræ ſatis eſſe intimatum credimus. Poſt* „ *acceptas ſiquidem treugas Comitis, per manus ſcilicet nuntio*„ *rum veſtrorum, Epiſcopus noſter præſentiam veſtram adire di*„ *ſpoſuit.* Comitis Theobaldi, quæ eſt inter Epiſtolas Sugerii „ Abbatis 38. *Regale Carnotenſis Epiſcopatûs de Rege in feodum* „ *teneo cum alio feodo meo; ita quòd decedente Epiſcopo, Regale*

Art. 5. „ *Epiſcopatûs meum proprium eſt, quouſque alius ſubſtituatur.*
§. 19. „ *Et ideò vos rogo, ut pro Regali quod meum eſt, Capiceriam ab*
„ *Epiſcopo non requiratis.* Idem probant Epiſtola Arnulphi
„ Lexovienſis Epiſcopi ad Lucium Papam, edita Tom. 2. Spi-
„ cilegii, & Epiſtola S. Bernardi Tom. 3. Spicilegii, pag. 167.
„ quæ Comitis Andegavenſis meminerunt, qui bona Eccle-
„ ſiæ Lexovienſis per biennium & ampliùs occupaverat. Acta
„ vetera ex Chartulario Monaſterii S. Albini Andegavenſis ex-
„ ſcripta, & à Clariſſimo Baluzio edita in Addit. ad cap. 26.
„ lib. 8. Domini de Marca, de Concordia Sacerdotii & Im-
„ perii, pag. 448. Pactiones initæ anno 1231. inter S. Ludo-
„ vicum Regem, & Petrum Ducem Britanniæ, quibus Jus
„ Regaliæ ipſi in Epiſcopatibus illius Provinciæ conſervatum
„ eſt. *Jus Regaliæ quod in ſuis Eccleſiis Cathedralibus habere di-*
„ *citur.* Ducum, Comitum, Baronum nonnulli jure, alii
„ injuriâ, Regaliam, temporalem quidem, quæ in uſu-
„ fructu redituum Eccleſiæ vacantis, non ſpiritualem, quæ
„ in Præbendarum collatione poſita eſt, exercebant (ut ob-
„ ſervat D. de Marca) quidam illam plus juſto extendebant,
„ ad Eccleſias etiam Collegiatas, & Parochiales, & ad quævis
„ pia loca. Eorum exemplo, Vicedomini, Advocati, Pa-
„ troni hujuſmodi Eccleſiarum, aut piorum locorum, iiſdem
„ vacantibus, in eorum bona manus injiciebant, ſpolia de-
„ functorum Sacerdotum occupabant, fructus ſuos faciebant.
„ Sic Theodulphus Comes Parochialis cujuſdam Eccleſiæ bo-
„ na invaſerat poſt obitum Presbyteri, quem propterea gra-
„ viſſimis literis commonuit Hincmarus, ut ea reſtitueret
„ Eccleſiæ, & Presbyteris quibus commendata fuerant, *jux-*
„ *ta ſacras Auctoritates, & Regum Præcepta*, ut refert Flo-
„ doardus lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. Rem. cap. 26. Eumdem abu-
ſum

„ ſum damnavit Canon Triburienſis Concilii à Reginone de- *Art.5.*
„ ſcriptus lib. 2. cap. 39. Similes abuſus Lugdunenſis Conci- §. 19.
„ lii II. tempore frequentes erant, in Eccleſiâ etiam Gallica-
„ nâ. Et ad eorum emendationem Canon 12. conditus eſt.
„ Is eſt omninò ipſius ſenſus, nec Regaliæ Jus Chriſtianiſſi-
„ mis Regibus competens ullatenus attingit (inquiunt no-
„ ſtrates Juriſconſulti, & Regii Magiſtratus, nec non
„ Theologi qui hancce quæſtionem accuratè expende-
„ runt.)

2. RESP. Si nullus fuiſſet abuſus tempore Concilii Lugdunenſis præter illum, qui à Principibus inferioribus exercebatur, illum ſolum ab eo Concilio damnatum fuiſſe, non malè conjiceret P. Alexander: ſed quoniam etiam in Gallia Regii Officiales Regaliam ad Eccleſias liberas de novo extendere conabantur, ut patet inter alia teſtimonia ex Arreſto pro Eccleſia Albienſi dato & §. 41. exſcripto; cur illam etiam extenſionem à Concilio Lugdunenſi Canone duodecimo prohibitam fuiſſe non agnoſcemus, cùm id apertè ſignificent Canonis verba, & confirment teſtimonium Durandi & aliorum Theologorum ac Juriſconſultorum interpretationes, ſi nuperos illos Aulæ adulatores excipias, quorum ſententiam tacitis nominibus, nobis exponit Diſſertator, qui ſcilicet Canonem hunc Regaliæ ad omnes Eccleſias de novo extendendæ obſtare animadvertentes, ejus verba in ſenſum à Concilii mente alienum detorquere conati ſunt, & antiquam Jurisprudentiam dimittentes, novam excogitarunt Officialibus Regiis gratiorem & commodiorem.

3. Illa autem ipſa monimenta quæ teſtantur, Principes Regibus inferiores uſum-fructum Eccleſiarum vacantium, in aliquibus locis, occaſione Regalium, id eſt, feudorum, jam

Art.5. ante Bonifacii VIII. tempus uſurpare tentaſſe, plerumque §. 19. etiam docent, Eccleſiam huic uſurpationi pro viribus obſtitiſſe. Idque Diſſertator ipſe fatetur, ſaltem ex parte dum ait: *Nonnulli jure, alii injuriâ Regaliam, temporalem quidem, quæ in uſu-fructu redituum Eccleſiæ vacantis, non ſpiritualem, quæ in Præbendarum collatione poſita eſt, exercebant.* Itaque non poteſt uſus Regaliæ legitimus probari per abuſus illorum Principum. Verbi gratiâ, quæ P. Alexander Art. ſuperiori §.§. 36. 37. 38. 40. ſcripſit de Comitibus Toloſanis & de Vicecomitiſſa Narbonenſi, prorſus inutilia ſunt ad oſtendendam Juris Regaliæ praxim in illis provinciis, ut ibidem demonſtratum eſt. Idemque de aliis cenſendum eſt, niſi aliunde confirmetur, illos *jure* non *injuriâ* Regaliam temporalem exercuiſſe. Quoad ſpiritualem enim agnoſcit Diſſertator Principes illos eam non obtinuiſſe.

4. Imò cùm Principes qui uſum-fructum Eccleſiarum vacantium uſurpant, non Regibus ſed Eccleſiæ injuriam facere judicarentur, ut alibi obſervavimus, ſequitur, uſum-fructum illum ad Reges non pertinuiſſe atque adeò Regaliam locum habere in illis non debere.

5. Occaſione Petri Ducis Britanniæ libet obſervare, Patrem Alexandrum, qui tam ſtudioſè prætextus inquirit carpendi Autorem Tractatûs Appamienſis, cùm eum exiſtimat Officialium Regiorum voluntati adverſari; nonnunquam tamen ei, tametſi reprehenſione digno, parcere, ubi id eorumdem Officialium utilitabus conducere videtur, ut in hâc Armoricarum Eccleſiarum cauſâ videre eſt. Fatetur enim prædicti Tractatûs Autor lib. 3. cap. 9. illas Regaliæ ſubjacere. Siquidem agens eo loco de cathalogo Eccleſiarum, qui à Camerâ computorum confectus eſt, ut certò ſciretur quarumnam fructus Re-

Regii Miniſtri peciperent; tacitè agnoſcit, fructus Eccleſiarum Britannicarum ab illis Ducibus perceptos, atque adeò à Regibus Chriſtianiſſimis percipiendos, cùm eis plenè ſucceſſerunt; quod tamen ſecùs eſſe, non potuit ignorare Pater Alexander, qui omnia Regaliæ monimenta tam diligenter excuſſit. Conſtat enim Duces Britanniæ vacantium Eccleſiarum fructus non feciſſe ſuos, ſed novis Epiſcopis reſervaſſe. Tantùm autem abeſt, ut hunc errorem caſtiget Diſſertator, ut ei potiùs ſuffragetur, dum Ducem Britanniæ Jus Regaliæ habuiſſe refert, ut probet, Principes Regibus inferiores uſumfructum Eccleſiarum vacantium, aut *jure*, aut *injuriâ* uſurpaſſe. *Art.5. §. 19.*

6. Porrò Duces Britanniæ fructus Eccleſiarum vacantium non feciſſe ſuos Chopinus lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. num. 21. tradit & fusè probat. *Armorici certè Principes*, inquit, *quondam tutelari fungebantur officio in vacuos earum Diæceſum Pontificatus, annuaſque ſacrorum fundorum obventiones jubebant, publicâ injectâ manu, ab Oeconomo adminiſtrari. Sed eâ quidem lege Canonicis Decretis conſentaneâ, ut Eccleſiaſticæ rei proventus reſtituerentur ſucceſſori in Epiſcopatum, Alexandri* III. *Reſcripto, Cùm vos de Offic. Ordin. Quemadmodum ex veteribus monumentis patet Armoricæ Cameræ Ratiociniorum. Haud aliter vacantium Siculæ Eccleſiæ Sedium Cuſtodes ſe profeſſi ſunt Neapolitani Reges priſci. Ita ut qui condendis Epiſcopæ fructibus annuis commiſſi fuerant diſpenſatores mandato Principis, cogerentur ejuſce curationis rationes novo Antiſtiti reddere. Neapolitanâ lege Vilhelmi Siculi Regis tit. de adminiſtrationibus rerum Eccleſiaſticarum poſt mortem Prælatorum in Conſtitut. Neapolit.* &c. Alias rationes à Chopino in oratione pro illarum Eccleſiarum libertate habitâ adductas vide, ſi placet, ibidem. Has etiam ex-

Art. 5. exſcripſit Ægidius Magiſter Protopræſes in ſuo Tractatu
§. 20. de Regaliâ. Eamdem Eccleſiarum Britanniæ libertatem egregiè defendit Cardinalis Oſſatus, ut videbimus §. 21.

§. VIGESIMUS.

De executione Canonis Concilii Lugdunenſis.

1. DISSERT. „Quamquam ſi attingeret, nullum „ex eo præjudicium Regaliæ Regum Chriſtianiſ„ſimorum factum eſſe, aut Jus illorum eo Cano„ne circumſcriptum fuiſſe atque ad certas Eccle„ſias definitum reſponderent, quòd receptus in Galliis ab „omnibus Regni Ordinibus ac executioni mandatus non fue„rit, ut colligitur ex *Durandi Speculatoris* Commentario. „*Præſens*, inquit, *Conſtitutio fuit ad clamorem Prælatorum „Franciæ & Angliæ promulgata: modicam tamen ex eo illic ad„huc ſequi videmus utilitatem.* Et ex Gloſſâ Capitis, *Generali „Conſtitutione, de electione, & electi poteſtate.* In VI. quam „Editionis Romanæ Procuratores hâc parte reſciderunt, cujus „hæc ſunt verba: *Alii dicunt, quòd Regalia accipiuntur pro „Juribus, quæ habet Princeps in aliquibus Eccleſiis, videlicet „quòd vacante aliquâ Eccleſiâ Rex percipiat fructus, & Eccle„ſiam conferat. Nam* COLLATIO BENEFICIORUM COMPU„TATUR IN FRUCTU. *Et iſta fuit controverſia aliàs mota inter „Philippum Regem Francorum & Bonifacium* VIII. *conditorem „hujus Compilationis. Qui Bonifacius dicto Philippo Regi ſcripſit „quandam Epiſtolam, in quâ continebantur iſta verba: Collatio „Beneficiorum eſt ſpiritualis. Secùs autem credentes hæreticos re„putamus. Quam Epiſtolam cùm perlegiſſet ipſe Philippus, eidem*

Boni-

,, *Bonifacio ſcripſit aliam Epiſtolam, in qua poſita erant iſta ver-* Art. 5
,, *ba: Collatio Beneficiorum ad Nos ſpectat, & pertinet: ſecus* §. 20.
,, *credentes fatuos & dementes reputamus. Ideò ſecundùm ali-*
,, *quos*, CONSTITUTIONES ISTIUS COMPILATIONIS NON
,, FUERUNT RECEPTÆ IN HOC REGNO, PROPTER ISTAM
,, CONTROVERSIAM.

,, Ex his quæ hucusque de Lugdunenſis Concilii Canone ,, dicta ſunt, everſum manere quicquid nuperus Regiorum ,, Jurium Impugnator ex eo objicit in ſuo de Regaliâ Tra- ,, ctatu, lib. 3. cap. 2. certum habent laudati Juriſconſulti & ,, Theologi.

2. RESP. Etiamſi vera eſſet aliquorum Theologorum opinio, qui leges non acceptatas non obligare arbitrantur, præſumentes, eam eſſe Superioris intentionem, aut juſtam ſubeſſe non acceptandi occaſionem: id intelligendum eſſet tantùm de legibus merè poſitivis, quæ nihil Juris Divini aut naturalis admiſtum habent; non autem de illis quæ Jus Divinum vel naturale explicant, inculcant, & adjectis pœnis confirmant; cujuſmodi eſt lex vetans, ne quis Eccleſiam Catholicâ libertate ſpoliet, ejuſque reditus, ac Beneficiorum collationem ſibi ex fundatione, vel ex antiqua conſuetudine non competentes uſurpet.

3. Sed, ut in facto ſtemus, minimè verum eſt, Canonem duodecimum Concilii Lugdunenſis non fuiſſe receptum, & executioni mandatum in Gallia. Etſi enim dum ſuum Commentarium ſcribebat Durandus, hoc eſt, ut Simon Majolus, qui primus eum edidit, ait in præfatione ad Lectorem, *tertio poſt expletum Concilium anno*, parvus adhuc fructus perceptus eſſet, uberior tamen cito poſtea extitit, ut teſtantur Conſtitutiones ac Senatuſconſulta, quæ deinde pro-

Art. 5. dierunt. Nam ad Eccleſias Aquitaniæ, quæ tunc Regibus §. 20. Angliæ tanquam illius Provinciæ Ducibus ſuberat, reſpiciebat Durandus, ut ex ejus Gloſſâ ad verb. *uſurpare*, colligitur. *Sicut patet*, inquit, *in exemplum in Eccleſiis Aquitaniæ, in quibus hodie Regalia uſurpatur*. Porrò eodem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, quo ſcriptus eſt Durandi Commentarius, Eccleſia Burdegalenſis Aquitaniæ Metropolis libera declarata eſt Arreſto inter Capitulum dictæ Eccleſiæ, ac Eduardum primum Regem Angliæ pronunciato, & à Domino de Marca libro octavo de Concord. cap.27. num. 2. Relato. *Pronunciatum fuit*, inquit Philippus tertius Rex Franciæ, *per Curiæ noſtræ judicium, cuſtodiam bonorum Archiepiſcopalium, Sede Burdegalenſi vacante, ad dictum Capitulum pertinere.*

Profuit etiam Concilium Lugdunenſe aliis Eccleſiis, ut patet ex aliis Arreſtis, non ſolùm in Aquitania, ut Eccleſiæ Pictavienſi, de quâ dicitur in Regeſto Cameræ computorum: *De Pictavienſi fuit computatum an. 1306. ſed Rex per literas totum iſtud præcepit reſtitui Epiſcopo*; ſed etiam in aliis provinciis, ut paragrapho ſequenti videbimus: quanquam ſi quis eſſet, qui legem receptam fuiſſe negat, id argumentis confirmaret, eò quod præſumptio ſtet pro lege.

Quod autem ex Gloſſâ profertur de non receptâ in Galliâ compilatione Libri ſexti Decretalium, non parvum ſpectat ad Canonem Concilii Lugdunenſis in collectione Bonifacii VIII. contentum, ſed ad collectionem ipſam; ita ut Canones [illegible] non ex collectione ſeu ejus qui collegit auctoritate, vim habere cenſeantur: quod tamen non obſtat, quin ad ſuam originem relati, à proprio Legiſlatore robur obtineant. Nec enim Decreta vel hujus vel primi Concilii Lugdunenſis

dunenſis, vel Summorum Pontificum, quæ antequam à Boni- *Art.5.*
facio colligerentur jam vigebant, per illam collectionem vim §. 21.
ſuam amiſerunt.

Quin etiam collectionem ipſam Bonifacii receptam in Gallia fuiſſe teſtatur Paſquierius lib. 3. cap. 17. his verbis: *Sexte qui à eté approuvè de tous comme provenant d'un grand Pape, & qui fait même à nôter, eſt que nous avons emprunté de luy en nos Parlemens le Chapitre* Quamvis de pact. extra. *contre toutes les ancienes reſolutions des Empereurs & Juriſconſultes.* Id eſt: ,, Qui Sextus (Decretalium liber) utpote à magno Pontifice ,, editus, omnibus probatus fuit, quodque notandum eſt, ,, nos in Parlamentis noſtris ab eo mutuati ſumus Caput *Quamvis de pact. extra.* contra omnes antiquas definitiones Imperatorum & Juriſconſultorum.

§. VIGESIMUS PRIMUS.

Proponuntur argumenta quibus probat Autor Tractatûs Appamienſis, Regaliam non habere locum in omnibus Eccleſiis Franciæ.

1. DISSERT. ,, Objicit idem Autor capite ſequenti, Reges Chriſtianiſſimos profeſſos fuiſſe Jus ,, illud Regaliæ ſuæ Majeſtati in aliquibus duntaxat Eccleſiis convenire, in quibus receptum erat ,, Regem eo Jure uti. Ita ſcilicet edixiſſe Philippum Pulchrum ,, anno 1302. *Item, quantùm ad Regalias, quas Nos & noſtri Prædeceſſores percipere aſſuevimus, & habere in* ALIQUIBUS ECCLESIIS REGNI NOSTRI, *quando eas vacare contingit.*

 Ita

Art. 5. „ Ita Philippum Valeſium in Conſtitutione anni 1334 quæ
§. 21. „ vulgò Philippina vocatur, cujus hæc ſunt verba : *Comme* „ *il ait eſté mis en doute par aucuns, ſi nous avions droit, & à* „ *nous appartenoit donner les Prebendes, Dignités, Benefices, quand* „ *ils avoient eſtè ou eſtoient trouvés non occupés, & vacants, de* „ *fait tant ſeulement au temps de noſtre Regale*, ES EGLISES DE „ NOSTRE ROYAUME ESQUELLES NOUS AVONS DROIT „ DE REGALE. Quæ verba ſic Latinè reddo : Cùm à non- „ nullis revocatum fuerit in dubium utrùm jus haberemus, & „ ad Nos ſpectaret conferre Præbendas, Dignitates, Beneficia, „ quæ inventa fuerant aut inveniebantur non occupata, va- „ cantia, vel unita, reipſâ & de facto duntaxat, tempore „ Regaliæ noſtræ, in Eccleſiis Regni noſtri, in quibus Rega- „ liæ Jus habemus. Verba illa, *de fait tant ſeulement*, reſe- „ cuit nuperus ille Regiorum Jurium Impugnator, ut ſignifi- „ caret dubitatum fuiſſe regnante Philippo Valeſio, utrùm „ Rex conferre poſſet Præbendas Jure Regaliæ in Eccleſiis va- „ cantibus : cùm tamen is quæſtionis ſtatus non fuerit, ſed „ utrùm eas conferre poſſet, quæ de facto tantùm vacabant, „ & quarum nemo poſſeſſionem adierat apertâ Regaliâ, quam- „ vis Rex illas jam contuliſſet.

„ Laudat idem Auctor Conſtitutiones Caroli VI. anno „ 1408. & Caroli VII. anno 1451. eodem modo loquentium : „ *Ez Evechéz où nous avons Droit de Regale.* Item, Conſtitu- „ tionem Ludovici XII. anno 1499. editam, cujus hæc ſunt „ verba : *Defendons à tous nos Officiers, qu'ez Archevechés, E-* „ *vechés, Abbayes, & autres Benefices de noſtre Royaume éſ-* „ *quels n'avons Droit de Regale ou de Garde, ils ne ſe mettent* „ *dedans, ſur peine d'eſtre punis comme ſacrileges.* Id eſt : In- „ hibemus univerſis Officiariis noſtris, ne in Archiëpiſcopa- tus,

„ tûs, Abbatias, & alia Beneficia Regni noſtri, in quibus Jus *Art. 5.*
„ Regaliæ aut Cuſtodiæ non habemus, ſe intromittant: a- §. 21.
„ lioquin ut ſacrilegi plectuntor. Edictum Henrici Magni
„ anno 1606. promulgatum, cujus hæc ſunt verba: *Nous*
„ *n'entendons joüir du Droit de Regale, ſinon en la forme que*
„ *Nous & nos Predeceſſeurs avons fait, ſans l'étendre davanta-*
„ *ge au prèjudice des Egliſes qui en ſont exemptes.* Id eſt: Non
„ intendimus frui Jure Regaliæ niſi eâ formâ & modo quo
„ Nos & Prædeceſſores noſtri uſi ſumus, ab ejus extenſione
„ in detrimentum Eccleſiarum exemptarum abſtinentes. Quod
„ Edictum Ludovicus XIII. confirmavit Articulo ſexto Con-
„ ſtitutionis editæ anno 1639.

„ Laudat præterea idem Auctor vetus Regeſtum Cameræ
„ computorum, quod à Ruzæo, Paſquierio, Protopræ-
„ ſide Magiſtro, & aliis, qui de Regaliâ tractarunt, profer-
„ tur, in quo enumerantur Eccleſiæ ſubjectæ huic Juri Rega-
„ liæ, itemque Eccleſiæ in quibus Reges eo Jure non uteban-
„ tur. Hujus Regeſti Excerptum ſic habet: *Dominus Rex, pro-*
„ *ut conſtat per antiqua ſcripta Cameræ, conſuevit capere Rega-*
„ *liam cùm vacaverit, in Provinciis & Diœceſibus quæ ſequun-*
„ *tur. In tota Provincia Senonenſi & ejus Suffraganeis, exce-*
„ *ptâ Diœceſi Autiſſiodorenſi, in quâ Decanus & Capitulum di-*
„ *cuntur feciſſe permutationem cum Rege, prout eſt inferiùs. In to-*
„ *ta Provincia Remenſi, exceptâ Diœceſi Cameracenſi. In tota*
„ *Provincia Bituricenſi, exceptis Lemovicenſi, Cadurcenſi, Ru-*
„ *thenenſi, Albienſi, Mimatenſi. In tota Provincia Turonenſi, ex-*
„ *ceptis Maclovienſi, Trecorenſi, &c. In Provincia Burdega*
„ *lenſi ſolùm, verumtamen de Pictavienſi fuit computatum anno*
„ 1306. *In tota Normannia habet Regale. In Provincia Auxita*
„ *nenſi & Arelatenſi, & per conſequens in Lingua Occitana*

Art. 5. „ *nihil habet*. Laudat idem Auctor cap. 6. in favorem Provin-
§. 21. „ ciæ Narbonenſis Literas Philippi Pulchri datas anno 1303. „ quarum hæc ſunt verba : *Nolumus quòd gentes noſtræ oc-* „ *cupent Regalia Eccleſiarum vacantium Provinciæ Narbonen-* „ *ſis*.

„ Profert idem Auctor nonnulla Senatûs Pariſienſis Arreſta, „ quibus ſecundùm eas Eccleſias in quibus Rex antiquam Re- „ galiæ poſſeſſionem non habebat, Patres conſcripti judica- „ runt Jus illud ad eas non eſſe porrigendum. Laudat deni- „ que Auctores, qui Jus Regaliæ in omnibus Regni Eccleſiis „ non vigere ſenſerunt, Guillelmum Durandum, Rebuffum, „ Ruzæum, Ægidium Magiſtrum, Paſquierium, qui opi- „ nionem contrariam dignam potiùs eſſe dixit adulatore Au- „ læ, quàm Juriſconſulto Gallo, Carolum de Graſſa- „ lio, &c.

2. RESP. His argumentis reſpondet Pater Alexander §. ſequenti, ubi ejus reſponſiones expendemus. Interim notamus, non niſi temerè potuiſſe malæ fidei accuſari Autorem Tractatûs Appamienſis in omittendis illis verbis Conſtitutionis Philippi Valeſii, *de fait tant ſeulement*. Illa enim non leguntur in Conſtitutione Philippinâ, prout extat in Actis Cleri Gallicani Tom. 2. part. 2. tit. 6. num. 4. ubi ſic habetur : *Comme il ait eté mis en doute par aucuns ſi nous avons droit de donner les Prebendes, Dignités, & Benefices quand ils ſont trouvès vacans au tems de notre Regale, ez Egliſes de notre Royaume eſquelles nous avons Droit de Regale*. Conferat Lector hæc verba cum iis quæ à Patre Alexandro referuntur ex Tractatu Appamienſi, ut judicet, an hujus Autor, fraudis hâc in re ſit ſuſpectus, niſi fortè fraudulenter referri Conſtitutionem illam in Actis Cleri Gallicani, ſuſpicemur. Sed hanc fraudis ſuſpicionem ex-

excludit Ægidius Magiſter Senatûs Pariſienſis Protopræſes, qui eaàdem Conſtitutionem abſque verbis à Collectore Actorum Cleri Gallicani, & ab Autore Tractatûs Appamienſis omiſſis, refert in Tract. de Regal. cap. 1. Quis autem credat, Illuſtriſſimum illum Magiſtratum prædicta verba malâ fide reſecuiſſe? Sic enim refert prædictam Conſtitutionem in ſuo Tractatu de Regaliâ, qui habetur inter Tractatus Illuſtriorum Juriſconſultorum Tom.13. par.2. *Cùm à nonnullis dubitatum ſit an nobis competat collatio Præbendarum, Dignitatum, & Beneficiorum vacantium tempore noſtrorum Regaliorum in Eccleſiis noſtri Regni, in quibus Jus Regaliorum nobis competit: diligenti inquiſitione factâ* &c. Fit quidem in illâ Conſtitutione mentio juris conferendi Beneficia vacantia de facto tantum: at non in ea parte, quam retulit Autor Tractatûs Appamienſis. Eſt autem pars illa, proœmium, ubi exprimitur ratio, quæ Philippum Regem ad edendam Conſtitutionem induxit. Art. 5. §. 21.

3 Refertur illa Conſtitutio, ab aliis Scriptoribus cum verbis illis, *de fait tant ſeulement*. Sed nihil eſt quod evidentiùs bonam fidem Autoris Tractatûs Appamienſis demonſtret, & Patrem Alexandrum immeritò conqueri oſtendat, quàm quòd Autor Tractatus illa verba prætermiſit hoc loco ſcilicet lib. 1. cap. 1. ubi nequaquam ei officiebant; cùm non eſſet quæſtio de collatione Beneficiorum vacantium, ſed de limitatione Regaliæ ad aliquas Eccleſias: eadem autem verba poſuit lib. 1. cap. 10. ubi cauſæ ejus obeſſent potiùs quàm faverent. Unde non video, quâ ratione potuerit P. Alexander notare, prædictum Autorem verba illa, *de fait tant ſeulement*, reſecuiſſe, ut ſignificaret, *dubitatum fuiſſe regnante Philippo Valeſio, utrùm Rex conferre poſſet Præbendas Jure Regaliæ in Eccleſiis vacantibus*: cùm è contrà tunc ea verba expreſſerit; quando pro-

Art. 5. probare contendebat, dubitatum fuiſſe de illo jure conferen-
§. 21 di Præbendas, licet ſuæ probationis vim imminuerent, aut etiam fortè omnino illam enervarent: ſubticuerit autem tantum, cùm nihil prorſus ad quæſtionem de generali Regaliâ tunc tractatam pertinebant.

4. Non advertit autem Diſſertator accuſationem malæ fidei ab ipſo in Autorem Tractatûs Appamienſis inſtructam, poſſe in ſe juſtè retorqueri. Omiſit enim hæc verba Regeſti computorum; *ſed Rex per litteras totum iſtud præcepit reſtitui*, ex quibus cernitur, Eccleſiæ Pictavienſi conſervatam fuiſſe à Philippo Pulchro ſuam libertatem, atque adeò executioni demandatum Decretum Concilii Lugdunenſis, Jus illud extra conſuetudinis antiquæ limites extendere vetantis. At, inquies, hæc verba non referuntur ab omnibus, ſed præterquàm quòd idem reſponderet Autor Tractatûs Appamienſis ad excuſandam omiſſionem verborum Conſtitutionis Philippinæ, illa excuſatio Patrem Alexandrum minimè juvat, qui refert illud Regeſtum ex eodem Tractatu, in quo extant verba prædicta: extant etiam apud Paſquierium, quem Pater Alexander hic laudat.

5. Cæterùm erravit ejuſdem Tractatûs Autor, dum ſcripſit, Eccleſiam Pictavienſem inter obnoxias Regaliæ poſtea deſcriptam fuiſſe in Regeſto Cameræ computorum anni [illegible]. Sed hunc errorem, utpote Regiis Officialibus commodum, Pater Alexander libens diſſimulavit.

§. VI.

§. VIGESIMUS SECUNDUS. Art.5. §. 22.

Expenduntur reſponſiones ad argumenta ex Tractatu Appamienſi § ſuperiori propoſita.

1. DISSERT. „Ad hæc reſpondent noſtrates Juris-„conſulti.

2. RESP. Coacervatarum reſponſionum multitudo, earum debilitatem innuit: nec tam movet earum pondus, quàm confundit numerus. Quamobrem diſtinguendæ ſunt, ac ſeorſim ponendæ, ut uniuscujuſque vim vel potiùs vanitatem, Lectores animadvertant.

3. DISSERT. „Reges noſtros iſtis Conſtitutionibus Li-„teriſque nullum reſpectum ad Concilium Lugdunenſe ha-„buiſſe, quod ne quidem indicant; nec Regaliæ extenſioni „ad univerſas Regni Eccleſias præjudicaſſe.

4. RESP. Licèt Conſtitutiones Literæque ſuprà relatæ Concilii Lugdunenſis non meminerint: ita tamen ei conſentaneæ ſunt, ut in ejus executionem factas fuiſſe quivis facilè poſſit agnoſcere. Concilium Lugdunenſe tria præcipuè ſtatuit. Primò, ne Regalia in Eccleſiis de novo uſurparetur. Secundò, ut in iis in quibus ex fundatione vel ex antiquâ conſuetudine locum habebat, non uſurparentur quæ ad fructus ſeu reditus non pertinebant. Tertiò, ne bona Eccleſiarum dilabi permitterentur. Jam ſi Conſtitutiones & Literæ, quarum teſtimonia adducta ſunt, integræ legantur, clarè perſpicietur, illas vel unum vel alterum horum trium, vel omnia ſimul edice-

Art. 5. re ſeu confirmare. Ita ſi Conſtitutio Philippi IV. an. 1302. edi-
§. 22. ta, quæ extat in 2. Tom. Actorum Cleri Gallicani part 2. tit. 6. num 4. conferatur cum Canone duodecimo Concilii Lugdunenſis, cum eo conſentire in omnibus ſuprà dictis capitibus comperietur, ut impoſſibile videatur non judicare, Conſtitutionem ſeu Literas Philippi, nihil aliud eſſe, quàm executionem prædicti Canonis. Primò enim limitatur Regalia ad Eccleſias, in quibus ex conſuetudine locum habebat: *Quantùm ad Regalias, quas Nos & noſtri Prædeceſſores percipere conſuevimus in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri, quando eas vacare contingit : de quibus plures ad nos querimoniæ devenerunt.* Deinde quæ ad fructus tunc provenientes non pertinebant, percipere vetat, ac bona in optimo ſtatu conſervari præcipit. *Volumus, præcipimus, ac etiam ordinamus, quòd res, bona, maneria, & Jura Regaliarum manu teneantur, diſtribuantur & expleantur abſque aliquo detrimento ac devaſtatione : ac ſi noſtra propria forent. Inhibentes ne de cætero nemora prædictarum Regaliarum ante tempus debitæ ſectionis amputentur; neque arbores quæ ab antiquo ſervatæ, & factæ fuerunt propter decorem & amænitatem, foreſtæ antiquæ, quæ nunquam cauſâ vendendi amputatæ fuerunt, aliquo tempore ſcindantur, aut quoquo modo vendantur. Nemora etiam quæ exponuntur ſectioni, non devaſtentur, aut vendantur, niſi modo & tempore conſuetis. Vivaria inſuper, ſtagna, & peſcaria, niſi piſcium nutritura, & aut fornitamentationibus ſervatis pro capturâ piſcium non graventur. Præcipientes inſuper quòd in omnibus iſtis caſibus, & circa prædicta, & ſingula præmiſſorum præcaveatur à devaſtatione, abuſu, diſtractione & exceſſu, quòdque circa præmiſſa talis exhibeatur moderatio, talis æquitas, & tale temperamentum, qualia conſueverunt à quolibet legitimo Adminiſtratore, & pro-*

provido Diſpenſatore circa talia , ratione prævià , exhiberi. *Art.5.*

5. DISSERT. „ Sed ideò hunc loquendi modum uſur- §. 22.
„ paſſe, *in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri*: vel, *in Eccleſiis in* „ *quibus Regaliæ Jus habemus*: tum quia in Eccleſiis Collegia- „ tis & Parochialibus Jus illud ſe non habere, nec unquam „ Prædeceſſores ſuos exercuiſſe noverant.

6. RESP. Ergo ſola Eccleſiarum Cathedralium Beneficia Jure Regaliæ olim conferebantur; non autem, ut modò, Beneficia alia quæcumque, exceptis Parochiis, tempore vacantis Sedis Epiſcopalis vacantia. Inter illos reverâ limites Regaliam, cùm primùm ad collationem Beneficiorum extenſa eſt, ſtetiſſe arbitrantur qui Arreſta occaſione Beneficiorum titulo Regaliæ collatorum ad ſolas Cathedralium Eccleſiarum Præbendas pertinere obſervarunt.

7. Attamen illam Eccleſiarum limitationem in Literis Regiis non fieri ad deſignandam illarum conditionem, utrùm ſcilicet Cathedrales an Collegiatæ eſſent, ſed ad ſignificandum, Regaliam in certis quibuſdam Provinciis & Diœceſibus locum habere, in aliis autem nequaquam, colligitur ex ipſarum Literarum verbis: exempli gratiâ, in Conſtitutione Ludovici XII. *Ez Archevechéz, Evechéz, Abbayes, & autres Benefices de nôtre Royaume eſquels n'avons Droit de Regale ou de Garde.* Id eſt: „ In Archiëpiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, & „ alia Beneficia Regni noſtri, in quibus Jus Regaliæ aut Cuſto- „ diæ non habemus.

8. Obſervavimus §. 18. Coſmam Guimerium in Senatu Pariſienſi Præſidem conferendi Beneficia titulo Regaliæ Regi Chriſtianiſſimo tribuere *in quibuſdam Eccleſiis Cathedralibus* tantùm. Eum ſecutus eſt Joannes de Selva in eodem Senatu

Art.5. Præſes. De Benef. par. 2. quæſt. 23. num. 37. Videri etiam
§. 22. poteſt Philippus Probus quæſt. 2. & alii : adeò inaudita erat eis illa interpretatio, quòd ſcilicet Regalia in Conſtitutionibus Regiis ad aliquas Eccleſias limitata ſit, ut excluderentur tantùm Eccleſiæ Collegiatæ & Parochiales, non autem aliquæ Cathedrales.

9. DISSERT. „Tum quia Eccleſias nonnullas exemptas, „ non quidem exemptione Juris & præſcriptione, ſed exem„ ptione à Principe conceſſâ, ſive gratuitò, ſive titulo one„ roſo, ſuâ frui volebant libertate.

10. RESP. Minor erat Eccleſiarum exemptarum numerus (exemptarum inquam : erant enim liberæ quàm plurimæ) quàm ut ad illas tantùm reſpicere potuerint Principes Conſtitutionum aut Literarum, Regaliam ad aliquas Eccleſias limitantium Autores. Exemplo ſit Philippus IV. in Conſtitutione an. 1302. modò relatâ, ubi ſic loquitur : *Quantùm ad Regalias quas Nos & noſtri Prædeceſſores percipere aſſuevimus & habere in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri.*

11. DISSERT. „Tum quia Jus illud quoad Præbenda„ rum collationem in iis Eccleſiis ſe non habere profitebantur, „ in quibus Jus conferendi ad Epiſcopum non pertinet, ſed ad „ Capitulum.

12. RESP. Enumerandæ erant Eccleſiæ, in quibus Jus conferendi Præbendas ita pertinet ad Capitulum, ut Epiſcopus nullam conferat. Certè tam paucæ ſunt, ut incredibile ſit, dictum fuiſſe à Regibus Chriſtianiſſimis, in aliquibus Eccleſiis tantùm ſe Jus Regaliæ habere, ut ſignificarent, ſe non habere Jus conferendi Præbendas in Eccleſiis, in quibus *Jus conferendi ad Epiſcopum non pertinebat, ſed ad Capitulum.* Præſertim cùm certum eſſet, Regem Epiſcopi tantùm juribus, vacante Sede,

Sede, quoad collationes Beneficiorum ſubrogari, *adeòque nihil amplius poſſe quàm Epiſcopum*, ut obſervavit Pater Alexander Articulo primo §. 1. Regaliæ definitionem exponens. *Art.5. §. 22.*

13. Libet autem hîc obſervare, quòd ſi *Reges Chriſtianiſſimi Regaliæ Jus quoad Præbendarum collationem in iis Eccleſiis ſe non habere profitebantur, in quibus Jus conferendi ad Epiſcopum non pertinet, ſed ad Capitulum*, ſequitur ante Declarationem Regis Chriſtianiſſimi anno 1682. datam, Beneficia quorum collatio ad Capitula non ad Epiſcopos ſpectabat, titulo Regaliæ juſtè conferri non potuiſſe, atque adeò ſuam Majeſtatem nulli juri legitimo renunciaſſe in favorem Eccleſiæ ad compenſandum damnum quod ex Regaliæ ad omnes Diœceſes extenſione patitur.

14. DISSERT. „ Præterea, hoc loquendi modo, *Nolu-„ mus*, *Non intendimus* &c. ſignificant quidem Chriſtianiſſi-„ mi Reges ſe Regaliæ Jus in iis Eccleſiis exercere nolle, quibus „ ipſi aut eorum Prædeceſſores Immunitatem ab eo Jure gra-„ tuitò conceſſerant, ſed Juris illius exercendi legitimum titu-„ lum & auctoritatem ſe habere non negant.

15. RESP. Hæc verba, *Nolumus*, *Non intendimus* &c. ſignificant quidem, Reges Chriſtianiſſimos Regaliam exercere nolle: ſed ſupponunt, Reges ideò nolle, quia juſtè non poſſunt, quod certò colligitur ex eo quòd Conſtitutiones & Literæ, hujuſmodi verba continentes, datæ ſunt, Eccleſiarum Prælatis aut Clericis, Regaliam in Eccleſias ſuas injuſtè induci conquerentibus. *De quibus*, inquit Philippus IV. in Literis modò laudatis, *plures ad nos querimoniæ devenerunt*. Sed quomodò cum his verbis Ludovici XII. *Eſquels n'avons Droit de Regale ou de Garde; ils ne ſe mettent dedans, ſur peine d'eſtre punis comme ſacrileges.* Id eſt: „ In quibus Jus Regaliæ aut

 Cuſto-

Art. 5. „ Cuſtodiæ non habemus ne ſe immiſceant : alioquin ut ſacri-
§. 22. „ legi plectuntor ; ſtare poſſunt hæc verba P. Alexandri : *Juris illius exercendi legitimum titulum & auctoritatem ſe habere non negant ?* Ita ſcilicet æquum ſe præbuit Eccleſiæ juribus : ita Inſtrumenta quibus probantur, ponderavit.

16. DISSERT. „ Regeſtum vetus Cameræ computorum, „ illius quo hæc ſcripta ſunt temporis conſuetudinem probat, „ Reges nimirùm Jure ſuo uti noluiſſe in quibuſdam Eccleſiis, „ ſed non probat Jus Regaliæ ipſos exercere in illis non potuiſ- „ ſe. Unde verba illa : *In totâ Linguâ Occitanâ nihil habet*, id „ ſolùm de illa Provincia negant, quod de aliis Provinciis aſ- „ ſertum eſt his verbis : *Conſuevit capere Regaliam, cùm vaca-* „ *verit*, &c. Regem ſcilicet tunc non conſueviſſe Jus Regaliæ „ in Eccleſiis Septimaniæ exercere.

17. RESP. Conſtat igitur, ut mox obſervavimus, in plurimis Regni Franciæ Eccleſiis, quæ in eo Regeſto enumerantur, Regaliam non fuiſſe in uſu tempore quo factus eſt Catalogus Eccleſiarum tum liberarum, tum obnoxiarum. Doceat nos Pater Alexander Hiſtoriæ peritiſſimus, & in hâc quæſtione ſe Hiſtoricum tantùm aſſerens, quiſnam Rex à tempore Concilii Lugdunenſis adeò jurium ſuorum negligens extiterit, ut uſum tam ſibi honorificum, tam utilem in maximâ Eccleſiarum Regni ſui parte in deſuetudinem abire permiſerit. An Philippus Pulcher, ſub quo ſcriptus eſt ille Catalogus, & quidem poſt diſſidium cum Bonifacio VIII. ut colligitur ex his verbis quæ extant in Articulo Eccleſiæ Pictavienſis, prout à Paſquierio lib. 3. cap. 37. refertur : *Verumtamen de Pictavienſi computatum fuit anno* 1306. *Sed Rex* (qui tunc erat prædictus Philippus) *præcepit totum reſtitui Epiſcopo ?* A tempore autem Concilii Lugdunenſis nullus ante Philippum Pul-

Pulchrum regnaverat præter ejus Patrem Philippum III. cujus Officiales, non ſolùm Jura Regia non negligebant, ſed etiam indebitè propagare conabantur, ut circa Eccleſiam Albienſem paulò ante Concilium Lugdunenſe contigiſſe, teſtatur Arreſtum anno 1272. datum cujus jam facta eſt mentio, & adhuc paulò infrà fiet. Quandonam Officiales Regii tam malè ſuorum Principum rationes curarunt, ut uſum tam commodum abolere ſinerent? Si autem jam tempore Concilii Lugdunenſis illæ Eccleſiæ ſuâ libertate gaudebant: quo jure contra illius Concilii prohibitionem hodie in ſervitutem redigi poſſunt? *Art. 5. §. 22.*

18. Linguam Occitanam nimis anguſtis finibus concludit Pater Alexander, cùm eam intra Septimaniam reſtringit. Verba enim illa *& per conſequens in totâ Linguâ Occitanâ nihil habet*, poſita poſt iſta *in Provinciâ Auſcitanenſi, & Arelatenſi*, non poſſunt de ſola Septimania intelligi, cùm extra eam ſint Auſcitanenſis, & Arelatenſis. Quamobrem Lingua Occitana hîc accipi videtur pro totâ illâ parte Regni, ad quam de novo extenſa eſt Regalia juxta Galliæ diviſionem ab Adriano Valeſio in Notitiâ Galliarum traditam verb. *Septimania vel Gothia, quæ & Linguadokium. Olim*, inquit, *totum Franciæ Regnum in provincias Linguæ* OUY, *& Linguæ* OC *dividebatur* (*de Langue d'Ouy & de Langue d'Oc*) . . . . *Hæc autem diviſio Franciæ facta eſt duas in Linguas, quòd Vaſcones, Gothi, ſive Septimani, Provinciales, Delſinates, aliique Linguæ tortæ populi, ſed præcipuæ Gothi pro ita vel utique*, OC *dicere conſueverant, id eſt, hoc: cæteri Franciæ incolæ*, OUY.

19. DISSERT. „ Addiderim, Indicem illum ex Regeſto „ veteri Cameræ computorum excerptum, vitioſum eſſe, nec ſupre-

Art.5. „ ſupremum Senatum illius rationem habuiſſe in ferendis de
§. 22. „ quæſtionibus Regaliæ Judiciis , ut obſervat Paſquierius „ lib. 3. Diſquiſitionum Francicarum Cap. 37. pag. 296. „ & 297.

20. Non ait Paſquierius, Indicem illum eſſe vitioſum; aut generatim ſupremum Senatum illius rationem non habuiſſe; ſed data eſſe aliquando Arreſta illi non conſentanea : quæ diſcrepantia potuit aliunde, quàm ex Indicis vitio provenire. Addit enim, Indicem illum fuiſſe ſemper quaſi facem, cujus lumine Judices in ferendis judiciis circa controverſias de Regaliâ ducerentur. Hæc ſunt propria ejus verba lib. 3. cap. 37. *Pour reprendre les briſées de ce vieux Memorial que je vous ay voulu icy patroner, je ne veux pas dire que ce ſoit une leçon en tout & par tout aſſeurée : car depuis la Cour de Parlement par ſes Arreſts y à adjouſté ou diminuè, ſelon les occurrences des procès dont elle à pû informer ſa Religion. Si puiſje dire que ce memoire eſt comme un fanal qui apporte grande lumiere à l'obſcurité qui ſe trouve en nos Regales. Et de fait Monſieur le Præſident le Maiſtre en à fait banniere en ſon Traitté des Regales.* Quæ ſic Latinè verti poſſunt : Ut „ autem ad veterem Catalogum redeamus, quem hîc tibi „ exhibui; non intelligo illum ceu regulam eſſe in omnibus, „ ac per omnia certam. Subinde namque Senatus ei placitis „ ſuis aliquid vel demit, vel addidit, prout in litibus occur„ rentibus ei pro ſuâ Religione æquum viſum eſt. Affirma„ verim tamen monimentum illud eſſe quaſi facem tenebris „ quæ Regalibus noſtris inſunt plurimam lucem afferentem. „ Ac reipſâ Dominus Præſes le Maitre in ſuo Tractatu de Re„ galiis hoc quaſi vexillum oſtentavit.

21. Conſtat ſaltem ex illis Conſtitutionibus & Literis, Re-

galiam

galiam tunc, cùm illæ datæ ſunt, in omnibus Regni Eccleſiis locum non habuiſſe. Quodnam autem jus novum Regi Chriſtianiſſimo accidit, ut Jus illud ad Eccleſias tunc liberas nuper extenderet? Quædam enim ex illis provinciis, ad quas facta eſt extenſio, ad Ditionem Regum Chriſtianiſſimorum revocatæ fuerant antequàm edita fuiſſet ulla ex his Conſtitutionibus, quarum aliquæ factæ ſunt, cùm jam omnes illæ provinciæ ſub Regiâ eſſent Ditione. *Art. 5. §. 22.*

22. DISSERT. „ Senatûs Arreſta vel rationibus ſingularibus nitebantur; vel conſuetudini tunc vigenti, & Regnantis voluntati illis Eccleſiis faventi ſe accommodaverunt conſcripti Patres; ſed non judicavêre quòd Rex Jus Regaliæ in illis non haberet, niſi fortè exemptæ eſſent oneroſo titulo. „ Quæ exemptio vim contractûs cùm habeat, ſalvâ juſtitiâ reſcindi non poteſt.

23. RESP. Quænam excogitari poſſunt rationes ob quas Eccleſiæ declaratæ fuerint liberæ per illa Arreſta, de quibus Autor Tractatûs Appamienſis lib. 3 cap. 1. præter libertatem ipſam omnibus Eccleſiis, quæ neque ex fundatione, neque ex antiquâ conſuetudine ſervituti ſubjectæ ſunt, competentem? Quid opus eſt rationes ſingulares fingere, cùm Arreſta ipſa veram rationem contineant, ſcilicet libertatis poſſeſſionem? Ita declarat Arreſtum in favorem Eccleſiæ Bituricenſis an. 1277. datum. *Dictum fuit per Curiæ noſtræ judicium*, CUM NON CONSTARET DE POSSESSIONE NOSTRA *ante collationes prædictas, dictum Archiëpiſcopum remanere debere in poſſeſſione conferendi Beneficia antedicta, & eſſe reſtituendum ad poſſeſſionem antedictam.* Arreſtum pro Eccleſiâ Ambianenſi an. 1327. pronunciatum eamdem rationem indicat: *Cùm olim*, inquit Carolus IV. *vivente chariſſimo Domino Genitore noſtro, certum*

Art. 5. *Arreſtum pro Epiſcopo tunc Ambianenſi prolatum fuerit, ſuper*
§. 22. *poſſeſſione collationis Præbendarum Eccleſiæ Ambianenſis, quaſi Sede vacante contingebat vacare; Noſque & Procurator noſter probabiliter ignoraremus, an in ſimili modo cæterorum collatio Beneficiorum vacantium in civitate & Diœceſi Ambianenſi, ad ipſius Epiſcopi collationem, an ad nos ratione Juris Regalium pertineret*, NE EX IGNORANTIA JUS NOSTRUM DESERERE, AUT ALIENUM INVADERE CONTINGERET: *mandavimus Ballivo Ambianenſi, quòd ſe ex præmiſſis diligenter informaret; factâ igitur informatione. . . . . Curia præcepit Procuratori noſtro, & per Arreſtum, quòd ipſe ſuper præmiſſis ulteriùs non contendat, ſibi ſuper præmiſſis ſilentium perpetuum imponendo.* Apud Chopinum l. 1. de ſacra Politia tit. 7. n. 8.

24. Notatu digniſſima ſunt verba illa Arreſti: NE EX IGNORANTIA JUS NOSTRUM DESERERE, AUT ALIENUM INVADERE CONTINGERET, quibus confutatur quod paulò ante dixit Pater Alexander, Reges Chriſtianiſſimos *Juris* Regaliæ in Eccleſiis, quas liberas declararunt, exercendi legitimum titulum & autoritatem ſe habere non negaſſe. Non Juri ſuo cedebant, ſed Jus Eccleſiarum conſervabant hujuſmodi Placitis. Eamdem rationem continent Arreſta in aliis Tractatûs Appamienſis locis relata; verbi gratiâ, quod habetur cap. 6. ejuſdem libri pro Eccleſia Albienſi, quod jam Art. ſuperiori §. 41. retulimus: *Cùm Dominus Rex ſuper hoc aliàs nunquam uſus fuiſſet*; & Arreſtum circa Regaliam in Eccleſia Anicienſi jam ſæpe citatum: *Quia per inqueſtam quam fieri fecimus, probatum non extitit, ſeu inventum, quòd vacante Eccleſiâ ſuprà dictâ*, NOS VEL NOSTRI ANTECESSORES *domum Epiſcopalem, vel fortericia alia civitatis, caſtrà etiam extra civitatem, ſeu villas alias habuerimus* ALIQUO UNQUAM TEMPORE, *ſed*

nec

nec pedagia extra civitatem ad Epiſcopum pertinentia, niſi à duabus primis vacationibus citra vel aliquando unquam, vacante Eccleſiâ, Nos vel noſtri Anteceſſores Dignitatem aliquam in eâ contulerimus, ſeu Præbendam &c. Art. 5. §. 22.

25. DISSERT. „ Cæterùm idem ſupremus Senatus Arreſto lato anno 1608. perorante Servino Advocato Catholico, „ edixit Regem in Diœceſi Bellicenſi, quæ recèns ad Gallicam „ Ditionem revocata erat, & in cæteris Regni ſui Eccleſiis, Jus „ Regaliæ habere: & Advocatis prohibuit ne id in dubium „ revocarent, aut contrariam opinionem in publicis actionibus tuerentur. Adverſùs hoc Senatusconſultum querelam „ movit Clerus Gallicanus apud Regiam Majeſtatem.

26. RESP. Vix notabilem excogites circa judicia ferenda defectum, qui huic Arreſto non intervenerit. Primò, quâ autoritate Senatus Pariſienſis poterat abrogare Edictum ab Henrico IV. promulgatum anno 1606. & à Senatu ipſo duobus ante prædictum Arreſtum menſibus, hoc eſt die 29. Februarii 1608. verificatum, quo Rex declarabat, ſe nolle gaudere Jure Regaliæ, niſi quomodo tum ipſe, tum ejus Prædeceſſores illud exercuerant, neque illud ultrà producere in præjudicium Eccleſiarum immunium? Secundò, quæ potuit præcedere deliberatio, & Juris Eccleſiarum examen, quæ nec auditæ nec vocatæ fuerant, ac de quarum cauſa tunc non erat quæſtio, cùm de Bellicenſi tantùm ageretur? Tertiò, quæ juſtitia, ut non ſolùm Eccleſia Bellicenſis, quæ libera ſemper fuerat, & in Regione poſita Coronæ Franciæ ſeptennio tantùm priùs, hoc eſt anno 1601. adjunctâ, poſt factam ſcilicet cum Salutiarum Marchionatu permutationem ab Henrico IV. Rege Franciæ & Carolo Emanuele Duce Sabaudiæ; ſed etiam reliquæ omnes ſimiliter ſuâ libertate gaudentes de

Art. 5. novo Regaliæ ſubderentur? Quis novus titulus Regi Chriſtia-
§. 22. niſſimo obtigerat à bimeſtri, ut Eccleſiæ immunes in ſervitutem redigerentur? Quartò, quæ æquitas ſinebat, ut non ſolùm Eccleſiis fieret injuria, ſed ut non liceret etiam Advocatis earum jura defendere, quod nemini unquam negatur, ſaltem ubi nondum auditæ ſunt ejus defenſiones? Quintò, quæ ratio ſinit, ut illud Arreſtum tot aliis ab eodem Senatu prolatis, tot Conſtitutionibus Regiis, tot Conciliorum etiam generalium, ac præſertim Lugdunenſis ſecundi, Canonibus, in cauſa libertatis Eccleſiaſticæ, cui vel maximè favendum eſſet à Judicibus Chriſtianis, præponatur? Quamobrem Henricus IV. animadvertens quàm pertinaciter Senatus Pariſienſis contenderet, Regaliam ad omnes Eccleſias extendere, omnium circa illam controverſiarum cognitione ei interdixit, eamque ad ſe revocavit, & Edictum ſuum anni 1606. ſimpliciter & abſolutè verificari voluit, quod teſtantur ejus Literæ die 26. Octobris an. 1609. datæ. *Nous aurions, dit-il, evoqué, toutes les dites inſtances & icelles retenues en noſtre Conſeil; à cauſe que noſtre Cour de Parlement de Paris, avoit donné Arreſt contraire apres la verification de noſtre dit Edit ..... Attendant que noſtre dit Edit du moys de Decembre 1606. & Reglement contenu en iceluy pour le fait des dites Regales, ayent eſté purement & ſimplement verifiéz ſuivant noſtre intention.* Id eſt: „ Nos omnes illas lites ad nos evocavimus, eaſque in Conſilio noſtro judicandas retinuimus, eò quòd Curia noſtra Senatûs Pariſienſis Arreſtum prædicto noſtro Edicto jam verificato contrarium tuliſſet .... Donec præfatum Edictum „ noſtrum menſe Decembri anno 1606. datum, & præſcriptio „ ei adjuncta circa prædicta Regalia abſolutè ac ſimpliciter verificata fuerint, ut voluntatis noſtræ eſt. Extant Henrici Lite-

Literæ, Edictum, & alia multa documenta negotium iſtud ſpectantia in tomo 2. Actorum Cleri Gallicani parte 2. tit. 6. Denique Ludovicus XIII. cognomine Juſtus Edictum anni 1606; quod Senatus Pariſienſis enervare tentaverat, Conſtitutione an. 1629. editâ confirmavit. *Art. 5. §. 22.*

27. DISSERT. „ Arreſtis Regii Conſiſtorii 6 Octobris „ 1637. & 19 Junii 1638. & 12 Aprilis 1651. item 2 Junii „ ejuſdem anni, 22 Aprilis 1653. & 6 Junii 1654. & 12 Aprilis „ 1657. Rex edixit, ut Archiëpiſcopi & Epiſcopi, qui Eccleſias „ ſuas à Regaliâ immunes contendebant, omnes Titulos, In„ ſtrumenta, & Documenta proferrent univerſa, quibus Immu„ nitatem illam ſuam probabant. Regiis Mandatis paruerunt „ Septimaniæ, Aquitaniæ, Provinciæ ac Delphinatûs Præſules.

28. RESP. His Arreſtis violatæ ſunt immunitates Eccleſiæ. Ecquis enim Judex hominem, qui patrimonium à Majoribus acceptum pacificè poſſideat, coget exhibere titulos, quibus contendit, id ad alium non pertinere? Nonne omnes leges omniaque jura clamant, ejus eſſe, qui pacificum poſſeſſorem deturbare aggreditur, jus ſuum probare? Ridiculus eſſet Judex, qui Cajum damnaret ad probandum, hæreditatem ſibi à Patre relictam non eſſe Titii, ſuam eſſe aſſerentis. Ecquæ igitur ſinebat æquitas, ut Eccleſia ſpecialibus documentis oſtendere cogeretur, fructus bonorum ſuorum, & collationem Beneficiorum non pertinere ad Regem, Sede vacante? Regiorum Officialium erat demonſtrare, quòd Jus illud Regi Chriſtianiſſimo competeret ex titulis fundationum vel ex antiquâ conſuetudine; præſertim cùm id minimè veriſimile ſit, attentâ rerum ipſarum naturâ & conditione. Sufficiebat Eccleſiis antiqua ſuæ libertatis poſſeſſio, variis Canonibus, Conſtitutionibus Regiis, & Arreſtis confirmata.

Art. 5. §. 22. 29. Quin etiamſi facultas fruendi reditibus bonorum Eccleſiaſticorum & conferendi Beneficia Eccleſiaſtica jure proprio, & ut ita dicam, naturali non pertineret ad Eccleſiam, ſufficeret ipſi pacifica triginta annorum poſſeſſio, nullis aliis titulis prolatis juxta leges Eccleſiaſticas & Civiles. *Placuit huic ſanctæ & magnæ Synodo* (verba ſunt octavæ Synodi generalis Can. 18. ex traduct. Anaſtaſii Bibliothec.) *ut res vel Privilegia quæ Dei Eccleſiis ex longâ conſuetudine pertinent, &, ſive à divæ recordationis Imperatoribus, ſive ab aliis Dei Cultoribus in ſcriptis vel ſine ſcriptis donata, & ab eis per triginta annos poſſeſſa ſunt, nequaquam à poteſtatè Præſulis earum quæcumque perſona ſæcularis per poteſtatem ſubtrahat, aut per argumenta quælibet auferat; ſed ſint omnia in poteſtate Præſulis, quæcumque intra triginta annorum ſpatium ab Eccleſiis poſſeſſa fuiſſe noſcuntur. Quiſquis ergo ſæcularium contra præſentem definitionem egerit, tanquam ſacrilegus judicetur, & donec ſe correxerit, & Eccleſiæ propria Privilegia ſeu res reſtituerit, & reſervaverit, anathema ſit.*

30. Huic Canoni conſona ſunt Edicta & Conſtitutiones Regum Chriſtianiſſimorum, Eccleſias liberantium ab onere exhibendi inſtrumenta jurium & immunitatum, quibus fruebantur, ut videre eſt in Actis Cleri Gallicani tom. 3. par. 4. cap. 3. num. 25. cap. 9. num. 4. & ſeq.

31. Quapropter Syndicus Occitaniæ anno 1638. documenta proferens libertatem Eccleſiarum illius Provinciæ confirmantia, proteſtatus eſt initio ſui Inventarii publicis typis editi, ſe nequaquam acquieſcere Arreſto id præcipienti, ſed potiùs velle illius abrogâtionem proſequi, ſi ſibi liceret. Adjecit, eos eſſe Provinciæ illius mores, quibuſcum Coronæ Franciæ acceſſerat, ut nunquam titulos ſeu inſtrumenta exhibere

bere teneretur ad comprobandas nativas ſuas libertates, aliave, quibus jure communi potiebatur. Itaque ex productis documentis perperàm inferretur, Eccleſias liberas ejuſmodi probationibus indiguiſſe. *Art.* 5. §. 22.

32. Non poteſt etiam colligi, Clerum Gallicanum Regem Chriſtianiſſimum tanquam proprium, multò minùs tanquam unicum ejus controverſiæ Judicem agnoviſſe. Regiam autoritatem adverſùs Regios Officiales injuriam Eccleſiis liberis inferentes imploravit; eam nimirùm à Ludovico XIII. interponendam, eò minùs dubitans, quòd à nullo ex ſuis unquam Prædeceſſoribus Eccleſiæ in ſimilibus occaſionibus fuiſſet denegata, ſed cuncti ferè Reges Miniſtros ſuos propria commoda, prætextu Regiorum jurium, in præjudicium Eccleſiæ amplificare conantes, cohibuiſſent, quod varia teſtantur eorum Edicta, Arreſta, Conſtitutiones, & Literæ. Quapropter ſuæ Majeſtatis Religioni & æquitati minimè diffidentes, proteſtationes in aliis negotiis præmiſſas, ut à Bertrando Æduenſi Epiſcopo Eccleſiaſticæ juriſdictionis defenſore adverſùs Petrum de Cuneris Advocatum Regium anno 1329. & à Comitiis Cleri Gallicani Meloduni anno 1579. congregati factum fuerat, reverentiæ cauſâ omiſerunt. *Proteſtatione præmiſſâ*, inquit Æduenſis Epiſcopus, *quòd quidquid dicturus ſum, volo dicere non ad ſubeundum quodcumque judicium, ſed ſolùm ad Domini Regis, & aliorum aſſiſtentium conſcientiam informandam.* Comitia verò Melodunenſia; *A tous Articles qu'on dreſſera concernant la diſcipline ou reglement Eccleſiaſtique ſera aviſé de n'en attribuer aucune juriſdiction au Roy, comme auſſy ſa Majeſté ne le pretend; ains ſeulement luy faire tres humble requeſte afins que l'execution des Articles qui ſeront arreſtés par le Clergè, ſoit par ſa Majeſté authoriſée, enjoignant à*

tous

Art. 5. tous ſes Officiers, & autres d'y tenir la main, en ce qu'ils en ſe-
§. 22. ront requis, & non autrement. Inter Act. Cler. Gall. Tom. 5. par. 8. tit. 2. Id eſt: „In inſtruendis Articulis diſciplinam „aut regimen Eccleſiaſticum ſpectantibus, cavendum erit, ne „qua Regi circa hæc tribuatur juriſdictio, quam ne ſua qui- „dem Majeſtas ſibi tribui petit; ſed ſolùm humillimè roga- „bitur, ut Articulorum à Clero conſtitutorum executionem „autoritate ſuâ communiat, omnibuſque ſuis Officiariis & „aliis præcipiat, quo auxilium præſtent, ubi ab eis require- „tur & non aliàs.

33. DISSERT. „Cauſâ maturè & accuratè à Conſiſto- „rianis Comitibus utriuſque Juris peritiſſimis, & æquiſſimis, „diſcuſſâ, & ad Regium Conſilium relatâ, judicatum eſt: „*Jus Regaliæ alienari, & præſcribi non poſſe; ac Regi in omni- „bus Archiëpiſcopatibus, & Epiſcopatibus Regni Ditionumque „ſuarum competere.* Unde Rex Chriſtianiſſimus LUDOVICUS „MAGNUS Declaratione datâ apud Sanctum Germanum in „Laya, die 10. Februarii anni 1673. ex certâ ſcientiâ, plenâ „poteſtate & Regiâ auctoritate edixit, *Jus Regaliæ univer- „ſim ad ſuam Majeſtatem pertinere in omnibus Archiëpiſcopati- „bus, & Epiſcopatibus Regni Ditionumque ſuarum, iis dunta- „xat exceptis, qui oneroſo titulo exempti.* A CES CAUSES, *de „l'avis de noſtre Conſeil, & de noſtre certaine ſcience, pleine „puiſſance & autorité Royale, Nous avons dit & declaré, & „par ces Preſentes ſignées de noſtre main diſons & declarons* LE „DROIT DE REGALE NOUS APPARTENIR UNIVERSEL- „LEMENT DANS TOUS LES ARCHEVECHEZ, ET EVECHEZ „DE NOSTRE ROYAUME, TERRES ET PAYS DE NOSTRE „OBEISSANCE: *a la reſerve ſeulement de ceux qui en ſont „exempts à titre onereux.* Quæ Regis Maximi Declaratio ex Sena-

„ Senatusconſulto in tabulas Curiæ relata eſt die 18. A- *Art.5. §. 22.*
„ prilis ejuſdem anni. Sic peremptoriâ ſententiâ cauſa
„ de Regaliæ extenſione ad univerſas Regni Eccleſias fini-
„ ta eſt.

34. RESP. Deceptam fuiſſe Chriſtianiſſimi Regis religionem, & injuriam Eccleſiæ factam, neſcio cui perſuaſum non ſit. Quamobrem odioſum admodùm eſt, ut qui contra proprium officium, Regi Chriſtianiſſimo autores fuerunt, ut Regni ſui Eccleſias Canonicâ libertate ſpoliaret, tanto ſtudio curent, ne ſua Majeſtas rei injuſtitiam agnoſcat, & agnitam reparet; quaſi non eſſet majori gloriâ dignum, ut quod perperàm geſtum eſt, meliori conſilio reformaretur, quàm ut tanquam rectè factum defenderetur.

35. Sed dolendum eſt vel maximè, quòd Juriſconſulti ac Theologi, quorum eſſet, veritatem aperire, non modò in injuſtitia illam detineant, ſed adverſùs illam ſtent, eamque obtegere nitantur, ut minori cum verecundia illam impugnent.

36. DISSERT. „ Fruſtrà ergo vetera quædam Senatus-
„ conſulta, aut Regum Edicta proferuntur, quæ nec LU-
„ DOVICI MAGNI Declarationi contraria ſunt, & ſi contraria
„ ſint, per eam ſunt reſciſſa & revocata. Legem namque po-
„ ſteriorem prioribus derogare notum eſt.

37. RESP. An bonâ fide aſſerere quiſquam poteſt, Senatusconſulta, & Regum Edicta, quæ Regaliam in illis Eccleſiis, ad quas noviter porrecta eſt, locum non habere declarant, non eſſe Regis Chriſtianiſſimi Declarationi Jus illud ad eaſdem Eccleſias porrigentis contraria? Num Senatusconſulta illa & Edicta Eccleſias liberarunt? An non liberas eſſe, cognitâ cauſâ, decreverunt? Unde autem illa libertas? Nonne ab

Art. 5. ipſa rerum naturâ & conditione, ſacris Canonibus, Regiâque
§. 22. protectione communitâ?

38. Poteſt quidem per poſteriorem legem priori derogari, dum res à Principum arbitrio pendet, ac nova poſtulat cauſa: ut autem Princeps quod ſuum non eſt, ſuumque non eſſe pluribus judiciis poſt expenſa cauſæ merita pronunciatis, declaratum eſt, novâ prolatâ lege ſuum facere poſſit; neſcio quis unquam docuerit Juriſconſultus aut Theologus.

39. DISSERT. „ Et ſicut *ipſa plenaria Concilia ſæpe priora* „ *à poſterioribus emendantur, cùm aliquo experimento rerum ape-* „ *ritur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat*, ut do- „ cet S. Auguſtinus lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas, „ cap. 3. ſic Edicta priorum Regum, & antiqua Senatuscon- „ ſulta poſſunt à poſterioribus reſcindi vel emendari, cùm „ omnia cauſæ alicujus momenta & documenta accuratiſſimâ „ conſideratione diſcuſſa ſunt, quæ antea examinata non fue- „ rant. Id porrò in Regaliæ cauſâ factum eſt. Quamobrem „ Regia Declaratio hac in materia ſuprema Lex eſto (inquiunt „ Regii Magiſtratus & Juriſconſulti Galli)

40. RESP. Prudenter agit Diſſertator, dum hujus tam abſurdæ doctrinæ invidiam à ſe amovere tentat, & eam in Regios Magiſtratus ac Juriſconſultos Gallos derivare, ſed injuſtæ cauſæ patrocinium nimis apertè ſuſcepit, quàm ut ſuadere poſſit, ſe merè hiſtoricè illam referre. Quis autem non videt, Conciliis plenariis fieri injuriam, dum ab eorum exemplo ducitur argumentum ad decernendum de juſtitia extenſionis Regaliæ? Nam præterquam quòd Regia Declaratio, ubi agitur de collatione Beneficiorum *pleno jure*, & de uſu-fructu bonorum ſacrorum, ſuprema Lex eſſe non poteſt contra ſupremam Concilii generalis Autoritatem; quis non advertat

quan-

quantùm diſcrepet priorum Conciliorum per poſteriora emen- *Art. 5.*
datio, ab antiquorum Senatusconſultorum & Edictorum ab- §. 22.
rogatione per Declarationem Regis Chriſtianiſſimi factâ? Supponit S. Auguſtinus, experimento rerum aperiri in poſterioribus Conciliis, quod clauſum fuerat primis, vel cognoſci quod latuerat, quod in quæſtionibus diſciplinæ maximè contingit; quid autem aperuit experientia in exercitio Regaliæ, niſi fortè commodum illud eſſe Officialibus Regiis & Aulicis, atque adeò ſi omnes Regni Eccleſiæ huic oneri ſubjicerentur, amplificandam Senatûs Pariſienſis autoritatem, multiplicandas lites, plura in Aula Regiâ diſtribuenda Beneficia?

41. Quid cognitum eſt quod latuiſſet? An quòd Corona eſſet rotunda? Certè id non latuerat Renato Chopino in Senatu Pariſienſi Advocato, qui tamen Regaliam in plurimis Regni Eccleſiis non habere locum confeſſus eſt. *Atqui Regalia iſta* (inquit lib. 1. de ſacra Polit. tit. 7. num. 11. loquens de collatione Beneficiorum; de Regaliâ enim integrâ jam dixerat) ***non ubique exerçentur à Principe inter ſuos, multòque arctioribus, quàm Regni limitibus circumſcribuntur & terminantur, licèt alioquin Regii Diadematis ſphærica forma ſit, in qua nihil inciſum angulis, nihil ſinuoſum, æqualitatemque motûs ac conſtantiam in omnibus ſuis partibus figura ſervet ejuſmodi.***

42. An ignorabant antiqui, Regem eſſe Protectorem Eccleſiarum, feuda fuiſſe à Regibus collata, & alia quæ Pater Alexander congeſſit in ſuam Diſſertationem? Minimè verò: ſed Patris Alexandri Dialecticæ regulas non norânt; ideòque non concluſerunt, Regaliam ad omnes Eccleſias extendi poſſe.

43. At, inquies, ***antiqua Senatusconſulta poſſunt à poſterioribus reſcindi vel emendari, cùm omnia cauſæ alicujus momenta***

Art. 5. *& documenta accuratiſſimâ conſideratione diſcuſſa ſunt, quæ*
§. 22. *antea examinata non fuerant.* Verum id quidem: ſed quâ ratione ſuadet nobis P. Alexander, *id in Regaliæ causâ factum eſſe?* Quod enim ad examen attinet, antiqua Arreſta non pronunciabantur niſi factâ diligenti inquiſitione, ut in ipſiſmet Arreſtis exprimitur. Sed quæ ſunt illa momenta & documenta modò *accuratiſſimâ conſideratione diſcuſſa, antea* verò *non examinata?* O quàm optimè de Rege Chriſtianiſſimo meritus fuiſſet Pater Alexander, ſi ea ſuæ Diſſertationi inſeruiſſet, ut hominibus illis, quorum ſanè maximus eſt numerus, fieret ſatis, qui Declarationem, de qua eſt ſermo, putant de ſuæ Majeſtatis laude ac gloriâ non parum detraxiſſe! Nec enim veriſimile eſt, Officiales Regios, quorum cauſam tuetur, nova illa rationum momenta eum celaſſe novaque documenta.

44. Nam quod in controverſiis omnibus fieri ſolet, id in causâ Eccleſiæ graviſſimâ prætermiſſum eſt, ut ipſi exhiberentur quæ contra ipſam producta fuerant vel allegata, quò poſſet de ſuo jure ſuisque libertatibus Regis conſcientiam informare. Quæ vel una ratio obſtaret, quò minùs *Regia Declaratio hac in materia ſuprema Lex ſit.* Omnibus enim legibus, etiam naturæ ſtatutum eſt, ut quis defendendi ſe facultatem habeat; quomodò autem ſe defendet, niſi quæ ſibi objiciuntur, norit?

45. DISSERT. „ Nec verò Privilegia quibuſdam olim Ec-
„ cleſiis à Regibus conceſſa, Succeſſores ipſorum ligant, vel
„ illorum Jura præſcribunt. Si enim Summi Pontifices pro
„ traditâ ſibi divinitùs plenitudine poteſtatis, cùm ſubeſt cau-
„ ſa, Decreta ſuorum Prædeceſſorum reſcindunt, conceſſa
„ ab ipſis Privilegia revocant, maximè ſi in Eccleſiaſticæ rei

detri-

„ detrimentum cedere videantur : quidni Reges, qui ſu- *Art.5.*
„ premam in temporalibus poteſtatem à Deo immediatè acce- §. 22.
„ perunt, poteſtatem habeant Privilegia à ſuis Prædeceſſori-
„ bus conceſſa revocandi, ſi contra Jura Coronæ, & in de-
„ trimentum ſupremi Dominii quod in omnia ſubditorum
„ ſuorum, & ipſarum Eccleſiarum temporalia bona ſibi legiti-
„ mè vindicant, conceſſa judicentur?

46. Resp. Aliquæ ſunt Eccleſiæ, in quibus olim Regalia exercebatur, nec fortè injuſtè, ſi intra uſum-fructum feudorum Regalium ſtetiſſet, eaque fuiſſet conſuetudo provinciarum, ut Dominus feudi, deficiente vaſſallo, fructus ſuos faceret uſque ad Inveſtituram ſucceſſoris : liberatio ab hoc onere non incongruè Privilegium diceretur. Aliæ ſunt, in quibus nullus unquam extitit legitimus Regaliæ uſus, ſed iniquæ conſuetudinis abrogatio. Iſtæ non Privilegio propriè dicto donatæ ſunt, ſed in nativam & Canonicam ſuam libertatem, quâ ab iniquis Dynaſtis ſpoliatæ fuerant, ſunt reſtitutæ. Neutræ verò de novo poſſunt in ſervitutem redigi. Quia ſi *decet conceſſum à Principe Beneficium eſſe perpetuum*, ut habet vulgata Juris utriuſque regula, in quoſcumque collatum ſit; debet maximè, cùm Eccleſiæ conceſſum eſt. Non ſinit Religio, ut revocetur oblatio ſemel Deo facta. Lex enim divina eſt: *Quidquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino. Levit.* 27. v. 28.

47. Malè audiunt Principes qui Privilegia revocant à Prædeceſſoribus ſuis conceſſa privatis perſonis aut communitatibus, niſi aliqua gravis culpa eam pœnam mereatur, aut ſaltem id urgens neceſſitas, vel maxima utilitas Reipublicæ poſtulet : Privilegia autem Eccleſiis, quæ nec peccarunt, nec peccare potuerunt, nullâ interveniente publicâ cauſâ, auferen-

 tur

Art.5. tur abſque tollentium dedecore? Suſpicor, Patrem Alexan-
§. 22. drum moleſtè laturum, ſi Summus Pontifex omnia Privilegia Regularium aboleret, eoſque Epiſcopis juxta hierarchicum ordinem ſubjiceret, etiam ſi aliqui ſuis Privilegiis abutentes, eis privari meriti fuiſſent. Cur ergo non ei diſplicuit, quòd abſque ulla culpa Eccleſiis adimerentur à Rege ſua Privilegia? Quin etiam ſi peccaſſent omnium Eccleſiarum Epiſcopi, regula Juris eſt, quòd *delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare. De reg. Jur.* in 6. reg. 76. Quæ cùm ita ſe habeant in Privilegiis Eccleſiæ a Principibus ex merâ liberalitate conceſſis; quis dubitet in Privilegiis Divinis & Canonicis multò magis eſſe ſervanda? Enimverò Privilegium eſt non à Rege, ſed à Chriſto datum, quòd Eccleſia Miniſteria ſua diſpenſet ſuiſque reditibus fruatur.

48. Quodnam *jus Coronæ* violatur, ſi ii quos *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Eccleſiæ Miniſtros conſtituant; ſi bonorum Eccleſiæ vacantis fructus illis reſerventur uſibus, quibus deputati ſunt, impendendi? Quodnam inde patitur *detrimentum ſupremum Dominium*, quod Reges in bona temporalia ſibi legitimè vendicant? An ſupremum illud Dominium ſtare non poteſt, niſi Rex fructus ſuos faciat? Omniane bona allodialia ſunt extra Dominium Regis, quia ex eis ſervitium non debetur? Supremum Dominium in juriſdictione propriè conſiſtit, non in uſu-fructu. Omnia bona temporalia Regi ſubjacent, non ut omnium fructibus gaudeat, ſed ut ſuis quemque pacificè gaudere faciat.

49. Si quid de ſuo Reges in liberandis Eccleſiis remiſerunt, id fuit Jus fructus feudorum Regalium vacantium percipiendi poſt mortem Epiſcopi uſque ad inſtitutionem Succeſſoris, in illis

illis provinciis ubi vigebat ea lex feudalis. Ejus Juris remiſſio, quæ ſola Privilegium dici poſſet, cùm ſubſidiis in Reges Chriſtianiſſimos collatis abunde compenſata ſit, ut ſæpe dictum eſt, minimè revocari poteſt, etiam citra injuſtitiam; multò minùs facultas fruendi aliis reditibus, præſertim decimis, & oblationibus, ac Beneficia conferendi. Quid ergo dicendum de Eccleſiis, in quibus nihil eorum Regi competit, neque ex legibus feudalibus, neque ex conſuetudine, quales ſunt illæ, ad quas noviter producitur Regalia, cùm in provinciis jure ſcripto adminiſtratis, atque adeò à Jure Relevii immunibus, poſitæ ſint? *Art. 5. §. 22.*

50. DISSERT. „ Nec etiam Regio Juri ex antiquiſſimis receptiſſimiſque Regni Francici Legibus nocere potuiſſe poſſeſſionem intermiſſam, noſtrates Juriſconſulti propugnant, „ quam & per Duces Comiteſque ſibi ſubditos diu Reges retinuiſſe, nec ipſos unquam animo dimiſiſſe certum ſit.

51. RESP. Certum eſt, Reges Chriſtianiſſimos nunquam animo dimiſiſſe poſſeſſionem Regaliæ in multis Eccleſiis; quia neque per ſe, neque per Comites illam poſſeſſionem unquam habuiſſe certum eſt, atque adeò nunquam dimittere potuiſſe. An autem mentitos illos putabimus, cùm dixerunt: *Inhibemus univerſis Officiariis noſtris, ne in Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, & alia Beneficia Regni noſtri*, IN QUIBUS JUS REGALIÆ AUT CUSTODIÆ NON HABEMUS, *ſe intromittant : Non intendimus frui Jure Regaliæ : Nolumus quòd gentes noſtræ occupent Regalia* : & ſimilia?

52. Quomodò autem Reges per Duces Comiteſque ſibi ſubditos poſſeſſionem Regaliæ retinebant, in provinciis in quibus nunquam habuit? Siquidem Ducum & Comitum poſſeſſio

Art.5. ſio non erat Regaliæ exercitium, ſed abuſus & prava conſue-
§. 22. tudo, ut fatebantur ipſimet Principes; verbi gratiâ Ildephonſus Comes Toloſanus: *Derelinquo peſſimam conſuetudinem*; & Ermengardis Narbonenſis Vicecomitiſſa: *Recognoſcens injuriam quam parentes mei & ego hucuſque perperàm fecimus.* Vide, ſi lubet, Art IV. §. 37. & hujus Art. §. §. 6. 8. & ſeq. uſque ad 18. & §. 20. & Art. 2. §. 17.

53. DISSERT. „De Principum juribus judicandum ex „ ſolâ conſuetudine non eſſe, ſed ex titulis & fundamentis „ quibus nituntur: perperàm colligi ea ipſos jura non habere „ quibus uſi ſemper non fuerunt, aut poteſtatem quam ſemper „ non exercuerunt.

54. Lubens conditionem admiſerim à Patre Alexandro propoſitam, ut de Regaliâ non ex conſuetudine, ſed ex titulis & fundamentis judicetur. Sed ſi conſuetudinis non habeatur ratio, nihil erit, quo Regaliam, prout ab eo deſcripta fuit, in ullis Franciæ Eccleſiis probabilem efficias. Excluſâ enim conſuetudine nullus alius ſuffragari poſſet titulus ex Decreto Concilii Lugdunenſis, niſi conditio in fundatione appoſita. Nuſquam autem invenietur, Reges Chriſtianiſſimos Eccleſias cum reſervatione Regaliæ fundaſſe. Neque ea conditio per ſe fundationi ineſſe cenſetur: alioquin enim Regaliâ ſine ullo diſcrimine fundatores omnes gauderent; cùm ſecùs ſe rem habere videamus, nihilque ſit tam legibus omnibus contrarium, quàm ut laïci non ſolùm bonorum ab anteceſſoribus ſuis in Eccleſias collatorum, ſed etiam aliorum omnium bonorum reditus, imò decimas & oblationes, & omnium Beneficiorum curam animarum non habentium collationem abſque autoritate Eccleſiæ ſibi vendicent.

55. DISSERT. „Summos ipſos Pontifices non ſemper

ea

„ ea Jura in univerſâ Eccleſiâ exercuiſſe, quæ nunc exercent. *Art.5.*
„ Appellationum ad Sedem Apoſtolicâm prioribus quatuor §. 22.
„ ſeculis uſum admodùm infrequentem fuiſſe; multorum
„ Theologorum judicio nullam in illorum ſeculorùm Hiſto-
„ riis apparere: ex quo tamen perperàm quis inferret S. Petri
„ Succeſſores jus non habuiſſe ſemper de majoribus cauſis ju-
„ dicandi, ſi ad ipſorum Sedem per appellationem deferren-
„ tur. Conſtat item Romanos Pontifices Concilia Oecumeni-
„ ca non ſemper convocaſſe: ſed Imperatores ſacros illos Ec-
„ cleſiæ conventus indixiſſe & congregaſſe, priorum Conci-
„ liorum Acta & Hiſtoriæ probant: an ex eo quis rectè colli-
„ get, poteſtatem juſque convocandi Concilia octo primis
„ Eccleſiæ ſeculis Pontifices non habuiſſe, ſed Imperatores?
„ jus Epiſcopos confirmandi & ordinandi Metropolitanos in
„ toto paſſim Occidente non exercuit Romanus Pontifex pri-
„ mis Eccleſiæ ſeculis, quemadmodum in Suburbicariis Pro-
„ vinciis exercebat; Epiſcoporum tranſlationes, diſpenſatio-
„ nes omnes, abſolutiones à peccatis quibuslibet quamvis
„ graviſſimis, inconſulto Romano Pontifice à Synodis Pro-
„ vincialibus, ab Epiſcopis, fiebant, permittebantur, conce-
„ debantur: an ideò ſequitur, Summum Pontificem jus non
„ habuiſſe totius Occidentis Metropolitanos ordinandi, Epi-
„ ſcopos confirmandi, abſolutionem à graviſſimis criminibus
„ ſibi reſervandi, tranſlationes Epiſcoporum permittendi in
„ cæteris Occidentis Eccleſiis, quemadmodum in Suburbica-
„ riis? Id certè non ſequitur; quia eodem jure Patriarchicæ
„ ipſius & Pontificiæ auctoritati omnes illæ Eccleſiæ ſubde-
„ bantur, adeòque nihil prohibebat quo minùs eamdem au-
„ ctoritatem in illis omnibus exerceret. Annatas Romani Pon-
„ tifices ante Bonifacium IX. aut certè ante Joannem XXII.

Art. 5. „ non exegerunt. Illas eodem modo non imperarunt: Epiſco-
§. 22. „ patus & Abbatias ab eo onere, quod temporarium eſſe vo-
„ luit, nec ultra triennium exigi, exceperat Joannes XXII.
„ ad Epiſcopatus illud extendit Bonifacius IX. In aliquibus
„ primùm Eccleſiis uſus Annatarum invaluit; reclamarunt
„ aliæ, Gallicana præſertim & Anglicana. Quæ in Conciliis
„ Conſtanſienſi & Baſileënſi hac de re habitæ ſint concertatio-
„ nes, Eruditi norunt. Doctores plerique conclamabant An-
„ natas Juri Naturali, Divino, Canonico, Civili repugnare: an
„ ideò conſequens eſt, Romanum Pontificem jus illud ad
„ omnes Eccleſias porrigere non potuiſſe? Non igitur ex con-
„ ſuetudine duntaxat de Summi Pontificis juribus ferendum
„ judicium eſt: non ex ſolâ pariter conſuetudine Regia jura
„ expendenda ſunt & aſſerenda.

56. RESP. Caveat Summus Pontifex, ne Regem Chriſtianiſſimum poſſe Regaliam ad Eccleſias liberas extendere, neget, quamvis in eis Jure illo nunquam uſus ſit; ne fortè jura omnia hîc enumerata ſuæ Sanctitati denegentur, cùm illorum exercitium in Hiſtoria primorum Eccleſiæ ſæculorum non ita evidenter appareat. At in tuto poſita eſt ex hac parte Summi Pontificis autoritas. Comparatio enim non benè quadrabit, donec decimæ, oblationes, reditus bonorum ſine hoc onere Eccleſiis datorum, nec non Beneficiorum collatio *pleno jure* à Deo vel expreſſè, vel implicitè Principibus conceſſæ oſtendantur; ſicut Chriſtum B. Petro, & in eo Romanis Pontificibus, oves ſuas paſcendas commiſiſſe, atque adeò quæcumque ad illud Officium eſſent neceſſaria præſtandi, facultatem tradidiſſe, ex Evangelio didicimus. Adde, quòd prædicta jura exercuit Summus Pontifex, licet alia aliis tardiùs, prout occaſio tulit, quædam primis jam temporibus, omnia à pluribus ſæculis;

culis; Rex verò noviter ſibi Regaliam vindicavit. Nullus Pontifex, hæc jura ſibi non competere, declaravit: Reges multi, ſe in aliquibus tantùm Eccleſiis Jus Regaliæ habere, declararunt. *Art. 5. §. 22.*

57. DISSERT. „ Regalia Regium Jus eſt. De ipſa ubi „ agitur, ubi de illius extenſione quæſtio eſt, ad unam con- „ ſuetudinem non eſt attendendum, ſed ad titulos fundamen- „ tales & inconcuſſos Juris illius, ſcilicet ad titulum Cuſtodiæ „ ac Defenſionis Eccleſiarum & bonorum Eccleſiaſticorum, ab „ earum fundatione Regibus competentem; ad leges Gallicas „ feudorum, quæ cùm temporales ſint & civiles, à ſolius „ Regis auctoritate pendet earum extenſio ad omnes Ditionum „ ſuarum provincias; ad ſupremum Regis Dominium in bo- „ na omnia temporalia ſuorum ſubditorum, & ipſarum Ec- „ cleſiarum. Quæ bona iis ſubjacent legibus, quas Reges tu- „ lerint, & in toto Regno ſervari voluerint. Porrò jus Cu- „ ſtodiæ ac Defenſionis omnium Eccleſiarum, & bonorum „ temporalium quæ Regum munificentiâ vel permiſſione „ poſſident, Regibus ab ipſarum Eccleſiarum fundatione com- „ petit. Supremum Dominium in ipſarum bona æque ac cæ- „ terorum ſubditorum ſuorum ſibi jure vendicant; feuda „ cùm poſſideant, ſubjacent legibus feudorum: cur itaque „ diverſo jure habeantur? Cur, cùm ad idem Regni corpus „ pertineant, ejuſdem reverentiâ Majeſtatis ac poteſtate con- „ tineantur, iiſdem legibus quoad temporalia & externam „ Politiam non regantur, ſicut iiſdem quoad ſacram Politiam „ adminiſtrantur?

58. RESP. Error eſt gravi cenſurâ notandus, quòd Regalia, præſertim quoad Beneficiorum abſolutam collationem, ſit Jus Regium, in eo ſenſu, ut Regi tanquam Regi compe-

 tat,

Art.5. tat, aut ut Rex propriâ autoritate poſſit eam ſibi in Eccleſiis
§. 22. tribuere. Iniquum ut omnes reditus Eccleſiaſtici & Beneficiorum curam animarum non habentium collationes Regi adjudicentur, ſub prætextu quòd Eccleſiæ aliqua feuda poſſideant, licèt in provinciis, in quibus generali feudorum lege Domini non habent uſum-fructum bonorum feudalium poſt mortem vaſſalli, poſita ſint. Nihil tam repugnat officio Cuſtodis ac Defenſoris, quàm ut fructus omnes uſurpet, quos cuſtodire ac defendere tenebatur; maximè cùm non alia præſtatur Eccleſiis opera, quàm quæ ſubditis omnibus à Principe debetur.

59. Sed quid intolerabilius, quàm quòd inter *leges Gallicas feudorum* recenſeantur uſus-fructus omnium bonorum Eccleſiaſticorum, etiam non feudalium, omnes reditus, etiam decimæ & oblationes, nec non omnium Beneficiorum curam animarum non habentium collatio *pleno jure*; & prætextu quòd leges feudales *temporales ſint & civiles, à ſolius Regis autoritate pendere earum extenſio ad omnes Ditionum ſuarum provincias* dicatur, niſi fortè id poſtularet univerſæ Reipublicæ bonum? Ecquis non videt, periculoſam in Regno perturbationem exorturam, ſi provinciarum jura, mores, inſtituta, legesque commutentur, & quæ in una provincia vigent, in aliam ab eis abhorrentem, intrudantur? Nonne *leges Gallicæ feudorum* & emphyteuſium vetant, ne quid oneris vaſſallo, & emphyteutæ adjiciatur, præter id quod in traditionis inſtrumento appoſitum eſt, aut appoſitum fuiſſe ex antiquâ conſuetudine vel ex certis documentis colligitur? Quo jure igitur in Aquitaniam, Occitaniam, Provinciam & Delphinatum de novo induceretur, ut mortuo vaſſallo Dominus fructûs feudi reliquorumque omnium ejus bonorum quamvis non feudalium

lium imò omnium ejus jurium exercitium ſibi tribueret? Porrò ſi pietas ac religio non ſuadet, ut mitiùs agatur cum Eccleſiis quàm cum hominibus ſæcularibus, obſtet ſaltem juſtitia, ne pejùs habeantur: & ſi bonorum temporalium Eccleſiæ, quamvis ſacrorum, non habetur ratio, parcatur ſaltem juri ſpirituali Clericos ad Officia & Miniſteria Eccleſiaſtica deputandi, quod certè inter leges feudales, præſertim cùm ſit *pleno jure*, neſcio quomodo ſine rubore conſcripſerit Theologus Catholicus. *Art. 5. §. 22.*

60. Nota disjunctionem illam, *vel permiſerint*. Ruinoſis ædibus quæ dum reſtaurare conaris, collabuntur, ſimile eſt hujus Diſſertationis ſyſtema. Videt interdum Diſſertator doctrinæ ſuæ defectus, (quis enim non videret) ſupplere conatur, ſed ſupplementa rimas dilatant. Sciebat maximam bonorum Eccleſiaſticorum partem, in illis præſertim provinciis, ad quas de novo extenditur Regalia, non fuiſſe à Regibus Chriſtianiſſimis datã, eoque nomine non poſſe ſuam Majeſtatem Eccleſiarum, dum vacant, fructus ſuos facere, ac Beneficia pleno jure conferre. Quamobrem alium titulum adjunxit, ſcilicet quòd Eccleſiæ bona ſua Regum Chriſtianorum *permiſſione poſſideant*. Sed quàm vanus ſit iſte titulus, quis non videt? Num enim quia Reges permittunt, ut Clerus decimas percipiat, quæ ipſi aſſignatæ ſunt, ut hac ratione qui altari ſerviunt de altari viverent juxta Divini Juris Statutum; pro hac permiſſione illorum Majeſtas decimas jure Regio percipiet, cùm vacaverit Sedes Epiſcopalis? Num etiam ſi de aliis bonis intelligatur ea permiſſio, quia ſinunt Principes, ut fideles ſuorum bonorum partem Deo, à quo cuncta acceperunt, reddant, vel ad Eccleſias conferant, eorum bonorum uſumfructum, vacante Sede, ſibi vendicabunt; quamvis amortizata

Art.5. tizata ſint, & amortizationis pretium ſit perſolutum? Olim
§. 22. pii Principes etiam propriis juribus cedebant, dum donationes ab eorum ſubditis in favorem Eccleſiarum fiebant. Modò ſuæ Majeſtati ſuadetur, ut onera inſolita bonis Eccleſiæ datis imponat: ita ſcilicet Regiam Majeſtatem ad pietatem inflammant ejus Conſiliarii, nec non Juriſperiti, & Theologi Aulici.

61. DISSERT. „Rerum ſimilitudo, parque ſubjectorum conditio, legis aut conſuetudinis, quæ vim legis habet, „ac legem in omnibus imitatur, (ut Theologi & Juriſperiti „docent) extendendæ ſufficiens ac legitima ratio eſt. Conſuetudo (inquit S. Antoninus I. P. Summæ Tit. 16. §. 2.) „*eſt ſimilium attractiva, ut in iis idem Jus inducat. Extra. De „conſuetudine. Cùm olim. Et diſt.* 11. *Quis neſciat. Et* §. *De „Legibus. L. De quibus.* . . . , *Sicut in Jure ſcripto proceditur de ſimilibus ad ſimilia, ita & in Jure conſuetudinario* (inquit idem Sanctus §. 3.) Hoc principio freti Chriſtianiſſimi „Reges, Jus conſuetudine & Gallicanis Canonibus ſuæ Majeſtati quæſitum, ut abſque eorum aſſenſu nullus ordinaretur Epiſcopus, utque ab ipſis donum Epiſcopatûs & temporalium Eccleſiæ bonorum Inveſtituram ac poſſeſſionem acciperet, ad omnes Eccleſias porrigebant, quæ ipſorum Ditioni ſeu armis ſeu aliis titulis ſubjiciebantur. Hoc principio freti, Regaliam ad eas extenderunt Provincias ac Diœceſes, quæ ad Monarchiam ſunt revocatæ, ſive ante Lugdunenſis Concilii celebrationem, ſive poſt.

62. RESP. Si à locis communibus argumentemur, aptiora nos pro Eccleſiarum libertate proferre poterimus, quàm Pater Alexander contra illam. Sufficiat hæc utriuſque Juris regula: *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad conſequen-*

ſequentiam ſunt trahenda. De Reg. Jur. in 6. Reg. 28. vel ut habetur ff. de Reg. Jur. Reg. 183. *Quod contra rationem juris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentiam.* Regalia enimvero à jure communi exorbitat, & contra rationem juris recepta eſt, ut ante probavimus. *Art. 5. §. 22.*

63. Sed omiſſis communibus, quamvis aptè rei, de qua eſt quæſtio, accommodari queant, immoremur in propriis Patris Alexandri verbis. *Rerum*, inquit, *ſimilitudo parque ſubjectorum conditio legis aut conſuetudinis. . . . . Extendendæ ſufficiens ac legitima ratio eſt. Primò*, *rerum ſimilitudo* non reperitur in extenſione Regaliæ ad Eccleſias liberas, & in ejus exercitio in Eccleſiis jam illi oneri obnoxiis. Nam cùm tota Regaliæ juſtitia, ſaltem ſi excipias uſum-fructum bonorum feudalium, à conſuetudine pendeat, cui tacitus Eccleſiæ conſenſus acceſſit; diſſimilis eſt cauſa Eccleſiarum, quæ ex antiquâ conſuetudine jam tempore Concilii Lugdunenſis Regaliæ ſubjacebant, & earum in quibus neque ante Concilium, neque poſt, Regaliæ uſus viguit. Concilium Lugdunenſe Regaliam quoad primas toleravit, ad ſecundas extendi vetuit. Secundò, non eſt par *ſubjectorum ratio*: Eccleſiæ enim Regaliæ obnoxiæ in provinciis juris conſuetudinarii ſitæ ſunt, in quibus leges feudales Domino uſum-fructum feudi vacantis adſcribunt, quâ occaſione in illas inductus eſt Regaliæ uſus: Eccleſiæ liberæ provinciis juris ſcripti continentur, in quibus mortuo vaſſallo Dominus fructus non facit ſuos.

64. Dissert. „Ad Eccleſias Aquitaniæ ante Lugdu-
„nenſis Concilii tempus extenſa erat, ut teſtatur Durandus
„Speculator Commentar. in Lugdun. Concil. Canones Cap.
„11. ad verbum, *uſurpare.*

65. Resp. Contrarium docet eo loco Durandus. En verba

Art. 5. §. 22. ba Concilii: *Regalia, Cuſtodiam ſive Guardiam, Advocationis titulum, in Eccleſiis, Monaſteriis ſive quibuslibet aliis piis locis de novo uſurpare conantes.* En Commentarius Durandi: *De novo uſurpare præmiſſa intelligitur, qui ea priùs non habuit à tanto tempore citrà de cujus contrario memoria non exiſtit, ut de verb. ſignif. C. 1. & C. Quid per novale, & C. Univerſis; ſicut patet in exemplum in Eccleſiis Aquitaniæ, in quibus* HODIE *Regalia uſurpatur.* An illa vox, *hodie*, triennio poſt Concilium Lugdunenſe ſcripta, ſignificat tempus præcedens illud Concilium?

66. DISSERT. „ Ad Eccleſias Britanniæ extenſa fuit, poſtquàm Reges eam Provinciam ad ſuam Ditionem revocarunt, „ quod anno 1532. factum. Cardinalis Oſſatus Epiſtola 133. „ data Romæ die 5. Decembris anni 1601. etſi Regaliam in „ Britannia locum non habere primùm contendat, in eamque „ rem & Regeſtum Cameræ computorum, & conſuetudi- „ nem, & Gallos Juriſconſultos appellet, fatetur nihilominus Regem *novis occaſionibus* ſtatuere poſſe, ut Regalia in eis „ etiam Eccleſiis locum habeat, ſicut contra Nannetenſem „ Epiſcopum præjudicatum fuerat à Senatu Pariſienſi anno „ 1598. jure id facturum Regem: extenſionem illam Regaliæ contra conſuetudinem quidem fore, non tamen contra „ jus & æquitatem. At eo caſu vacantium Epiſcopatuum reditus ad Canonicos Sanctæ Capellæ Pariſienſis pertinere negat „ vi antiquæ conceſſionis ipſis factæ. Fatetur etiam Vir Maximus, Regaliam pari jure ad omnes Eccleſias Gallicanas à „ Rege Chriſtianiſſimo extendi poſſe. Verba ejus ſubjicio: „ *Les fruits des Evechez vacans, auſquels contre la coûtume ancienne on ètendroit le Droit de Regale, à laquelle ils n'étoient „ ſujets aucunement, n'appartiendroit point à ladite Sainte Cha-*

„ *Chapelle en vertu de l'ancienne Conceſſion qui leur fut faite par* *Art.* 5.
„ *nos Rois, n'étant & ne devant eſtre compris en ladite Conceſſion* §. 22.
„ *les Evechez auſquels on a depuis étendu, ou etendra-on cy apres*
„ *le Droit de Regale : ce qui eſt tout clair & certain de droit. Et*
„ *de fait, ſi on étendoit la Regale à tous les Evechez de France,*
„ COMME ON LE POURROIT FAIRE DE DROIT AUSSI BIEN
„ QU'ON LE VEUT FAIRE A CEUX DE BRETAGNE, *la*
„ *Sainte Chapelle auroit plus de revenu, que n'auroient deux ou*
„ *trois des meilleurs Evechez ou Archevechez de France.*

67. RESP. Ut Cardinalis Oſſati ſententia quæ primâ facie ſubobſcura videtur, clarè perſpiciatur, paulò diligentiùs eſt explicanda. Duo contendit in hac Epiſtola Illuſtriſſimus Purpuratus. Primum, Regaliam in Eccleſiis Britanniæ locum non habere : ſecundum, etiamſi Regalia in illis Eccleſiis locum haberet, vacantium fructus à Canonicis ſacræ Regiæ Capellæ non eſſe percipiendos. Primo validiſſimè probato concludit : *Voyla donc comme la Regale n'a lieu en Bretagne, & n'y en doit point avoir.* Id eſt : „ Vides ergo Regaliam in Britan- „ nia non habere locum, nec habere debere. Alterum probat, tum quia ſecundùm jura, in donatione fructuum Eccleſiarum vacantium, non poterant intelligi, niſi Eccleſiæ, in quibus Rex ejuſmodi fructus percipere ſolebat, ac in quibus locum habebat Regalia, tempore quo facta eſt donatio; tum quia ſi Regalia ad omnes Eccleſias extenderetur, & omnium fructus ſacræ Capellæ Canonici tempore vacationis ſuos facerent, unicum illud Capitulum Collegiatum pluribus afflueret reditibus, quàm duo treſve Epiſcopatus, vel Archiepiſcopatus ex pinguioribus Franciæ. Hoc autem conſequens abſurdum eſt; nec veriſimile videtur, Reges Chriſtianiſſimos, dum Regaliarum fructus ſuæ Capellæ attribuerunt, voluiſſe ut Capitu-

Art. 5. pitulum illud immenſis propemodum divitiis abundaret. Ne
§. 22. ergo abſurdum illud conſequens admitteretur, neganda erat ſuppoſitio antecedentis, quòd ſcilicet uſum-fructum vacantibus Sedibus ſibi vendicare poſſet in omnibus Regni Eccleſiis. Quamobrem ſuppoſitionem probat paritate rationis: ***Comme on le pourroit faire de droit, auſſi bien qu'on le veut faire à ceux de Bretagne.*** Id eſt: „ Quod jure fieri poſſet, quemadmo„ dum in Britannicis tentatur. Quorum verborum vis hæc eſt: ſicut in Eccleſiis Britanniæ Regaliam uſurpare volunt, pari ratione eodemque jure in alias omnes Eccleſias poſſent eam inducere; unde ſequeretur abſurdum ſuprà dictum.

68. Itaque non examinat hîc Cardinalis Oſſatus, an Regalia juſtè poſſet ad omnes alias Eccleſias extendi. Hoc enim ad propoſitum ſuum in ſecundo puncto non pertinebat. Satis ei erat ex ſuppoſitione de facto poſſibili ratiocinari contra Canonicos ſanctæ Capellæ, anno 1601. repetentes fructus qui ex Eccleſia Redonenſi anno 1596. vacante provenerant, quoſque prædictus Oſſatus perceperat, cùm ad eam fuerat promotus; ac demonſtrare conceſſionem fructuum Eccleſiarum vacantium & Regaliæ obnoxiarum à Regibus ſanctæ Capellæ factam, ad Eccleſias de novo Regaliæ ſubjiciendas nequaquam extendere debere. Nam juris quæſtionem tractaverat in primo puncto, & confirmaverat, Regaliam in Eccleſiis Britanniæ locum non habere, ac concluſerat, ut ſuprà diximus, circa factum & circa jus ſimul: ***Voyla donc comme la Regale n'a lieu en Bretagne, & n'y en doit point avoir.*** Id eſt: „ Vides ergo „ Regaliam in Britannia non habere locum nec habere debere. Conſtat itaque ex Cardinalis Oſſati autoritate, Regaliam in omnibus Eccleſiis tunc, id eſt, anno 1596., locum non habuiſſe, neque habere debuiſſe.

69. At

69. At viſum eſt Patri Alexandro, hæc verba; *comme on* *Art.5.*
le pourroit faire de droit. „ Quod jure fieri poſſet, Lectori- *§. 22.*
bus ſuaſura, Cardinalem Oſſatum agnoviſſe jus extendendi Regaliam ad omnes Eccleſias. Verùm non animadvertit, hæc verba non eſſe abſolutè dicta, ſed comparativè ad Eccleſias Britanniæ: & ex illis colligi tantùm juxta ejus Cardinalis mentem, Regios Officiarios, ſeu ſanctæ Capellæ Canonicos poſſe in alias omnes Eccleſias liberas, licèt de illis tunc non cogitarent, vel ſaltem cogitationem non ſignificarent, eodem jure Regaliam inducere, quo tum conabantur eam in Eccleſia Redonenſi uſurpare; hoc eſt nullo jure, quandoquidem juxta prædictam Purpurati concluſionem, Regalia non ſolùm locum non habebat, ſed nec habere debebat in Eccleſiis Britanniæ.

70. DISSERT. „ Eâdem ratione ad omnes, Regni Di„ tionumque ſuarum Eccleſias quæ oneroſo titulo non ſunt „ exemptæ, Regaliam extendere ſe poſſe LUDOVICUS MA„ GNUS judicavit, cauſâ per Conſiſtorianos Comites Juris „ utriuſque peritiſſimos, & æquitatis laude celeberrimos ma„ turè & accuratè diſcuſſâ: quod iidem tituli ad Regaliæ Jus „ exercendum in omnibus Eccleſiis ejus Majeſtati ſuffragentur, „ ſcilicet Jus Cuſtodiæ ac Defenſionis, ac Feudorum ſimilis „ conditio, in qua Jus Regaliæ Philippus Pulcher fundatum „ meritò propugnabat in Literis ad Archiepiſcopum Senonen„ ſem & Epiſcopum Autiſſiodorenſem datis, quarum hæc ſunt „ verba: *Sicut Feodus vaſſallo vacans, interim cum ſuis rediti„ bus à Domino licitè occupatur & propter defectum hominis, ut „ vulgari patriæ noſtræ verbo utamur*, DE JURE ET GENERA„ LI CONSUETUDINE REGNI NOSTRI, *per Dominum, quouſ„ que ſuperveniat perſona quæ illi ſerviat, licitè detinetur; ſic*

Art. 5 „ *Nos & noſtri Anteceſſores, vacante Eccleſia Carnotenſi, &*
§. 22. „ *temporalem Juriſdictionem, & bona temporalia accipimus, & noſtros facimus omnes fructus qui proveniunt ex iiſdem. Non ſolùm autem noſtram poteſtatem in bonis Epiſcopalibus exercemus; imò bona temporalia Præbendarum & Dignitatum, ſive ſit Juriſdictio temporalis, ſive alia bona temporalia quæ poſſint ad aliquem pertinere, cum vacante Præbendâ vel Dignitate concedimus, & de eis, prædicto tamen modo, diſponimus noſtro Jure.*

71. RESP. Non ita jurium Regiorum negligens erat Philippus Pulcher, ut ſi ratione cuſtodiæ ac feudorum Regaliam in omnibus Regni ſui Eccleſiis ſibi competere noviſſet, eam Ordinatione ſuâ an. 1302. datâ in aliquibus tantùm Eccleſiis ſibi vendicaſſet; nec fructus Eccleſiæ Pictavienſis tempore vacationis à ſuis Officiariis uſurpatos anno 1306. novo Epiſcopo reſtitui præcepiſſet: neque anno 1303. in Literis patentibus, quas iterum anno 1310. confirmavit, dixiſſet: *Item nolumus quòd gentes noſtræ occupent Regalia Eccleſiarum Provinciæ Narbonenſis.* Quod igitur hîc ait, de jure & generali conſuetudine Regni ſui eſſe, ut Dominus fructus feudi vacantis perciperet, accipiendum eſt de provinciis juris conſuetudinarii, in quibus poſt mortem vaſſalli feudum recipiebat, fructuſque faciebat ſuos, & in quibus ſolis Regalia locum obtinuit. Certum enim eſt, atque adeò notorium, ut neminem fore exiſtimem, qui neget, Jus Relevii, ſeu fructus feudorum vacantium, deficiente vaſſallo, percipiendi in Septimania aliiſque provinciis juris ſcripti, quarum Eccleſiæ noviter per Edictum Regium Regaliæ ſubjectæ ſunt, locum non habere. Quanquam ſi haberet, id nequaquam ſufficeret ad exercendam in illis Regaliam, deficiente nimirum *conſuetudine*, factâque bonorum omnium amortizatione.

72. Dis-

72. DISSERT. „ Denique privatorum quorumdam Ju- *Art.5.*
„ riſconſultorum opiniones contra Jus Regium fruſtrà profe- §. 22.
„ runtur (inquiunt Regii Magiſtratus.) Scripſerunt Ruzæus,
„ Probus, Paſquierius, Protopræſes Magiſter, Chopinus, pri-
„ vato nomine & ingenio, non ex ſententia Senatûs: ſcripſe-
„ runt quæſtione de Regaliæ Jure nondum plenè diſcuſſâ, non-
„ dum eliquatâ veritate: conſuetudinem magis, quàm Regii
„ Juris fundamenta examinarunt.

73. RESP. Numquid Senatus Pariſienſis ante Ruzæum, Probum, Protopræſidem Magiſtrum & Chopinum qui ſæculo proximè elapſo ſcripſerunt, vel Paſquierium, qui illos ſubſecutus eſt, Regaliæ cauſam non diſcuſſerat? Nullumne eâ de re tulerat Arreſtum, ut illi *privato ingenio, & non ex ſententia Senatûs ſcripſiſſe* dicantur? Quid igitur ſibi volunt Arreſta, quid Edicta Regia, quorum vim elidere hoc in paragrapho Diſſertator enititur? Quænam Regii Juris fundamenta ab ipſis non examinata, recenter detecta ſunt?

74. DISSERT. „ Cæterùm & ante Declarationem
„ Chriſtianiſſimi Regis anno 1673. editam, Juriſconſulti
„ Magiſtratuſque doctiſſimi, Guido Faber, Pibracius, Servi-
„ nus, Bignonius, in ſupremo Senatu Advocati Catholici, Sena-
„ tus univerſus, Magni Conſilii Patres, Conſiſtoriani Comites;
„ & poſt Declarationem quotquot de re Beneficiariâ ſcripſère,
„ vel in Senatu dixêre, Jus Regaliæ Regium eſſe, ad Coro-
„ nam pertinere, ad omnes Eccleſias, quæ oneroſo titulo non
„ ſunt exemptæ, abſque diſcrimine porrigi propugnarunt. Id
„ propugnant omnes quotquot Jus Gallicum noverunt.

75. RESP. Quâm antiquos nobis profert Autores Diſſertator? Quâm non ſuſpectos de quæſito proprio commodo teſtes? Pibracius primus, licèt irrito conatu, ut notat Paſquie-

 rius,

Art.5. rius, tentavit ſub finem proximè elapſi ſæculi Regaliam in
§. 22. omnes Eccleſias invehere. Cur ei aut ſequentibus Advocatis Regiis, vel novis Juriſconſultis & Theologis, quos meritò prædictus Paſquierius adulatores Aulæ appellat, potiùs aſſentiemur, quàm antiquis Advocatis Regiis, conſuetudine tantùm ac poſſeſſione Jus Regum Chriſtianiſſimorum defendentibus, aut Regaliſtis minùs ſuſpectis, quorum multi, cùm Regiis officiis fungerentur, ad tuenda jura Regia erant obſtricti?

76. Inprimis Paſquierius celeberrimus cauſarum patronus in Parlamento Pariſienſi, & Advocatus Regius erat in Camera computorum, atque adeò Jus Regis Chriſtianiſſimi circa Regalia ignorare non poterat, eaque tueri ad proprium ipſius & officium & commodum pertinebat; cùm enim autoritate illius Cameræ reciperentur fructus Eccleſiarum vacantium & Regaliæ ſubjectarum, atque apud illam redderentur earum rationes, atque adhuc in Regeſta ejus referenda eſſent juramenta fidelitatis ab illis Epiſcopis præſtita, quorum Eccleſiæ Juri Regaliæ ſubjacebant, plurimùm creviſſent Regiorum in illa Curia Officialium emolumenta, ſi Regalia fuiſſet ad omnes Eccleſias porrecta. Attamen Advocatus ille Regius veritatem cupiditati præferens opinionem quæ Regi Chriſtianiſſimo Regaliam in omnibus Eccleſiis tribuebat, erroneam declaravit, ejuſque ſectatores adulatores Aulæ appellavit.

77. Eadem jura & tueri debuerat, neque ignorare potuerat Ægidius le Maiſtre in Senatu Pariſienſi, in quo lites circa Regaliæ uſum emergentes ex antiquâ conſuetudine tractantur, primò Cauſidicus, tum Advocatus Regius, deinde Protopræſes. In eodem Senatu Conſiliarius erat Ruzæus, Præſes Guimerius, Gloſſæ Pragmaticæ Sanctionis, ut vulgò creditur, Autor; Præſes item Joannes de Selva.

78. Re-

78. Regius apud Cenomanos Procurator erat Joannes Feraldus qui Tract. de Juribus & Privilegiis Regni Francorum, Privilegio 5. & Decretum Concilii Lugdunenſis de Regaliâ intelligit, & Jus illud ad certas Eccleſias reſtringit his verbis: *Quintum Jus Liliorum eſt, quod Rex in Eccleſiis capit Regalia: & eſt hoc approbatum in Decreto Baſileenſi. Tit. de Anna. verſi. Item quod dicta quinta pars. Et in his tuentur qui antiquâ conſuetudine uſi ſunt C. Generali ex de electi. lib. 6. ſpecialis eſt allegatio Spec. Tit. de Legato §. Nunc tractemus verſi. Sed numquid legatus, dum ſpecialiter loquitur de Rege Franciæ, & ejus Jure vendicandi in quibuſdam Eccleſiis vacantibus collationem Beneficiorum ad illas ſpectantium: & quòd illo tempore etiam temporalia illarum Eccleſiarum recipit. Et benè dicit Speculator,* QUIBUSDAM ECCLESIIS: *& ſunt illæ Eccleſiæ, ut ex Regeſtris Parlamenti & computorum accepi, ſcilicet in Archiepiſcopatu Remenſi* &c. Art. 5. §. 22.

79. In Senatu Burdegalenſi primùm, ac deinde in Senatu Toloſano Senator fuit Gullielmus Benedictus, qui in Repetitione in cap. *Raynutius.* De Teſtam. v. *& uxorem.* Deciſ. 2. n. 78. ſcripſit his verbis: *Quo jure in dictis Eccleſiis Regaliæ ſubjectis, ſecundùm aliquos dat licentiam eligendi Pontificem, priùs ei denuntiatâ morte Prælati juxta plenè dicta per Panormit. in cap. 1. & cap. Cum terra. De elect. Et pendente vacatione Eccleſiæ facit Rex fructus ſuos atque Beneficia confert ad collationem Epiſcopi pertinentia, tamen non curata:* SED IN ALIIS ECCLESIIS HOC JUS REGES NON HABENT, LICET PONTIFICALES SINT ET SITÆ IN REGNO.

80. Non eſt etiam veriſimile, jura Regia fuiſſe vel ignorata vel imminuta à Juris Profeſſoribus in Academiis Franciæ. Præter Ruzæum in Academia Bituricenſi, & Benedictum in

Ca-

Art. 5. Caturcenſi, Franciſcus Duarenus in Academia Bituricenſi
§. 22. Regius Profeſſor, de ſacris Eccleſiæ Miniſteriis libro ſeptimo, cap. ultimo, ſic ſcribit: QUÆDAM SUNT IN GALLIA CATHEDRALES SEU EPISCOPALES ECCLESIÆ, *quibus Rectore Paſtoreque deſtitutis, ſi quæ Beneficia interim vacaverint, dum aliquis in demortui Pontificis locum ſuffectus fuerit, Rex noſter jure ſuo, ſed certo quodam modo ea confert, ac diſtribuit.... Idque Jus Regalia vulgò appellatum, ſingularia quædam præcepta habet: de quibus variis in locis hujus Tractatûs noſtri differemus. Cap. Generali de electio. in 6. .... Jus Regaliorum quo nunc utitur* IN QVIBUSDAM TANTUM ECCLESIIS.

81. Antonius Fabricius Bleynianus in Academia Valentiniana Profeſſor lib. 1. in Theor. & Prax. Benef. Eccleſiaſt. tit. 9. num. 38. & 39. ait: *Quod verò attinet ad amplitudinem* (Regaliæ) *ea ex circumſtantiis rerum*, LOCORUM, *modorum, & temporum dependet. Rerum inquam, quia non ſolùm fructus naturales temporalium, pro quibus, ab Eccleſiaſticis recognoſcitur Princeps, Juri Regaliæ cedunt, verùm etiam civiles. Imò &* INTERDUM *provenientes ex ſpiritualibus, ſive annexam habentibus ſpiritualitatem: hoc enim in decimis oſtendit Chopinus in dic. lib. 2. de Privileg. Ruſtic. par. 1. C. 11. ar. 4.* Videri etiam poteſt Ragueau in Academia Bituricenſi juris Profeſſor in Indice jurium Regiorum verb. *Droit de Regale.*

82. Chopinus celeberrimus in Parlamento Pariſienſi Advocatus, non litem inſtruebat, ſed librum componebat, dum lib. 2. de Domanio Franciæ num. 5. ſcripſit: *Haud omnes tamen ſacræ Diœceſes ſunt Regalibus obnoxiæ, ſed eæ ſolæ, in quibus initio uti illo Jure conſueverint* &c. Et num. 6. *In aliis quibuſdam Eccleſiis certo modo coarctata ſunt Regalia, iiſque anguſtis finibus, ut profanorum duntaxat perceptiones redituum com-*

complectantur, non etiam collationes ſacrorum Beneficiorum. Art. 5.
Eamdem doctrinam fuſiùs tradit, lib. 1. de ſacra Polit. tit. 7. §. 22.
Idem de aliis Cauſidicis Regaliam ad certas Eccleſias reſtringentibus ſentiendum.

83. Denique cùm hîc tractemus de materia, quæ vel omninò, vel ſaltem longè majori ſui parte, Eccleſiaſtica eſt, & de qua jam pridem tam ſolemne in Concilio Lugdunenſi præjudicium factum eſt: cur Pontificis ejus Concilii Decretum hactenus obſervatum, novè violari prohibentis autoritas tam parvi erit momenti, ut non credamus, Regem Chriſtianiſſimum, eliquatâ meliùs veritate, Declarationem ſuam revocaturum, & ad Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones conformaturum, eoque juſtitiæ ac religionis actu ſuorum Officiariorum injuſtitiam correcturum, modernoſque Theologos, & Juriſconſultos Patri Alexandro conſentientes, tum ad ſanam doctrinam redituros?

84. DISSERT. „ Sicut ergo de quibuſdam quæſtionibus „ graviſſimis vel Eccleſiæ diſciplinam, vel fidem ſpectantibus, „ privati quidam Doctores ac Theologi aliter ſenſere quàm „ poſtea definitum ſit ab Eccleſia, nondum eliquatâ veritate, „ nec tamen eorum opiniones adverſùs Conciliorum &. „ Summorum Pontificum Decreta vim ullam habent; ſed „ Theologi omnes fideleſque in ſententiam Eccleſiæ concedunt, „ poſtquam Spiritus Sanctus per eam locutus eſt: ita „ proportione ſervatâ, Juriſconſulti Galli de Juris Regaliæ „ extenſione variè opinati ſunt, antequam Regii juris fundamenta, „ tituli que Eccleſiarum, quæ ſe exemptas contendebant „ plenè diſcuterentur: at iis examinatis, diſceptatâ „ quæſtione, cauſâ contradicto judicio finitâ: poſtquam „ Jus Regaliæ univerſale, & ad omnes Regni Ditionumque

Art.5. „ ſuarum Eccleſias porrigi Rex Chriſtianiſſimus Declaratione
§. 22. „ ſeu Lege latâ edixit, in eam ſententiam non ſolùm Galli quotquot ſunt Juriſconſulti, ſed fideles omnes Majeſtatis ejus ſubditi ſummo conſenſu conſpirant. Sic Regii Magiſtratus & Juriſconſulti noſtri diſſerunt ac reſpondent.

85. RESP. Claudicat omnino comparatio hîc facta; niſi falsò ſupponatur, nullum hactenus Regem Chriſtianiſſimum, neque Senatum, declaraſſe, Regaliam in aliquibus tantùm Eccleſiis locum habere, aut Officiarios Regios, alioſque Scriptores Regaliæ materiam negligenter tractaſſe. Id quidem, quod à privatis Doctoribus vel ex occaſione, vel etiam poſt accuratum examen de rebus ad fidem & mores pertinentibus ſcriptum eſt, ab Eccleſia ſæpè reſpuitur, vel emendatur; ſed poſtquam diſcuſſæ ſunt quæſtiones Juris, præſertim Divini aut naturalis, & ab Eccleſia definitæ, ſententia ampliùs non immutatur: quæſtio autem Regaliæ multoties examinata eſt, tum à Regibus, tum à Senatu, antequam ederentur Conſtitutiones, aut Senatusconſulta ſuprà relata, & multoties in favorem libertatis Eccleſiarum definita. An autem temerè & non eliquatâ veritate Eccleſia in Concilio Lugdunenſi IJ. generali, præſentibus per ſe vel per legatos cunctis ferè Principibus Chriſtianis, Decretum edidit, vetans ne Regalia ultra limites antiquos produceretur? Cur ergo tot tamque ſolemnibus definitionibus in hac materia non ſtabitur?

81. Si uſurpanda eſt comparatio à Patre Alexandro inſtituta, cùm omnium Catholicorum communis ſit conſenſus, in materia fidei ac morum, inquirendam ſemper eſſe antiquitatis traditionem, omnemque novitatem falſitatis ſuſpicione laborare: cur ſimiliter in materia Regaliæ, quam nonnulli, ut

ut Chopinus lib. 1. de ſacra Politia tit. 7. num. 9. & Papo in *Art.6.*
collectione Arreſtorum notabilium lib. 2. tit. 3. art. 1. Traditionibus ad fidem ſpectantibus comparant, nulla habebitur antiquitatis ratio? Quare Jus, quod ab uſu & conſuetudine pendere communiter aſſeritur, ex recentiorum effatis potiùs, quàm ex antiquorum ſententia penſandum erit? *§. 1.*

ARTICULUS SEXTUS.

An Regaliæ uſus Æquitati & Libertati Eccleſiarum repugnet?

§. PRIMUS.

Reſumuntur quæ in favorem Regaliæ dicta ſunt.

1. DISSERT. „ Grave eſſe Eccleſiæ quòd Reges „ Chriſtianiſſimi Jure ſuo utantur: æquitati re„ pugnare, quod legitimis titulis quæſitum ac „ fundatum eſt; quod à Romanis Pontificibus, & „ ab Eccleſia approbatum, quod à religioſis ſanctiſque Prin„ cipibus frequentatum eſt: Eccleſiæ libertati adverſari quod „ Eccleſiæ Protectoribus ac Benefactoribus in grati animi ſigni„ ficationem, & ad ampliorem protectionem promerendam „ tributum eſt, nemo ſanæ mentis dixerit. Porrò Jus Rega„ liæ legitimis fundamentis tituliſque niti, ac Regibus Chri„ ſtianiſſimis quæſitum eſſe, ab Eccleſia & Summis Pontifici„ bus approbatum, à piiſſimis ſanctiſſimiſque Principibus exe„ cutioni mandatum, à Chriſtianæ Monarchiæ exordiis Re„ giæ Majeſtati congenitum, duodecim ſeculorum conſuetu-

Art.6. „ dine uſuque firmatum ; ſuperioribus Articulis oſtendimus.
§. 1. „ Nunc tamen ſpeciatim demonſtraturi ſumus, quòd æquitati ac Eccleſiæ libertati non repugnet,nihilque grave aut odioſum in ſe habeat. Porrò cùm duobus conſtet auguſtum „ illud Jus, perceptione fructuum, & collatione Beneficiorum in Eccleſiis vacantibus, de utraque breviter dicendum eſt.

2. Resp. Judicet Lector, an quæcumque hîc congerit P. Alexander, *ſuperioribus Articulis oſtenderit*. Rectè quidem concluderet, *Regaliæ uſum æquitati non repugnare* : ſi oſtendiſſet in ejus exercitio, *Reges Chriſtianiſſimos Jure ſuo* tantùm uti : illud Jus *legitimis titulis quæſitum ac fundatum eſſe* &c. Fortè etiam ſequeretur, Regaliam non eſſe odioſam ſi probatum fuiſſet, illam Regibus Chriſtianiſſimis tanquam *Eccleſiæ Protectoribus ac Benefactoribus in grati animi ſignificationem, & ad ampliorem protectionem promerendam tributam eſſe.* Sed principium petitur, cùm hæc ſupponuntur. Quòd autem Regalia primigeniæ *libertati Eccleſiæ non repugnet*, captu difficillimum eſt.

3. Sophiſma ad minus eſt, quod Dialectici *à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter* appellant, cùm Diſſertator, quæ ex parte vera ſunt quoad aliquas Eccleſias, generatim ac de omnibus affirmat. Agitur, ut ipſe ab initio declaravit, de extenſione Regaliæ ad Eccleſias, in quibus locum non habebat ; & quæcumque de aliquibus Eccleſiis Regaliæ obnoxiis dicta reperit, de aliis etiam, quæ antiquitùs ab hoc onere liberæ ſunt, accipi vult : quod quàm injuſtum ſit, abunde demonſtravimus ; nec Lectori faſtidium repetitione creandum eſt.

§. SE-

§.° SECUNDUS. *Art.6. §. 2.*

Comparatur Jus Regaliæ cum jure Viſitarorum, & cum Commendis ac Deportibus.

1. DISSERT. „ Et quidem quod ſpectat uſum-fru-
„ ctum bonorum Eccleſiæ vacantis, nihil ab æqui-
„ tate alienum continet. Epiſcopis Viſitatoribus
„ antiqui Canones honorarium ratione laboris de-
„ creverunt, ut conſtat ex Concilio Toletano IX. Can. 9.
„ portionem fructuum quam ſuperſtes Epiſcopus habuiſſet,
„ ipſis tribui voluit S. Gregorius Magnus, ut probant ejus
„ Epiſtolæ ad Petrum Tricalitanum Epiſcopum, Agrigentinæ
„ Eccleſiæ Viſitatorem inſtitutum, quæ eſt 12. libri 4. ad Leon-
„ tium Epiſcopum Ariminenſis Eccleſiæ Viſitatorem, quæ eſt
„ 42. ejuſdem libri, ad Conſtantium Epiſcopum Panormita-
„ num, Tarracinenſis Eccleſiæ Viſitatorem, quæ eſt 75. libri
„ ſeptimi. Porrò ſi portio illa fructuum Eccleſiæ vacantis Epi-
„ ſcopis Viſitatoribus, qui poſſeſſionum Eccleſiaſticarum cu-
„ ſtodiæ invigilabant, juſtè attributa eſt; quis Reges Chri-
„ ſtianiſſimos ratione cuſtodiæ ac defenſionis quam Eccleſiis
„ vacantibus earumque bonis impendunt, Jus fruendi rediti-
„ bus earumdem Eccleſiarum vacationis tempore habere infi-
„ ciabitur? Æquum eſſe ut qui vacantium Eccleſiarum curam
„ gerunt, earum reditibus interim fruantur, Commendarum
„ & Deportuum origo confirmat. Vacantes Eccleſiæ aut Ab-
„ batiæ, Epiſcopis, aliiſve Prælatis ad tempus commendatæ.
„ Cupiditas perpetui redituum uſus-fructûs perpetuas Benefi-
„ ciorum Commendationes effecit Et ne idem forte in Paro-

 chiali-

Art. 6. „ chialibus Eccleſiis contingeret, variis in locis annuus reditus
§. 2. „ vacantium Parochiarum Epiſcopis aut Archidiaconis attri-
„ butus eſt. Porrò ſi Commendatariis & Archidiaconis ob
„ vacantium Eccleſiarum cuſtodiam fructus vacationis tempo-
„ re provenientes ſunt attributi; æquum erat ut Regibus ra-
„ tione potentiſſimæ cuſtodiæ, & Eccleſiis utiliſſimæ conce-
„ derentur.

2. RESP. Ex Viſitatorum, Archidiaconorum, & Commendatariorum exemplo rectiùs probaretur, Regem Christianiſſimum non habere Jus Regaliæ, in Eccleſiis, maximè hactenus liberis. Si enim Viſitatoribus, Archidiaconis, & Commendatariis, qui curam ſpiritualem Eccleſiarum vacantium gerebant, portio duntaxat fructuum ab Epiſcopo percipi ſolita, ſecundùm aliquos Canones; ſecundùm alios autem *ſola humanitas*, id eſt moderata expenſa tribuebatur: quâ juſtitiâ Regi Chriſtianiſſimo univerſi fructus aſſignabuntur, qui nec ſpiritualia officia exequi poteſt, nec cuſtodiam bonorum temporalium per ſe ſuſcipit? Nonne integer uſus-fructus ad Capitula potiùs pertineret, quæ ſecundùm Canones Prælato ſuccedunt in adminiſtratione tam ſpirituali, quàm temporali Eccleſiæ: quanquam ex eo tempore, quo Officiarii Regii vel ſacræ Capellæ Canonici de Regaliâ in omnes Eccleſias inducendâ cogitarunt, temporalia Eccleſiarum vacantium in provinciis ab eo onere liberis, autoritate Principis reguntur & ab Oeconomis laïcis adminiſtrantur; contra praxim antiquam, pluribus Arreſtis, quæ tum in Regeſtis Curiarum extant, tum à variis Scriptoribus, ut Ægidio Magiſtro, Paſquierio, Chopino, edita ſunt, confirmatam. Ita ſuprà vidimus, Capitulum Burdegalenſe Arreſto lato an. 1277. adverſùs Regem Angliæ in cuſtodia illius Eccleſiæ fuiſſe manutentum; ita Arreſto an.

an. 1485. dato, & in Stylo Parlamenti Pariſienſis parte 7. re- *Art.6.*
lato, adminiſtratio Eccleſiæ Appamienſis vacantis, ſeu de §. 2.
cujus poſſeſſione erat controverſia, ejus Eccleſiæ Capitulo adjudicata fuit: ita Arreſto à Chopino de ſacr. Polit. lib. 2. tit.7. num. 16. exſcripto, Eccleſiæ Lemovicenſis adminiſtratio temporalis aſſerta fuit ejus Capitulo. Alia ejuſmodi Arreſta memorantur in Arreſto dato 12 April. 1651. quod habetur inter Acta Cleri Gallicani tom. 2. part. 2. tit. 6. num. 13.

3. At, inquies, Rex Chriſtianiſſimus omnes Regni ſui Eccleſias tuetur: illi ergo debentur earum fructus. Pari ratione tribuendi ſuæ Majeſtati eſſent totius Ditionis ſuæ fructus, quia omnes ſuos ſubditos, eorumque bona, tueri, atque ab injuriis ſceleratorum tenetur vindicare. Adde, quòd indignum eſſet Regiâ Majeſtate, operam ſuam Eccleſiis locare. Ac ſi ad illud commercium ſeſe demitteret, cùm merces operæ ſit exæquanda, exigua admodùm portio fructuum, Regiæ cuſtodiæ quæ nullo eget labore, nulloque ſumptu, reſponderet. Quâ enim Regis Chriſtianiſſimi operâ indigent Eccleſiæ vacantes; niſi, ut, ſi aliqua contentio ſuboriatur adverſùs illas, à Regiis Judicibus expediatur? Cùm autem id contingit, ita Eccleſiis jus gratuitò non redditur, ut Judices pinguiora ſoleant, in dandis circa controverſias Eccleſiaſticas judiciis, ſalaria ſeu honoraria exigere.

4. Nec dicas, ſuam Majeſtatem Oeconomos in illis etiam Eccleſiis conſtituere. Nam præterquam quòd id non tam favor, quàm onus eſt, ſæculo tantùm ſuperiori contra Capitulorum jus invectum in Eccleſias à Regaliâ liberas, ut modò obſervatum eſt, ea Oeconomi opera non eſt tanti æſtimanda, ut pro ejus mercede aſſignandus ſit omnium bonorum, etiam decimarum, & oblationum, uſus-fructus. Num enim

omnes

Art.6. omnes Eccleſiarum Regaliæ obnoxiarum reditus Oecono-
§. 3. mis, ſuæ Majeſtatis autoritate conſtitutis, pro mercede aſſignantur?

5. Aliter ſanxerunt Canones, quibus cavetur, ut fructus Eccleſiarum vacantium, & collatio Beneficiorum futuro ſucceſſori reſerventur à Capitulo, ad quod tamen non ſolùm temporalium cura, ſed etiam ſpiritualis juriſdictio Jure Canonico pertinet, ut modò notabamus, & conſtat ex Cap. *Cum olim* de Major & Obed. junctâ Gloſſâ, & aliis textibus in eâ citatis.

§. TERTIUS.

De Advocatis ac Defenſoribus Eccleſiarum.

1. DISSERT. „ Advocatis ac Defenſoribus Eccleſiarum olim conſtituta ſtipendia, ex Lucii III. „ Decretali conſtat, *Extra de Jure Patron. C. Præterea*; cujus hæc ſunt verba: *Præſenti Decreto* „ *ſtatuimus, eos, ſive Advocati, ſive Patroni, vel Vicedomini,* „ *ſive Cuſtodes vel Guardias habentes, ſeu quocumque alio nomine* „ *cenſeantur, à gravaminibus Eccleſiarum ceſſare, nihilque in* „ *ipſis præter antiquos & moderatos reditus à locorum Epiſcopis* „ *inſtitutos exigere.* Idem probant Literæ Othonis I. Imperatoris à Miræo editæ, quibus Lambertum Lovanienſem Comitem vice ſuâ Gemblacenſis Monaſterii Advocatum ac „ Defenſorem inſtituit. *Sic autem*, inquit, *dedimus ei Advo-* „ *catiam iſtam, ut nunquam ipſe Comes vel Succeſſores ſui in* „ *Abbatia vel in villis ad eam pertinentibus aliquid accipere, aut* „ *per potentiam exigere debeant, præter Jus & Beneficium ſibi con-*

„ *conſtitutum. Advocati enim debent eſſe, non prædatores, ſed* *Art.6.*
„ *defenſores Eccleſiarum.* Quis ergo Chriſtianiſſimis Regibus §. 3.
„ ob cuſtodiam ac defenſionem Eccleſiarum, vacationis præ-
„ ſertim tempore, honorarium aliquod debitum eſſe negare
„ poteſt? Suis enim ſumptibus Eccleſiarum vacantium bona
„ cuſtodire ac tueri Principes non tenentur, ut fateri coactus
„ eſt evidentiâ veritatis Author nuperus, qui Tractatum de
„ Regalia contra Jura Chriſtianiſſimi Regis ſcripſit, libro 1.
„ cap. 10. Honorarii porrò rationem habet uſus-fructus bo-
„ norum allodialium quæ poſſident Eccleſiæ: nam cùm du-
„ plicis generis bona ſint, allodialia quædam, alia feodalia;
„ uſus-fructus bonorum primi generis Regi debitus eſt ratione
„ cuſtodiæ: uſus-fructus verò bonorum ſecundi generis ſuæ
„ Majeſtati debetur Jure Relevii, quo Domino feudi fructus
„ addicti ſunt, quandiu per mortem vaſſalli aut alio modo
„ vacat. Ea enim feudorum natura eſt, ut ait *Baldus* §. *Ad*
„ *hoc de Allod.* Col. 3. verbo, *Ex præmiſſis*, quem cæteri Ju-
„ riſconſulti ſequuntur: *Omnia feuda à Principe procedunt, &*
„ *ad Principem redeunt, ſicut omnia flumina per meatus terræ*
„ *procedunt à mari, & ad mare redeunt.* Jus illud explicant
„ Philippi Pulchri Literæ ad Archiepiſcopum Senonenſem &
„ Autiſſiodorenſem Epiſcopum directæ, quæ incipiunt his
„ verbis: *Sicut feodus vaſſallo vacans*: &c.

2. RESP. Quàm optimè Regias rationes init P. Alexander! Fructus bonorum feudalium Eccleſiæ vacantis Regi tribuit jure feudali: fructus autem bonorum non feudalium, ratione cuſtodiæ. At collationem Beneficiorum pleno jure, quæ, ut ipſe agnovit Articulo præcedente §. 18. *in Regalia Regum Chriſtianiſſimorum præcipua res eſt*, quo titulo illorum Majeſtati adſcribet?

Art.6. §. 3. 3. Quod attinet ad bona feudalia, ſæpe obſervavimus jus fruendi reditibus poſt mortem vaſſalli in aliquibus tantùm provinciis, non autem in omnibus ac nominatim in illis quæ de novo Regaliæ per Edictum Regium ſubditæ ſunt, locum habere. Neque Baldus docet, quemadmodum innuere videtur ordo verborum Diſſertatoris, legem illam ſeu conſuetudinem feudalem, quod Jus Relevii vocant, ubique vigere; cùm in loco hîc citato celeberrimus ille Juriſconſultus ne quidem ejus rei ullum verbum fecerit. Deinde etiam pluries notavimus, omnia ejuſmodi feudalia jura, quoad Eccleſias illis fortè olim obnoxias, extincta ſeu redempta eſſe ſubſidiis à Clero in Reges collatis.

4. Quod ſpectat ad cuſtodiam, ecquis unquam Judex æſtimavit, quòd integer uſus-fructus bonorum eſſet indiſtinctè aſſignandus pro illorum cuſtodiæ pretio? Quid differret Dominus à Cuſtode: præſertim ſi Cuſtos, non requirente, vel etiam invito Domino, ſibi jure proprio cuſtodiam aſſumeret?

5. Illa ipſa Monimenta, quæ Diſſertator profert, & alia quæ addi poſſent, teſtantur, Cuſtodes, Advocatos, Defenſores &c. pro cuſtodiæ ac defenſionis operâ *nihil præter antiquos & moderatos reditus à locorum Epiſcopis inſtitutos exigere* poſſe: nihil *præter jus & beneficium ſibi conſtitutum:* quia ſcilicet *Advocati debent eſſe, non prædatores, ſed defenſores Eccleſiarum.* Idem præſcriptum eſt eandem ob cauſam à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. an. 1215. Can. 145. his verbis: *Cùm igitur quod ad defenſionis ſubſidium eſt inventum, ad depreſſionis diſpendium non debeat retorqueri, prohibemus expreſſè, ne Patroni, vel Advocati, ſeu Vicedomini, ſuper præmiſſis de cætero plus uſurpent, quàm reperiatur in jure permiſſum:* &,

&, ſi contra præſumpſerint, diſtrictiſſimè per ſeveritatem Canonicam compeſcantur. Art.6. §. 4.

6. Suum adverſarium propriis ejus armis expugnaſſe ſe putat Pater Alexander, dum ait : *Suis enim ſumptibus Eccleſiarum vacantium bona cuſtodire ac tueri Principes non tenentur, ut fateri coactus eſt evidentiâ veritatis Author nuperus, qui Tractatum de Regalia contra Jura Chriſtianiſſimi Regis ſcripſit lib.* 1. *cap.* 10. Num aliquid his contrarium ſtatuere conatus anteà fuerat Autor prædicti Tractatûs, quem Diſſertator tam frequenter, ſed tam immeritò Juris Chriſtianiſſimi Regis Impugnatorem appellat ; ut non niſi coactus evidentiâ veritatis poſtea faſſus ſit, Principes non teneri, ſuis ſumptibus Eccleſiarum vacantium bona cuſtodire ? Sed quos ſumptus facit Rex Chriſtianiſſimus in cuſtodiendis Eccleſiis vacantibus, ut æquum exiſtimet Pater Alexander omnium bonorum fructus, imò decimas, oblationes, alioſque ſacros reditus eo nomine illi attribuendos ?

§. QUARTUS.

De Jure Principum in omnia bona temporalia Eccleſiarum.

1. DISSERT. „ Addunt Juriſconſulti noſtrates : cùm
„ Eccleſia *per Jura Regum* poſſeſſiones habeat, ut
„ S. Auguſtinus docet ; cùm agri Eccleſiæ tribu-
„ tum debeant, niſi ſint munificentiâ Principum
„ immunitate donati ; & Rex, ſi agros deſiderat, *poteſtatem*
„ *habeat vindicandorum*, ut docet S. Ambroſius ; cùm quidquid
„ habent omnes Eccleſiæ Regni, à Rege ſit, quia Regum libe-

Art. 6. „ liberalitate ditatæ, tuitione conſervatæ ſunt, adeò ut nul-
§. 4. „ lus ſit in Galliis Epiſcopus, qui S. Aviti Viennenſis Archi-
„ præſulis verbis Regem alloqui non poſſit : *Quicquid habet „ Eccleſiola mea, imò omnes Eccleſiæ noſtræ, veſtrum eſt, de „ ſubſtantia quam vel ſervaſtis hactenus, vel donaſtis. Quod in- „ ſpirante Deo præceperitis, in quantùm vires habuero, parare „ conabor* : Ex his (inquiunt) ſequitur iis Legibus vacan- „ tium Eccleſiarum bona ſubjacere, quæ à Regibus conſtitu- „ tæ ſunt.

2. RESP. Si generatim de quibuslibet legibus accipiatur illorum Juriſconſultorum doctrina, impunè poterit Eccleſia omnibus bonis ſuis temporalibus à Regibus ſpoliari, & iniquæ reputandæ erunt cenſuræ Conciliorum, Summorum Pontificum, & Epiſcoporum contra Reges alioſque Principes hujuſmodi bona uſurpantes pronunciatæ. Sed multa hîc coacervantur partim falſa, partim in alienum ſenſum detorta. Num enim Eccleſia nihil habet niſi à Regibus acceptum? Num quod ſemel ab aliquo Eccleſiæ datum eſt, ab ejus ſucceſſoribus repeti poteſt? Num abſque Regum permiſſione non licet fidelibus Præcepto Divino ſatisfacere de ſuſtentandis corporaliter iis, à quibus ſpiritualiter paſcuntur? Num licentia Eccleſiis conceſſa bona Deo oblata accipiendi, aut retinendi, revocari poteſt, etiam poſt compenſationem damni, quod inde Principi contingere poſſe dicitur? Num tantum juris obtinet Princeps in bona quæ Eccleſiis donari permiſit, quantum in ea quæ ipſe donavit?

3. An quia S. Auguſtinus de poſſeſſione bonorum temporalium juxta leges & jura à Principibus conſtituta judicandum eſſe docuit, Principibus licere exiſtimavit, omnium ſubditorum ſuorum bona uſurpare? An quia Sanctus ille Doctor defende-

ſendebat, potuiſſe Conſtantinum bona Eccleſiaſtica Donati- *Art.6.*
ſtis Schiſmaticis auferre, atque Catholicis adjudicare; ideò §. 4.
conceſſiſſet, potuiſſe Conſtantinum ſibi ipſi hujuſmodi bona adſcribere? *Verum eſt*, inquit S. Thomas quodlib. 12. Art. 24. in fin. *quòd omnia ſunt Principum ad gubernandum, non ad retinendum ſibi, vel ad dandum aliis.*

4. An quia S. Avitus Regis, in ipſum injuſtè commoti, animum placaturus, mulctam pecuniariam, ad quam damnandus dicebatur, ſe libenter ſoluturum declaravit; eâque occaſione, bona Eccleſiis à Principe ipſo data vel conſervata, Regis eſſe dixit; ideò confeſſus eſt, Regem donationes factas poſſe revocare, vel bona, quorum cuſtodia ad illum ſpectabat, Fiſco addicere? Vide quæ ſuprà hac de re dicta ſunt Art. 111. §. 3.

5. Nonne ut *iis legibus vacantium Eccleſiarum bona ſubjaceant, quæ à Regibus conſtitutæ ſunt*, debent leges eſſe juſtæ? Suntne autem juſtæ illæ quæ nova onera, abſque novâ cauſâ bonis Eccleſiaſticis imponunt? Suntne juſtæ quæ bona diſparis conditionis æquali premunt ſervitute?

6. DISSERT. „Hoc poſito principio ſic ratiocinantur: „ſecundùm leges, bona defectu hæredum vacantia ad Regem pertinent, & ad Fiſcum devolvuntur. Porrò fructus „Epiſcopatuum vel Abbatiarum, vacationis tempore provenientes, iſtius generis ſunt. Nec enim ipſos alicui legare potuit Epiſcopus vel Abbas, cùm poſſeſſionum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, diſpenſationem & uſum-fructum „ad vitam duntaxat haberet. Unde ſcitè Gregorius Toloſanus in Syntagmate Juris univerſi, lib. 17. cap. 2. Beneficii „definitionem explicans ait: *Verba iſta definitionis, per Clericum ad vitam utenda, edocent Clericum non poſſe ultra vitam*

Art.6. „*fructibus gaudere, vel de illis ultimâ voluntate diſponere.* . . .
§. 4. „*Nam Sanctuarium Dei jure hereditario obtineri non poteſt.* Sed „nec Eccleſiæ ſunt, aut futuri Epiſcopi, niſi Rex illis donaverit: quia Eccleſia nihil poſſidere poteſt abſque permiſſione Regis, & literis morticinii, quas Reges non dederunt „nec valere voluerunt pro fructibus Epiſcopatuum & Abbatiarum tempore vacationis provenientibus. Fiſci namque „ſui indemnitati conſuluêre hujuſmodi fructuum perceptione, quoad bona allodialia, aut comparata. Regio ſanè Fiſco „multæ utilitates depereunt, quæ ex mutatione poſſeſſorum „accederent, ſi ad alios Dominos quàm ad Eccleſiam hujuſmodi bona pertinerent. Unde *Guillelmus Benedicti* in Cap. „*Raynutius*, pag. 94. ait: *Intereſt Domini quòd res non transeant ad Eccleſiam, de cujus manibus exire non poſſent, nec ad* „*Eccleſiam reverti, cùm Eccleſia nunquam moriatur.* . . . . „*Eccleſia tenetur manum ſuam evacuare de bonis allodialibus ſibi* „*relictis, vel aliunde acquiſitis quàm à Rege, quia in allodiis* „*intereſt Regis, propter Jus confiſcationis quod perdit ſi in Eccleſiam tranſirent.* Et *Barboſa* lib. 2. de Penſionibus Vot. 26. „num. 19. *Regnorum* (inquit) *utilitas poſtulat, ut bona ſtabilia ſint in commercio hominum non privilegiatorum, vel exemptorum.* Ad Fiſci damna compenſanda, nonne Reges literas morticinii ſeu amortizationis, (ut vulgari vocabulo utamur) Eccleſiis concedentes retinere potuerunt uſum-fructum bonorum allodialium ad eaſdem pertinentium tempore vacationis?

7. RESP. Quid abſurdius excogitari poteſt comparatione factâ inter Eccleſiarum vacantium bona, & bona defectu hæredum vacantia: ut, quemadmodum res, quæ in privatorum dominio per mortem poſſeſſorum, & defectum hære-

dum

dum eſſe deſinunt, ad Dominium Principis revertuntur, ita & fructus Eccleſiarum per Epiſcoporum mortem aut Beneficiarii, quaſi in nullius ſint dominio, ad Fiſcum devolvantur? Contrarium probat ratio ipſa Diſſertatoris ſeu Juriſconſultorum ſuorum. Nam ſi *Epiſcopus vel Abbas poſſeſſionum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem, diſpenſationem, & uſumfructum ad vitam duntaxat habet, nec de illis ultimâ voluntate diſponere* valet, quia *Sanctuarium Dei jure hæreditario obtineri non poteſt*; penes ipſos non erat bonorum illorum dominium, ſeu proprietas. Illis ergo morientibus nulla fit circa bonorum Eccleſiaſticorum dominium ſeu proprietatem immutatio, cujus prætextu Rex poſſit ea ad ſe trahere: ſed in dominio & proprietate Eccleſiæ remanent, ut erant vivente Epiſcopo vel Abbate. Cùm autem, juxta tritum Juriſconſultorum effatum, res Domino ſuo fructificet; ſicut bona ipſa, ita & eorum fructus Eccleſiæ ſunt. Art. 6. §. 4.

8. Impletam enim abundè fuiſſe amortizationis conditionem, quam requirunt Juriſconſulti Gallicani, ut Eccleſia bonorum immobilium dominium acquirat, teſtantur Acta Cleri Gallicani, tom. 3. par. 4. cap. 10. Quomodò ergo, morientibus Epiſcopis vel Abbatibus, res in Dominio Eccleſiæ eſſe deſinerent, tanquam deficientibus hæredibus; ſiquidem, ut ait Guillelmus Benedicti, & alii communiter, *poſtquam res tranſierunt ad Eccleſiam, vel ad eam reverſæ ſunt, de ejus manibus exire non poſſunt, cùm Eccleſia nunquam moriatur?* Quo autem titulo probatur, Reges Chriſtianiſſimos bona Eccleſiarum amortizantes, illorum poſt Epiſcopi mortem uſum-fructum ſibi reſervaſſe, cùm neque ex jure communi, neque ex inſtrumentis amortizationis, id conſtet? Eſto, conſuetudini percipiendorum in aliquibus Eccleſiis fructuum per amortizationem

Art. 6. tionem factam derogare noluerint: undenam colligitur, il-
§. 5. los de novo uſum illum percipiendorum fructuum inducere voluiſſe vel etiam potuiſſe in Eccleſias, in quibus locum nunquam habuerat?

§. QUINTUS.

De uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum à Canonibus prohibitâ.

1. DISSERT. „ Nec verò Canones prohibent, quin „ Reges fructus Eccleſiarum vacantium tam ju„ ſtis titulis Majeſtati ſuæ debitos percipiant. Vel „ enim indefinitè loquuntur, & iis verbis quæ „ non magis ad vacationis tempus, quàm ad aliud quodcun„ que flecti queant; vel cum iis modificationibus, quæ Re„ ges non ſpectent; vel ſolam direptionem, uſurpationem, „ & injuſtam detentionem tum bonorum Eccleſiæ, cùm Epi„ ſcoporum aut Clericorum defunctorum, non legitimum „ uſum-fructum prohibent. Concilium Pariſienſe V. Can. 7. „ *Res Eccleſiæ, quouſque aut teſtamentum, aut qualemcumque obli„ gationem fecerit, cognoſcatur, à nullo penitùs contingantur.* „ Canone 8. *Neque Epiſcopus aut Archidiaconus exinde aliquid „ auferre præſumat.* Concilium Valentinum Can. 2. *Clerici „ ſuis ſtipendiis contenti, labores non diripiant Epiſcopi deceden„ tis.* Concilium Ilerdenſe: *Nullus Clericorum quidquam de do„ mo præſumat, vel quod de utilitate domûs eſſe cognoſcitur, id „ eſt mobilis & immobilis rei Eccleſiaſticæ conetur invadere, nihil „ furto, nihil dolo ſupprimens, auferens, atque abſcondens.* „ Concilium Arvernenſe Canone octavo: *Nullus Epiſcopus quid-*

„ *quidquam de rebus Eccleſiæ, præter humanitatem audeat au-* Art.6.
„ *ferre.* Concilium in Trullo, Canone 35. *Nulli omnium Me-* §. 5.
„ *tropolitanorum liceat mortuo Epiſcopo, qui ejus Throno ſubeſt,*
„ *res ipſius vel Eccleſiæ ejus auferre, vel ſibi vendicare.* Conci-
„ lium Pontigonenſe, Canone 14. *Quoties divinum judicium*
„ *Eccleſiæ Præſulem à ſæculo vocaverit, nullus ad ſuimet perdi-*
„ *tionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad ſuos uſus trans-*
„ *ferat.* Concilium Troſleianum, Canone 14. *Quia inter no-*
„ *ſtrates hic peſſimus inolevit mos, ut defuncto Eccleſiæ Epiſcopo,*
„ *mox à quibuſcunque Potentioribus pervadantur res Eccleſiaſticæ,*
„ *quaſi Epiſcopi fuerint propriæ,* &c. Canon verò Concilii
„ Chalcedonenſis, & alii qui reditus integros reſervari futu-
„ ro Succeſſori jubent, eas patiuntur explicationes, quas Art. 2.
„ hujus Diſſertationis protulimus, & ſalvo ſemper alieno jure
„ intelliguntur.

2. RESP. Petitio principii eſt, quod hîc ſupponit Diſſertator Regaliam in iis ſaltem Eccleſiis, ad quas de novo extenditur, & de quibus eſt quæſtio, juſtis titulis Regi Chriſtianiſſimo eſſe debitam. Si Canones contra uſurpantes reditus aut bona Eccleſiarum indefinitè loquuntur, cur eos ad vitam Prælatorum reſtringet, aut exceptionibus in favorem Regum Franciæ appoſitis circumſcribet? Si perſonis Eccleſiaſticis, quæ, ſecundùm Canones, curam habent ſpiritualem & temporalem Eccleſiarum vacantium, non licet earum reditus aut bona ſibi vendicare; quo jure id licebit laïcis Principibus eas, ſine ullis impenſis, ab iniquorum invaſione tuentibus? Canones qui hîc referuntur, ſuis locis expenſi ſunt, oſtendimuſque ex illis colligi proximam bonorum Eccleſiaſticorum, Sede vacante, cuſtodiam ſeu adminiſtrationem penes Reges non fuiſſe. Id tantùm adverto, P. Alexandrum eorum Canonum verba

Art.6. quæ Regaliæ uſurpationi vel extenſioni apertiùs refragantur,
§. 5. minimè repetiſſe; ut *Chalcedonenſis & aliorum qui reditus integros reſervari futuro Succeſſori jubent:* & è contra aliquorum verba minùs ad quæſtionem pertinentia recitaſſe, prætermiſſis iis, in quibus tota vis inerat.

3. Ita in referendo Canone 7. Concilii V. Pariſienſis ſubticuit verba, quæ probant cuſtodiam Eccleſiarum non extitiſſe penes Reges; ſunt autem iſta: *Ut defuncto Epiſcopo, Presbytero vel Diacono, vel quoquam junioris Ordinis Clerico, non per præceptum, neque per Judicem, nec per qualemcumque perſonam res Eccleſiæ, vel eorum propriæ, quouſque aut teſtamentum, aut qualemcumque obligationem fecerit, cognoſcatur, à nullo penitus ſuprà ſcriptæ res contingantur; ſed ab Archidiacono vel Clero in omnibus defenſentur & conſerventur.* Cur, prætermiſſis iis, quæ ad quæſtionem pertinent, truncatus Canon exhibetur, ut aliena ſententia illi affingatur? Sed quorſum Canon octavus ejuſdem Concilii mutilus etiam refertur? An ex eo quòd in hoc Canone Regibus nominatim non prohibetur Eccleſiarum vacantium uſum-fructum uſurpare, concludendum putavit Diſſertator, id eis permiſſum fuiſſe? Cur ergo idem Concilium aliis Canonibus præcipit, ut ille uſus-fructus diligenter ab Oeconomis Eccleſiaſticis futuro Epiſcopo reſervetur?

4. Ita ex Concilio Trullano refert verba Can. 35. vetantia, ne Metropolitanus res mortui Epiſcopi aut Eccleſiæ vacantis ſibi vendicet: & ſilet ea, quæ continuò ſequuntur: *Sed ſint ſub cuſtodia Cleri Eccleſiæ, cui defunctus præfuit, uſque ad alterius Epiſcopi promotionem, præterquam ſi in eadem Eccleſia non relicti ſint Clerici. Tunc enim Metropolitanus ea non diminuta ſervabit, ea ordinando Epiſcopo omnia reddens.* Ex quibus evidens

dens ſit, Eccleſiarum vacantium cuſtodiam non penes Principes, ſed penes Clerum, aut Metropolitanum extitiſſe. *Art.6.* §. 5.

5. Ita Canonis 14. Concilii Pontigonenſis verba iſta ſuppreſſit: *Sed erogatariis, & eleemoſynariis Eccleſiaſticis cùm ipſius Eccleſiæ conſtituto Oeconomo liberum ſit Canonico more juſtè rationabiliter, quæ deputata ſucceſſuro reſervare vel quibuscumque, ſicut expedit, pro ejus ſpiritu diſtribuere.*

6. DISSERT. „ Addunt Juriſconſulti noſtri, quòd „ ſicut Summus Pontifex, Canoniſtarum judicio, non pec- „ cat in Canones Chalcedonenſes, cùm bona Prælatorum de- „ functorum (quod jus ſpolii vocatur) in quibuſdam Eccle- „ ſiis occupat, licèt ea futuro non reſervet Succeſſori: ita Rex „ Chriſtianiſſimus in eoſdem Canones non peccaret, ſi reditus „ Eccleſiarum vacantium perciperet, ſed Jure ſuo uteretur. „ Ex his facilè diluuntur objectiones Autoris nuperi lib. 2. de „ Regalia, cap. 5.

7. RESP. Si Summus Pontifex jus ſpolii vellet in Eccleſias Galliæ inducere; minimè dubito, quin Pater Alexander eam novitatem eſſet improbaturus. Quòd autem Rex Chriſtianiſſimus, onus gravius de novo quàm plurimis Regni ſui Eccleſiis imponat, æquum ei videtur, aut æquum eſſe aliis perſuadere conatur. Immeritò certè à jure ſpolii, etiamſi ad omnes Eccleſias de novo extendi poſſe à Summo Pontifice fateretur, idem de Regalia concluderet in favorem Regis: cùm Principes ſæculares in rebus ſpiritualibus, qualis eſt collatio Beneficiorum quæ præcipua pars eſt Regaliæ, nihil poſſint ſine conceſſione Eccleſiæ; imò & in temporalibus Deo conſecratis minus juris ac poteſtatis habeant, quam habeat Summus Pontifex in diſpenſatione bonorum ad Eccleſiam juxta Canonum diſpoſitionem pertinentium.

Art.6. §. 5. 8. DISSERT. „ Sed his reſponſionibus non eſt opus, niſi „ ut appareat, quantùm Regiæ liberalitati ac pietati Eccleſia „ debeat, cùm vacantium Eccleſiarum fructus in pios uſus „ pridem converſi, & ſanctæ Capellæ Pariſienſi à Carolo VII. „ & ejus Succeſſoribus addicti, futuro Præſuli vindicati ſint „ ac reſervati juxta Canonum auctoritatem Edicto Ludovici „ XIII. auguſtæ memoriæ, dato menſe Decembri anno 1641. „ nihilque ex iis jam fiſco cedat, nihil in Regios uſus conver- „ tatur, ſed totum dimittatur Epiſcopis à Rege deſignatis: „ exigua tantùm portio ad pium opus & fidei propagationi „ conducibile, ſcilicet ad ſubſidium Novorum Catholico- „ rum Ludovici Magni Religioſiſſimi Regis providentia deſti- „ netur.

9. RESP. Revocaverat glorioſæ memoriæ Ludovicus XIII. donationem redituum Eccleſiarum vacantium ſanctæ Capellæ Pariſienſi factam, ut juxta Canones futuris Præſulibus reſervarentur; idque non ex mera liberalitate, ſed ex quodam juſtitiæ debito factum indicant hæc ejus Edicti menſe Decembri 1641. dati verba: *Mais comme le tems decouvre par l'experience le defaut des ordres qu'on eſtime les meilleurs, nous avons reconnu qu'encore que la deſtination de ce revenu ait eſté faite à bonne fin, il pourroit neantmoins eſtre employé plus utilement & avec plus de juſtice en le remettant à ceux qui ſeront nommez à l'avenir par nous aux Archevechez & Evechez, pour leur donner moyen de ſoutenir les charges qu'ils ont à ſupporter, dont ils ne peuvent s'acquiter qu'avec de tres grandes incommoditez: d'autant plus conſiderables, qu'elles les empechent ſouvent de pourvoir au ſalut des ames ainſi qu'ils y ſont obligez, & que nous le deſirons: il eſt bien juſte que faiſant reſolution d'employer ce revenu és œuvres de pieté,* AINSI QUE NOUS ESTIMONS Y

ESTRE

ESTRE OBLIGES, *que les Egliſes auſquelles* NATURELEMENT ILS APPARTIENNENT, *en recoivent le ſecours. . . . . La Regale eſtant cloſe, le revenu qui ſera provenu des dits Archevechéz & Evechéz ſera remis par celuy qui aura eſté commis pour l'adminiſtration, entre les mains des Archeveſques & Eveſques, ſans qu'a l'avenir il puiſſe eſtre diverti n'y employé ailleurs.* Id eſt: „ Sed quoniam experientia progreſſu temporis eorum, quæ „ optimè conſtituta videbantur, defectus patefacit, agnovi- „ mus, quòd licèt recto fine facta fuiſſet deſtinatio hujuſmo- „ di reditus; utiliùs tamen & juſtiùs inſumi poſſet, ſi nimi- „ rum iis qui poſthac à nobis ad Archiepiſcopatus & Epiſco- „ patus nominabuntur, remitteretur, quò onera ipſis incum- „ bentia ferre queant, quibus non ſine magnis incommodis „ faciunt ſatis: quæque ſunt eò notabiliora, quòd ipſis impe- „ dimento ſunt ne ſaluti animarum proſpiciant, quemadmo- „ dum & illi tenentur, & nos exoptamus: æquum eſt ut cùm „ reditum illum in opera pia impendere decreverimus, AD „ QUOD ASTRICTOS NOS ESSE CREDIMUS, in Eccleſiarum, „ AD QUAS EX PROPRIA NATURA PERTINET, commo- „ dum redeat. . . . . Clauſâ Regaliâ, reditus, qui ex dictis „ Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus pervenerit, ab eo, cui „ commiſſa fuerit adminiſtratio, Archiepiſcopis & Epiſcopis „ tradetur, nec poſſit aliò diſtrahi, aliiſve uſibus inſumi. Art. 6. §. 5.

10. Sed quantùm laudabilis, canonica, & juſtitiæ conſentanea fuit illa Ludovici XIII. Conſtitutio: tam fuit vituperio digna ejus revocatio à Miniſtris Ludovici XIV. adhuc pupilli, Majeſtatis ſuæ nomine facta: ut penes Reges Chriſtianiſſimos eſſet facultas reditus illos, ſi liberet, in proprios uſus convertendi: cùm, etiam ſi quod Ludovicus XIII. præſtiterat, fructus Eccleſiarum vacantium futuris Epiſcopis

 reſer-

Art.6. reſervari præcipiens, mera donatio fuiſſet, non Juris antiqui
§. 6. & Canonici reſtitutio, debuiſſet tamen ejus beneficium eſſe perpetuum.

§. SEXTUS.

De Collatione Beneficiorum.

1. DISSERT. „ Quod verò ſpectat Beneficiorum „ ſimplicium collationem, que ſolus contuliſſet „ Epiſcopus, nihil etiam habet æquitati repu- „ gnans. Cùm enim Præbendæ nihil aliud ſint na- „ tivo ſenſu, quàm ſtipendia Clericorum, pars Eccleſiaſticæ „ poſſeſſionis ac proventûs, olim à toto non diſcretæ, cùm „ Canonici ex communi cellario alebantur, ex communi ve- „ ſtiario induebantur, aut ſportulas & diſtributiones manua- „ les duntaxat percipiebant: eodem jure ad Principes illarum „ collatio pertinet Eccleſiâ vacante, quo proventuum perce- „ ptio, quippe quæ & antiquo jure à ſolidâ maſſâ decidi non „ poſſet, & recentioribus quoque Juris Pontificii Inſtitutis „ in fructu habeatur. Id aſſerit Gloſſa in Cap. *Cùm olim de* „ *Majoritate & Obedientia*: cujus hæc ſunt verba: *Collatio* „ *Beneficiorum inter bona Epiſcopalia & fructus computatur.* Et „ Gloſſa in Cap. *Generali Conſtitutione: de electione & electi* „ *poteſtate*: in Secto: *Regalia accipiuntur pro Juribus quæ ha-* „ *bet Princeps in aliquibus Eccleſiis, videlicet quòd vacante ali-* „ *quâ Eccleſiâ Rex percipiat fructus & Eccleſiam conferat. Nam* „ *collatio Beneficiorum computatur in fructu.*

2. RESP. Reſtituitur in priſtinam autoritatem illud Axioma Juris; *Collatio eſt in fructu*, Art. I. §. 1. Laudatum, ac

ac ſæpè ſæpiùs, dum commodum videbatur, uſurpatum; Art. 6.
ſed Art. v. §. 18. repudiatum ubi collatio Præbendarum ex §. 6.
Guimierii ſententia à fructibus ita diſtinguitur à P. Alexandro, ut Concilium Lugdunenſe circa fructus Eccleſiarum vacantium Canonem de quo eſt quæſtio in hac Diſſertatione, condens, *de Jure conferendi nihil providiſſe* cenſendum ſit: quia nimirum tunc commodum videbatur, collationem ſub fructuum nomine non comprehendere, ne Concilium Lugdunenſe, vetans uſurpare de novo fructus Eccleſiarum vacantium, uſurpationem etiam collationis Beneficiorum damnaſſe diceretur. Nunc verò, quia intentioni ejus conducit, ut collatio computetur in fructu, vocatur rurſus ab eo in ſubſidium Axioma Juris ſuprà dictum. Sed de illo, ſeu de illius ſenſu, jam non ſemel dictum eſt.

3. Sed Obſervandum eſt, etſi effatum illud quod in favorem Epiſcoporum excogitatum eſt & in Gloſſ. cap. *Cùm olim.* De Majorit. & Obed. primùm traditum, poſtea ad materiam Regaliæ in damnum Epiſcoporum accommodatum fuerit, ut in Gloſſ. Cap. *Generali.* De elect. in VI. hìc à Diſſertatore relatâ, applicationem tamen illam non ita eſſe accipiendam, quaſi ubicumque Rex titulo Regaliæ fructus ſuos facit, etiam Jus conferendi Beneficia habeat. Contrarium enim patet ex Arreſtis in favorem Eccleſiarum Anicienſis, Bituricenſis, Ambianenſis, de quibus Art. 5. §. 22. n. 23. & 24.

4. Quocirca Durandus ſæpe laudatus in Gloſſa ſeu Commentario ſuper dicto Cap. *Generali* v. Regalia, clarè innuit, Regem Chriſtianiſſimum in aliquibus tantùm ex Eccleſiis illis in quibus Jus Regaliæ obtinet, conferre Præbendas. *Nota*, inquit, *quòd Regalia hìc vocantur Jura Regi in quibuſdam Eccleſiis & Monaſteriis competentia, quia videlicet illis vacantibus*

Rex

Art. 6. §. 6. *Rex ſub prætextu cuſtodiæ facit fructus ſuos* ET ETIAM IN QUIBUSDAM PRÆBENDAS CONFERT. Similia habet in Speculo Juris lib. 4. tit. Ne Sede vacante aliq. innov. n. 7. In aliquibus etiam conferendo Præbendas. Quamobrem negavimus hoc effatum : *Collatio eſt in fructu*, in materia Regaliæ locum habere generatim, quia nimirum etſi in hac quoque materia interdum uſurpetur, ejus ſenſus tunc accommodatitius tantùm eſt, aut ſaltem non univerſalis.

5. Hoc notari modò velim, rationem, quam affert P. Alexander, ſcilicet quod *Præbendæ nihil aliud ſunt nativo ſenſu quàm ſtipendia Clericorum* &c. nequaquam probare, Principem habentem uſum-fructum, poſſe eâ ipſâ ratione collationem Beneficiorum ſibi vendicare, quia, ut dicitur in Gloſſa in Cap. *Cùm olim.* De Majorit. & Obedient. poſt verba à Patre Alexandro relata; *Magnum fieret præjudicium Epiſcopo ſucceſſori per talem collationem.* Non enim Præbendæ conſiſtunt in ſolis diſtributionibus, ſeu quotidianis, ſeu menſtruis, (ut Rex fructus percipiens, ex illis fructibus portionem ſuam cuique Clerico diſtribuat) ſed præcipuè in jure perpetuo certis reditibus fruendi. Quod quidem jus fundatur in officio ſeu functione à Prælatis Eccleſiaſticis committendâ, non autem à laïcis, quibus, quantumvis religioſis, nulla hujuſmodi competit facultas, niſi ex Eccleſiæ conceſſione. Olim Epiſcopo defuncto, ſi Succeſſoris protelabatur electio, Metropolitanus rerum Eccleſiæ adminiſtrationem alicui committebat; Commiſſarius autem conſueta Clericis ſtipendia diſpenſabat juxta præſcriptum Conciliorum Art. 2 §. 16. relatorum. Quis autem putaſſet Jus conſtituendorum Clericorum vel ad Officia Eccleſiaſtica deſtinandorum ad Commiſſarium, qui *conſueta Clericis ſtipendia diſpenſabat*, ſpectaſſe; vel etiam ad ipſum Me-

Metropolitanum eâ ſolâ ratione, quòd ejus autoritate fieret hujusmodi diſpenſatio? Art.6. §. 6.

6. Porrò ſi *Præbendæ nihil aliud ſint nativo ſenſu quàm ſtipendia Clericorum, pars Eccleſiaſticæ poſſeſſionis ac proventûs*, diſtinguenda erit, ut ſæpe fit in Jure Canonico, Præbenda à Canonia, ſeu deputatione ad functiones Eccleſiaſticas, ut Rex Præbendam tribuat, ac partem Eccleſiaſtici proventûs Clericis, quos Prælati Eccleſiæ Canonicos conſtituerint, non autem ipſe Canonicos faciat. Deputatio autem illa, Sede vacante, fieri non debet, ut conſtat ex Gloſſa in Cap. *Cùm olim.* De Majorit. & Obedient. hîc à Diſſertatore allatâ, & ex aliis juribus ab eadem Gloſſa citatis; imò ex antiquioribus Canonibus. Cùm enim, dum quis ordinabatur, ad miniſterium in certa Eccleſia exercendum deputaretur, à qua ſuam etiam ſuſtentationem reciperet: Canones Clericos in Eccleſiis vacantibus ordinari vetantes, prohibebant conſequenter, Beneficia in illis conferri: quod certè optimo regimini congruentiſſimum ac maximè neceſſarium eſſet, ut ſcilicet ſine Epiſcopi aſſenſu non eligerentur illi, quorum operâ in regendâ Eccleſiâ uſurus eſt. Quocircà Concilium Aurelianenſe V. an. 549. celebratum Can. 8. præcipit, *ut in civitate ubi Pontifex jure humanæ conditionis obierit, nullus Epiſcopus antè ſubſtitutionem reparati per ordinem Succeſſoris, aut in civitate, aut per Parochias ordinare Clericos, aut altaria conſecrare præſumat, vel quidquam de rebus Eccleſiæ, præter humanitatem, præſumat auferre. Quòd ſi quiſquam temerario auſu ſtatuta tranſcenderit, conventus ab inſtituto Pontifice, verecundiæ ſuæ conſulens ſine dilatione reſtituat. Si verò ſuæ voluntatis arbitrio vel quorumcumque precibus actus, quamcumque perſonam promovere, aut contra interdictum ire præ-*

Art.6. *ſumpſerit , anno integro Miſſas tantùm facere non præſu-*
§. 6. *mat.*

7. DISSERT. „ Quod effatum nullo niti Canone, inſcitè ſcripſit Autor nuperus in Tractatu de Regalia, lib. 4. „ cap. 10. pag. 342. Nititur enim Reſcripto Alexandri, quod „ habetur Cap. *Ex diligenti : De Jure Patronatûs* : in antiquâ „ Collectione Decretalium ab Antonio Auguſtino editâ : Innocentii III. Literis ad Philippum Auguſtum, Articulo 3. „ etiam laudatis : Clementis IV. Reſcripto ad S. Ludovicum, „ cujus verba ibidem protuli : Gregorii X. Diplomate ad Abbatem & Priorem Monaſterii S. Dionyſii in Francia directo, „ cujus verba ibidem deſcripſi : Nicolai III. auctoritate, qui, „ referentibus Joanne Monacho, ad Cap. 2. *De Præbendis*, in „ Sexto, & Joanne Andrea, Regaliæ uſum prout à Regibus „ Chriſtianiſſimis exercetur approbavit, & nihil Eccleſiaſticæ „ diſciplinæ contrarium habere judicavit.

8. RESP. Donec Diſſertator oſtenderit, (oſtendet autem nunquam) in teſtimoniis citatis contineri effatum illud, *Collatio Beneficiorum computatur in fructu* ; immeritò inſcitiæ accuſat Autorem Tractatûs Appamienſis. Nam in aliquibus quidem ex iis teſtimoniis de fructibus ſimul ac de Beneficiorum collatione fit mentio. Sed in nullo eorum declaratur, quòd nomine fructuum intelligenda ſit collatio Beneficiorum, ut patet legentibus. Quòd autem qui uſum-fructum habet, aliquando Præbendas conferat, non probat, collationem Beneficiorum, fructuum nomine intelligi, ut etiam fateri videtur Diſſertator dum addit.

9. DISSERT. „ Nugatur porrò nuperus Auctor, cùm „ illud Juriſperitorum effatum ratiunculis quibuſdam impugnat : ſcilicet quòd fructus temporales ſint, collatio ſpiritualis :

„ tualis : fructus vendi poſſint, non collatio : quòd tandem fru- *Art.6.*
„ ctus abſque collationibus Reges ſanctæ Capellæ olim conceſſe- *§. 6.*
„ rint, & nunc Epiſcopis deſignatis dimittant. Non enim
„ collationem in fructu computari Juriſconſulti docent, quaſi
„ fructuum utilium, & qui in humanos uſus diſtrahi poſſunt,
„ humaniſque commerciis ſubjacent, naturam ſequatur: ſed
„ quòd fructus ſit honorificus, ad eum pertinens, ad quem
„ proventuum temporalium perceptio ſpectat. Unde Rex fru-
„ ctus utiles donans, collationes nihilominus retinet; quia
„ ſuis honoribus exuere ſe Majeſtas non intendit, nec in alios
„ transfundere.

10. RESP. Alia eſt ergo ſignificatio hujus nominis, *fructus*, cùm ad reditus temporales refertur; alia, cùm ad collationem Beneficiorum: alius eſt *fructus utilis*, alius *honorificus*: alius *humanis commerciis ſubjacet*, alius nequaquam. Non ergo ita inter ſe conglutinati ſunt, ut alter alterum neceſſariò trahat; ut uterque ſub nomine communi ſemper intelligatur.

11. Certè *de fructibus utilibus, & qui in humanos uſus diſtrahi poſſunt, humaniſque commerciis ſubjacent* propriè intelliguntur fructus ſimpliciter dicti, ut vel ex ipſa conceſſione factâ ſanctæ Capellæ à Chriſtianiſſimis Regibus conſtat. Ac quemadmodum Reges fructus concedentes, Beneficiorum collationem, utpote honorificam, ſibi reſervare cenſentur: ita dum Eccleſia fructus bonorum Eccleſiaſticorum à laïcis percipi permittit, Beneficiorum collationem, à qua maximè pendet optimus Eccleſiæ ſtatus ac regimen, permittere non eſt cenſenda.

12. DISSERT. „ Præterea, collatio Præbendarum non
„ eſt abſolutè & ſimpliciter ſpiritualis, ſed antecedenter dun-

Art.6. „ taxat, quia eſt aliquid ad ſpirituales Canonici functiones præ-
§. 6. „ vium : nec Reges aliquid ſpirituale conferunt, ſed Eccleſiaſticas poſſeſſiones, ſeu portionem redituum Eccleſiaſticorum, quos qui percipiunt, Deo militare & ſpiritualia etiam munia in illa Eccleſia obire tenentur.

13. RESP. Præpoſterus eſt ordo, niſi in Beneficiis tanquàm principale habeatur officium ſpirituale, propter quod dantur reditus temporales. Unde ſic Antonius Bengeus anteceſſor Bituricenſis, cujus Tractatum de Beneficiis perfecit & edidit Franciſcus Pinſonius in Senatu Pariſienſi Advocatus, in Synopſi totius Tractatûs, Beneficium definit: *Beneficium eſſe dico militiam quandam Cœleſtem; cum ſuo reditu, idoneo Clerico, ad vitam concedendam, & Canonicâ inſtitutione conceſſam.* Ubi vides in recto poni quod ſpirituale eſt; in obliquo autem quod temporale. Cùm igitur ad Eccleſiaſticos Præſules pertineat, officia Eccleſiaſtica committere, illorum etiam eſt acceſſorium dare; præſertim cùm non ſtipendium tantùm eis diſtribuatur ex fructibus jam perceptis, ſed perpetuum jus illa percipiendi conferatur, quod ſpirituale eſt, cùm ſit quid ex ipſo officio ſpirituali emanans, & in illo reipſâ fundatum.

14. Accedit, quòd etiam ſi de nudâ præſentatione dici poſſet, quòd ſit jus ſpirituale *antecedenter duntaxat*; quia non patronus præſentans, ſed Prælatus conferens dat jus officia Eccleſiaſtica obeundi: id tamen de collatione *pleno jure*, qualis eſt quæ fit titulo Regaliæ, affirmari non poteſt, cùm in ea Rex non ſimplicis patroni, ſed Epiſcopi vice fungi dicatur. Quanquam nec ipſa præſentatio *humanis commerciis ſubjacet.*

§. SEPTI-

§. SEPTIMUS. Art.6. §.7.

Proponuntur argumenta Tractatûs Appamienſis contra collationem Beneficiorum, quæ fit à laïcis.

1. DISSERT. ,, Objicit nuperus Autor: Beneficio-
,, rum collatio laïco competere non poteſt, cùm ſit
,, actio ſpiritualis auctoritatis. Cùm enim Benefi-
,, cia ſpiritualia ſint, & pleraque ex his etiam quæ
,, ſimplicia vocantur, juriſdictionem aliquam aut functiones
,, ſpirituales annexas habeant, quæ ſine miſſione non poſſunt
,, exerceri, ut Decanatus, Archidiaconatus, Theologales Præ-
,, bendæ, Penitentiariæ; à laïcis conferri non poſſunt, etiam
,, Regibus; qui miſſionem dare non valent, cùm Regia Digni-
,, tas eos ſupra laïcorum ordinem non evehat, nec Paſtores
,, efficiat. Nota eſt illa Juris Canonici Regula in Sexto: *Bene-*
,, *ficium Eccleſiaſticum non poteſt licitè ſine Inſtitutione Canonicâ*
,, *obtineri.* Collationes Beneficiorum à laïcis factas execrata
,, ſemper Eccleſia eſt, ut conſtat ex Canone 30. inter eos qui
,, Apoſtolici dicuntur, ex Concilio Antiocheno excommu-
,, nicationem in eos decernente, qui *per laïcos Eccleſias obti-*
,, *nent:* ex Nicæna Synodo Canone 3. irritam dicente electio-
,, nem Præsbyteri, vel Diaconi *à Principibus* factam: ex octa-
,, va Synodo Oecumenica Can. 20. declarante, nullam in tali-
,, bus poteſtatem quemquam laïcorum habere: ex Conciliis
,, omnibus in controverſia Inveſtiturarum habitis quibus De-
,, cretum eſt, ut *nullus Clericorum Inveſtituram Epiſcopatûs vel*
,, *Abbatiæ, vel Eccleſiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel*

Art.6. „ *alicujus perſonæ laïcæ recipiat.* Hanc doctrinam Patres do-
§. 7. „ cuère. *Oſius* Imperatorem *Conſtantium* his verbis compellans: „ *Tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea quæ ſunt Eccleſiæ, con-* „ *credidit: & quemadmodum qui tuum Imperium malignis ocu-* „ *lis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne* „ *quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahas, & magno crimini obnoxius fias.* „ Date, *ſcriptum eſt*, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt „ Dei Deo. *Neque enim fas eſt nobis in terris Imperium tenere,* „ *neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Impe-* „ *rator.*

„ *S. Ambroſius* ad Valentinianum: *Noli te gravare, Impera-* „ *tor, ut putes te in ea quæ divina ſunt Imperiale Jus aliquod* „ *habere . . . . Publicorum tibi mœnium Jus commiſſum eſt, non* „ *ſacrorum.*

„ *Gregorius* II. Pontifex Maximus ad Leonem Iſaurum: „ *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatia poteſtatem non* „ *habet, ac Dignitates Regias deferendi: ſic neque Imperator in* „ *Eccleſiam introſpiciendi, & Electiones in Clero peragendi, ne-* „ *que conſecrandi, vel Symbola Sanctorum Sacramentorum admini-* „ *ſtrandi.*

„ *Theodoſius* & *Valentinianus* Imperatores: *Nefas eſt illum* „ *qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, Ec-* „ *cleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe immiſcere.*

„ *Theodoricus* Rex in Synodo Romana anni 502. profeſſus „ eſt: *Nihil ad ſe præter reverentiam de Eccleſiaſticis negotiis* „ *pertinere.*

„ Meritò itaque Bonifacius VIII. collationem Præbenda- „ rum ad Regem pertinere negabat: jure prohibebat Philip- „ po Pulchro, ne hanc uſurparet: prudenter Nuntiis Regiis „ dixerat: *Volumus quòd Rex faciat licitè, quod facit illicitè.*

Volu-

„ *Volumus ſuper hoc ſibi facere omnem gratiam quam poterimus : certum eſt, & omnia Jura clamant, quòd collatio Beneficiorum non poteſt cadere in laïcum: ita quòd habeat jus ſeu auctoritatem ſpiritualem & poteſtatem conferendi. Nolumus quòd decipiantur animæ, nec illi qui tenent vel recipiunt, quia conſtat quòd retinere vel recipere non poſſunt, niſi conſenſu noſtro tacito vel expreſſo.* Art.6. §. 8.

„ His penè Argumentis adverſùs Jus Regium pugnat nuperus Auctor Tractatûs de Regalia, lib. 2. Capitibus primo, tertio, ſexto, & ſeptimo, & Cap. undecimo libri primi: quæ Regii Juris defenſores hoc pacto propulſant.

2. RESP. Si hæc ſolidè confutentur, non debile adverſùs Eccleſiaſticam libertatem erit præjudicium. Audiamus igitur, quo pacto propulſentur.

§. OCTAVUS.

Expenditur prima reſponſio P. Alexandri ad argumenta §. præcedentis.

1. DISSERT. „ Reſpondent ſcilicet, nemini dubium eſſe, quin Beneficiorum collatio pleno etiam jure, competere laïco poſſit, *Eccleſiæ conſenſu tacito vel expreſſo*, ut Bonifacius VIII. etſi Philippo Pulchro minùs æquus, profeſſus eſt. Non ſolùm Reges iſtius poteſtatis capaces eſſe accedente Eccleſiæ conſenſu, ut ex Alexandri III. Reſcripto ad Vellenſe in Anglia Capitulum compertum eſt, ſed etiam fœminas Principes, ut de Flandrenſi Comitiſſa conſtat ex Cap. *Cùm dilecta. De conceſſione Præbendæ*; & ex Abbate Panormitano ad illud Caput.

Porrò

Art.6. „ Porrò Chriſtianiſſimis Regibus de ſe bene meritis Eccleſiam
§. 8. „ conceſſiſſe, ut Præbendas & Dignitates curam animarum „ non habentes, vacantibus Eccleſiis, apertâque Regaliâ con„ ferrent, ſaltem conſenſiſſe, ex Summorum Pontificum In„ nocentii III. Clementis IV. Gregorii X. Nicolai III. Gre„ gorii XI.. Reſcriptis vel Reſponſis conſtat, & ex cæteris „ Pontificibus, quorum aliqui Galli fuerunt, vel in Gallia „ ſederunt, Gallicanæ Eccleſiæ, Regiæque, diſciplinam ac „ mores noverant, modum quo Regalia à Regibus noſtris exer„ cebatur perſpectum habebant, nec tamen improbavêre col„ lationes Præbendarum ab ipſis pleno jure fieri ſolitas. Quid „ de Conciliis Oecumenicis dicam, in Galliis etiam celebratis, „ Lugdunenſi II. & Viennenſi? Quid de ipſis Conciliis Galli„ canis, quæ cùm Eccleſiaſticam libertatem & juriſdictionem „ ſtrenuè propugnaverint, Epiſcopalia Jura vindicarint, Re„ galiæ Jus, & Præbendarum collationem à Regibus Chriſtia„ niſſimis eo Jure factam nuſquam improbarunt: nuſquam „ eorum Majeſtati ſupplicaverunt Antiſtites, ut ab hujuſmodi „ collationibus temperaret?

2. RESP. Non negamus laïcos poſſe Beneficia conferre, ſi hanc eis facultatem Eccleſia conceſſerit. Agitur *de extenſione Regaliæ* ad Eccleſias ab eo onere liberas. Probandum incumbit, Summos Pontifices, vel Concilia expreſſè vel ſaltem tacitè conſenſiſſe, ut Reges Chriſtianiſſimi Beneficia pleno jure conferrent in illis Eccleſiis, quæ de novo Regaliæ ſubjiciuntur.

3. Dialecticæ ac rationis ipſius leges violat, qui ex eo quòd in aliquibus Eccleſiis Pontifices videntur probaſſe, collationem Beneficiorum à Regibus ob Regaliam fieri, (quanquam fiebat tunc modo non parum diverſo ab eo quo nunc exercetur)

tur) concluſionem generalem elicit & ad omnes Eccleſias Pontificiam indulgentiam extendit. Adde quòd Summorum Pontificum Conſtitutiones hîc citatæ atque ad Eccleſias tantùm Regaliæ obnoxias pertinentes, non tam approbant, quàm non improbant illud Jus, ut cùm relatæ ſunt obſervavimus. Aliquando verò, etſi Pontifices jus ſuum exercere conarentur, Reges de facto voluntatem ſuam exequebantur. Ita Nicolao III. qui tanquam Regaliæ approbator hîc citatur, contigit, ut teſtatur Guillelmus Durandus in Spec. 1. par. lib. 1. partic. 1. tit. de Legato. §.5. *Nunc tractemus*, verſ. *Sed numquid Legatus*, his verbis, *vel dic quòd ſive ſit Clericus, ſive laïcus, qui jus Patronatûs, vel alia jura ſpiritualia obtinet, ſemper de illo Domino Papæ & ejus Legato reſpondere tenetur, Extr. de Jud. Quanto. Hinc eſt quòd plus juris habet in conceſſione Prælatus, quàm in præſentatione Patronus: & hanc opinionem ſequi voluit Dominus Nicolaus Papa conferendo Præbendam, quam ipſe ante ſuam promotionem in Eccleſia Laudun. habuerat. Rex tamen Franciæ dicens collationem ipſius Præbendæ ad ſe pertinere, alii de facto contulit illam.* Art.6. §. 8.

4. Concilia verò, etiamſi Regaliæ extenſionem non prohibuiſſent, non tamen ei conſenſiſſe viderentur. Cùm enim vix poſſint omnibus malis jam graſſantibus remedium adhibere, difficillimum eſſet, ut futuris omnibus occurrerent. Verùm enimverò Concilium Lugdunenſe II. uſum illum diſſimulans, quoad Eccleſias, in quibus jam dudum locum habuerat, ulteriùs produci vetuit, ſi verum eſt collationem Beneficiorum inter fructus numerari, ut tam ſæpè inculcavit Diſſertator. Concilia Gallicana antiquiora quidem non poterant Regaliam impugnare, quia nondum erat inducta: damnarunt tamen abuſus Regaliæ aliquatenus ſimiles. Cùm au-

Art.6. §. 8. tem latiùs ſerpere incepit, reclamarunt Prælati, & ad eorum clamorem editus eſt Canon Concilii ſecundi Lugdunenſis. Dum violatus eſt Canon, conqueſta ſemper ſunt Comitia Cleri Gallicani, ut eorum Acta teſtantur, & Regibus Chriſtianiſſimis ſupplicarunt, ut Officiales ſuos cohiberent; ſi Epiſcopos excipias Pariſiis anno 1682. Mandato Regio congregatos.

5. DISSERT. „Addunt, conſuetudinem antiquam ab „Eccleſiarum fundatione, vel à tempore cujus non extat me- „moria, Privilegii vim habere, ut colligitur ex Cap. *Super* „*quibuſdam. Extra. De verborum ſignificatione*: & ex Gloſſa in „idem Caput, cujus hæc ſunt verba: *Nota diligenter, quòd* „*illa conſuetudo, cujus non extat memoria, Jus ſive Privile-* „*gium inducit*. §. de aqua quotid. & æſti. L. *Hoc Jure* §. Du- „ctus. *ff*. de aqua pluvia. arcen. *L*. 1. §. ult. 2. Q. 6. C. *Hoc quip-* „*pe*, 9. Q. 3. C. *Conqueſtus*. & 65. C. *Mos antiquus*. Et C. De „Teſtam. L. *Teſtamenta*. Et *per hoc videtur, quòd cùm talis con-* „*ſuetudo Jus inducat, non ſit neceſſe titulum allegare, licèt hoc* „*requiratur quandoque in conſuetudine triginta annorum*. „Idemque Juriſconſulti & Theologi vulgò docent. De hac „Juriſconſultorum doctrina Illuſtriſſimus Archipræſul Petrus „de Marca lib. 5. De Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 9. „num. 6. ait: *Fatentur ex poſſeſſione immemoriali, nec præſcri-* „*ptionis nec conſuetudinis titulo, rerum ſpiritualium adminiſtra-* „*tionem laïcis acquiri poſſe: attamen ex conſuetudine præſcripta* „*per poſſeſſionem illam immemorialem inſtrui probationem Privile-* „*gii à Summo Pontifice conceſſi. Itaque ajunt in hac ſpecie ſuffi-* „*cere ut allegetur titulus, id eſt Privilegium à ſuperiore indul-* „*tum. Ejus enim probatio ſolâ poſſeſſione centenariâ vel immemo-* „*riali conficietur, etiamſi nullæ exhibeantur Privilegii tabulæ*.

Mo-

„ *Moroſiores requirunt ad ſummum probationem famæ, quæ do-* Art. 6.
„ *ceat Privilegium illud conceſſum fuiſſe: quamvis hæc conditio à* §. 8.
„ *multis neceſſaria non eſſe dicatur. In eum autem finem requiri-*
„ *tur Privilegii allegatio, ut conſtet vel ſaltem cenſeatur laïco*
„ *idoneitatem ſeu capacitatem rei Eccleſiaſticæ tractandæ indul-*
„ *tam fuiſſe à Summo Pontifice.* Laudat ad marginem Peregri-
„ num de Jure Fiſci, L. 1. Tit. 2. §. 61. Maſcardum de Probat.
„ T. 3. Conſ. 1372. Menochium l. 3. Præſ. 131. §. 46, 47, 48.
„ Carolum Molin. in Conſ. Pariſ. §. 7. num. 12. Petrum
„ Barboſa, ad L. *Omnes* C. de Præſ. 30. vel 40. annorum, qui
„ loquuntur in genere de præſcriptione, quando obſtat inca-
„ pacitas præſcribentis. Addit Archipræſul, utriuſque Juris pe-
„ ritiſſimus, Gallicanos Auctores Aufrerium & Benedictum,
„ alioſque Pragmaticos, hunc loquendi modum ſecutos eſſe;
„ *Qui ex Privilegio Sedis Apoſtolicæ Principibus noſtris in pleriſ-*
„ *que Eccleſiaſticis negotiis juriſdictionem vindicant, & Pri-*
„ *vilegii probationem è vetuſtiſſimâ poſſeſſione petunt in iis capiti-*
„ *bus, in quibus deſunt Privilegiorum tabulæ.* Laudat. ad mar-
„ ginem Joannem Fabrum, Aufrerium in Tract. de Poſt. Se-
„ cul. ſuper Eccleſ. Fallentia. 1. & 12. Regulæ 1. Benedictum,
„ in verbo, *Et uxorem.* Deciſ. 2. num. 143. & 144. 161. & ſeq.
„ Chaſſanæum, in Conſuet. Burgund. T. *Des Juſtices.* & Caro-
„ lum de Graſſalio lib, 2. Regal. Franc. Cap. 17. Refert ibidem
„ Illuſtriſſimus Archipræſul, approbatque virorum Juriſcon-
„ ſultorum ſententiam, qui *ex tolerantia Papæ legitimum oriri*
„ *titulum aſſerunt, qui perficitur præſcriptione: quod maximè*
„ *locum habet, cùm ad vitandum ſcandalum & contentiones cum*
„ *Principibus, Eccleſiaſticis juribus connivere videtur. Quia*
„ *valde intereſt Reipublicæ ſcandala vitari:* Cùm nonnulla pro
„ utilitate communi contra juris aſperitatem, ex æquitatis

Hhhh 2 man-

Art. 6. „ manſuetudine tolerari noſcantur: ut verbis Decretalium
§. 8. „ utar. Cùm itaque certiſſimum ſit, laïcos ex Eccleſiæ Pri-
„ vilegio Beneficia, etiam pleno jure conferre poſſe, & conſue-
„ tudo antiquiſſima quâ Reges noſtri Præbendas & Dignitates
„ in Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus Regni ſui va-
„ cantibus conferunt, ſecundùm principia mox poſita, & à
„ Canonici Juris Doctoribus admiſſa, vim habeat Privilegii:
„ cùm inſuper Summi Pontifices illam non modò tolerarint,
„ ſed etiam approbaverint; cùm Eccleſia non ſolùm Gallica-
„ na, ſed univerſa in Conciliis congregata conniventiâ ſuâ le-
„ gitimam cauſam illam præſcribendi Regibus præſtiterit, ſe-
„ quitur auctoritatem conferendi Præbendas & Dignitates Ec-
„ cleſiâ vacante, quæ ad Epiſcopi collationem pertinebant,
„ eorum legitimè quæſitam eſſe Majeſtati.

6. RESP. Abutitur Diſſertator Lectoris patientiâ, dum eum congeſtis tot citationibus ad rem, de qua eſt quæſtio, minimè pertinentibus, non convincit, ſed obruit. Vel enim Eccleſiis jamdudum Regaliæ ſubjectis accommodat illam teſtimoniorum farraginem, vel illis quæ de novo Regaliæ ſubjiciuntur. Si Eccleſiis hactenus liberis, quid juvat ille Legum, Canonum, & teſtimoniorum vim conſuetudinis aut præſcriptionis explicantium acervus, cùm nulla conſuetudo nulla præſcriptio extenſioni Regaliæ ad illas Eccleſias ſuffragetur? Si hæc congeſta ſunt, ut Regaliæ uſus quoad Eccleſias, in quibus jam olim viget, juſtus oſtendatur; à ſcopo ſuo aberrat. Nam præterquam quòd de illis Eccleſiis modò non agitur, ſaltem quod ad collationem ipſam Beneficiorum ſpectat (circa modum enim conferendi multi abuſus irrepſerunt) jus illud Privilegio acceptum referre nolunt moderni Regiæ cauſæ defenſores; cùm non ignorent id quod Chopinus ait lib. 1. de ſacra

Polit.

Polit. tit. 7. n. 11. his verbis : *Si à Pontificiâ legum relaxatione* Art. 6.
penderet hoc Regaliorum genus, magis quàm à poſſeſſione ſtrictis §. 8.
finibus ſeptâ, promiſcuus fuiſſet hic & indefinitus Privilegii uſus in omnes Epiſcopatus Galliæ (ſalvâ rectiùs opinantium ſententiâ) nulloque diſcrimine Princeps in cunctas Diœceſes, nedum in aliquas, ſuum jus exequeretur. Atqui Regalia iſta non ubique exercentur à Principe inter ſuos, multoque arctioribus quàm Regni limitibus circumſcribuntur & terminantur.

7. Adde quòd ſi jus illud Beneficia conferendi Regi Chriſtianiſſimo ex Privilegio competeret, revocari poſſet à Summo Pontifice, etiam juxta Diſſertatoris doctrinam Art. v. §. ult. *Summi Pontifices*, inquit, *pro traditâ ſibi divinitùs plenitudine poteſtatis, cùm ſubeſt cauſa Decreta ſuorum Prædeceſſorum reſcindunt, conceſſa ab ipſis Privilegia revocant, maximè ſi in Eccleſiaſticæ rei detrimentum cedere videantur.* Id autem nunquam concedent hodierni Galliæ Juriſconſulti, quorum ſe ſenſum referre ait totâ hâc Diſſertatione P. Alexander.

8. Cæterùm ſi liberet teſtimonia teſtimoniis opponere plura nobis magiſque cauſæ quam defendimus propria ſuppeterent; quàm quæ hîc pro ſuſceptâ à ſe cauſâ collegit Diſſertator. Sed ut Lectoris tædio parcamus, hoc Ruzæi Regaliſtæ inſignis teſtimonio erimus contenti : *Quarta fuit Opinio*, inquit Ruzæus Præfat. ad Tract. Jur. Regal. part. 4. *quòd jus iſtud collationis Præbendarum ſpectet ad Reges Franciæ ex diuturno uſu, quia ita pacificè uſi ſunt à tanto tempore cujus initii non extat memoria . . . . Verùm hæc ſententia non videtur mihi eſſe vera & contra illam affero in medium deciſionem Joan. Andr. in C. 2. de Præb. in 6. Ubi voluit quòd quantùmcumque longo tempore laicus exercuerit actum ſpiritualem, nunquam tamen illum poteſt præſcribere. Et ſic ea quæ ſuperiùs diximus, quòd poſſeſſio*

Art.6. *tanti temporis cujus initii non extat memoria, habet vim tituli;*
§. 8. *& ſecundo loco illud quod nos diximus, quòd jura Principis etiam reſervata in ſignum ſuperioritatis tali tempore præſcribuntur, & hoc & illud ita demùm vera dicenda ſunt, cùm ſupponitur capacitas in exercente; aliàs non. Et ita debet reſtringi C. primum de Præſcript. in 6. & L. Hoc jure §. Ductus aquæ . . . . Et ita iſtam concluſionem firmavit Panormit. in ſua ſolemni Diſputatione quæ incipit Augerio in 5. col. ubi ab expreſſo dicit, quòd ſi Papa etiam ex Privilegio conceſſit Regi collationem Beneficiorum, illud jus conferendi tanquam merè gratioſum & contra diſpoſitionem juris communis præſcribi non poteſt. Ex quo habemus limitare aliam regulam quæ habet quòd ea quæ poſſunt quæri Privilegio, poterunt haberi præſcriptione &c. . . . . . Nec obſtabit ſi diceretur quòd Reges Franciæ uſi ſunt cum patientia & tolerantia Romani Pontificis, quo ſit ut videatur eis conceſſiſſe Papa, cui objectioni reſpondendum eſt, quod iſtud eſt verum quando jus poteſt cadere in aliquem abſque expreſſa autoritate Sedis Apoſtolicæ: ſecùs ſi requireretur Privilegium ipſius Sedis, quin tolerantia non ſufficeret. Ita reſpondit Joan. Andr. in d. C. licet. De Præb.*

9. Si autem conjecturis agere placet, quis ſuſpicari queat conſenſiſſe Papam, ut plus juris à Principe ſæculari, quàm à ſe ipſo exerceretur circa Beneficiorum diſpenſationem? ut, verbi gratiâ, prætextu Regaliæ quis Beneficio privetur, quia ejus poſſeſſionem, per procuratorem tantùm adiit: ut duobus de Beneficio contendentibus illud utrique auferatur, & alii detur, etiam ſi certum ſit alterutrius litigantium titulum eſſe Canonicum & poſſeſſionem legitimam: ut ſi duo Beneficia invicèm permutare decreverint, nondum impletâ, ſeu à ſuperiore admiſſâ permutatione, uterque ſuo Beneficio, cujus adhuc & titu-

titulum & poſſeſſionem retineret, poſſit ſpoliari, & alia quæ *Art.6.*
non modò contra Jus Canonicum, ſed & contra Jus gentium, §. 9.
ac rationem ipſam naturalem pugnant.

10. Nec dicas cum Diſſertatore & P. de Marca, ***ex tolerantia Papæ legitimum oriri titulum.*** Innovationes enim circa uſum Regaliæ factas, non tolerat Papa, ſed patitur invitus ***ad vitandum ſcandalum, & contentiones cum Principibus.*** Num autem idcircò tuta eſt Officialium Regiorum conſcientia, qui ut Pontificem à vindicandis juribus Eccleſiarum deterreant, majora mala intentant?

§. NONUS.

Examinatur ſecunda Reſponſio.

1. DISSERT. „ Reſpondent ſecundò, collationem „ Beneficiorum ſicut præſentationem, non eſſe res „ propriè ſpirituales, ſed tantùm ſpiritualibus con- „ nexas per antecedentiam. Spirituale nimirùm „ aliquid dicitur ex ordine ad Spiritum Divinum, 1. Per cau- „ ſationem ſeu concomitantiam, quo modo Sacramenta ſpiri- „ tualia ſunt, quia gratiam cauſant & operantur; & Sacra- „ mentorum adminiſtratio ſpiritualis actio eſt. 2. Quia ſpiri- „ tuali eſt annexum, vel per conſequentiam, vel per modum „ appendicis ut jus percipiendi decimas, quod ratione ſpiri- „ tualium officiorum alicui competit: vel per antecedentiam, „ ut jus Patronatûs, & collatio Præbendarum. Quod primo „ vel ſecundo modo ſpirituale eſt, laïcis non competit, nec „ ullo Privilegio aut conſuetudine eorum ad hoc incapacitas „ tolli poteſt. Sed quod tertio duntaxat modo ſpirituale eſt, ut ſpiri-

Art.6. „ ſpiritualibus officiis per antecedentiam annexum, quia exer-
§. 9. „ citium ſpirituale & officium quod Beneficiatus Eccleſiæ præ-
„ ſtat, antecedit, ut præſentatio, vel collatio, competere
„ laïco poteſt ex conceſſione Eccleſiæ, vel ex præſcripta con-
„ ſuetudine. Hanc & ſuperiorem Reſponſionem tradit & præ-
„ clarè explicat Joannes de Pariſiis Ordinis F. F. Prædicato-
„ rum inſignis Theologus, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctor
„ celebris in egregio Opere de Poteſtate Regia & Papali, quod
„ tempore Bonifacii VIII. & Philippi Pulchi ſcripſit, cap. 21.
„ ad 38. adverſariorum objectionem reſpondens. *Quod verò*
„ (inquit) *dicitur* 38. *de collatione Beneficiorum : dicendum*
„ *quòd collatio iſta competere poteſt laico ex conſuetudine, ſicut*
„ *præſentatio de jure ſcripto. Nam non plus repugnat laico unum*
„ *quàm aliud, & poteſt competere de jure Patronatûs, ſi hoc*
„ *fuerit in conſuetudine habitum, vel conceſſum ab Eccleſiis. Sicut*
„ *enim dicitur* 8. *Ethicor. Benefacienti, etſi non ex debito ju-*
„ *ſtitiæ, ex quo actiones naſcuntur apud homines; tamen ex debi-*
„ *to honeſtatis, debetur ſuperabundanti honor, indigenti verò*
„ *retributio lucri : & inde eſt quòd Fundatoribus Eccleſiarum &*
„ *Patronis, ratione Beneficii accepti, Eccleſiæ à principio ex*
„ *debito juſtitiæ non erant obligatæ; tamen ex debito honeſtatis*
„ *eis voluerunt concedere aliquid honoris, & aliquid utilitatis.*
„ *Honoris quidem, præſentando ad Beneficia, quod invenitur con-*
„ *ceſſum Patronis in jure ſcripto expreſſè & generaliter : tamen*
„ *quibuſdam excellentioribus Patronis, ut magis foveretur eorum*
„ *devotio ad Eccleſias fundandas, eſt per diſſimulationem conceſ-*
„ *ſum rationabiliter. Et quia illud quod rationabiliter eſt conceſ-*
„ *ſum, licèt ex gratia, & non ex debito juſtitiæ, in longam*
„ *& præſcriptam conſuetudinem tractum convertitur in jus com-*
„ *mune, eò quòd (ut dicit Plato in Timæo) quod ſemel rationa-*
biliter

„ *biliter eſt inſtitutum, non eſt Divinæ voluntatis immutari debere:* *Art.*6.
„ *ideò dicta præſentatio ad Beneficia Eccleſiaſtica omnibus Patro-* §. 9.
„ *nis debetur generaliter : & collatio quibuſdam Excellentibus,*
„ *qui hoc ex conſuetudine habuerunt, debetur ſpecialiter & de*
„ *jure, ut eis auferri non poſſit ſine injuria. Imò ſi quis auferre*
„ *vellet eis ſine cauſa evidenti & rationabili, indubitanter non*
„ *poſſet, ſed ſemper teneret Patroni collatio, quicquid ageretur*
„ *contra hoc à quocunque. Nam (ut dictum eſt ſuprà) Deus non*
„ *dedit poteſtatem Petro vel Miniſtris Eccleſiaſticis in bonis Eccle-*
„ *ſiæ ad ordinandum pro libito, ſed pro bona fide, & ad ædifica-*
„ *tionem, non ad deſtructionem, ut dicitur 2. Corinth. Deus enim*
„ *non vult, quòd ritè alicui eſt collatum ei auferri, niſi culpâ in-*
„ *terveniente, nam, ſecundùm Apoſtolum, ad Rom.* XI. ſine pœni-
„ tentia ſunt dona Dei. *Et Job* 33. *dicitur*: non aufert à viro
„ juſto oculos ſuos, & Reges in ſolio ſuo conſtituit in ſempiter-
„ num. *Et ideò ex quo fuit principio Patronis conceſſum expreſſè*
„ *vel interpretativé per longam diſſimulationem, & ex cauſa ra-*
„ *tionabili; quia ex debito quo benefacienti excellenti honor debe-*
„ *tur, etiam ut Potentes proniores efficerentur ad dotandas Ec-*
„ *cleſias : non eſt dubium non eſſe propriè à Chriſto commiſſum*
„ *quòd talia revocari poſſint ſine evidenti & magna culpa : ſuper*
„ *quam Princeps monitus, inveniretur incorrigibilis; & præ-*
„ *cipuè cùm ex hoc Eccleſiæ ſumpſerunt magnum emolumentum.*

„ *Quod ergo arguitur, quòd collatio non cadit in laicum, cùm*
„ *ſit idem quod ſpirituale; reſpondeo dicendum, quod ſpirituale*
„ *propriè non dicitur, niſi in habitudine ad Spiritum Divinum, per*
„ *cauſalitatem ſeu concomitantiam: unde Sacramenta Eccleſiaſti-*
„ *ca ſic ſpiritualia ſunt, ut adminiſtratio Sacramentorum: quia*
„ *gratiam ſpiritualem contingunt & cauſant. Spirituali verò an-*
„ *nexum dicitur, quod habet ordinem ad dictum ſpirituale; vel*

 per

Art.6. „ *per conſequentiam, ut jus decimarum; vel per antecedentiam*
§. 9. „ *ut jus Patronatûs, & collatio Præbendarum. Primum ergo quod* „ *eſt ſpirituale, propriè non cadit in laicum aliquo modo, nec ſecun-* „ *dùm quod eſt annexum ei per conſequentiam, quia tale dependet* „ *ex ſpirituali officio. Nam ratione ſpiritualium officiorum com-* „ *petit alicui jus decimarum, & ideò ſicut ſpirituale officium* „ *non competit laico, ita nec jus prædictum: licèt fructus corpo-* „ *rales qui nomine decimarum appellantur, laico competere poſſint* „ *de conceſſione Eccleſiæ. Sed tertium, quod eſt annexum ſpiritua-* „ *libus officiis per antecedentiam ut præſentatio, vel collatio, ſeu* „ *jus conferendi, quia non ſic dependet à ſpirituali, ſed è converſo,* „ *poteſt competere laico præcipuè; & ex conceſſione Eccleſiæ, vel* „ *ex promiſſione, & longa conſuetudine præſcripta, poteſt Rex* „ *ſibi jus acquirere, cùm ſibi non repugnet: quia ſi ei repugnaret,* „ *ei non poſſet convenire ex conceſſione cujuſcunque, ſicut nec ad-* „ *miniſtratio Sacramentorum, vel jus decimarum poteſt compete-* „ *re laico auctoritate cujuſcunque.* Addit, illam conſuetudinem „ conferendi Præbendas, non eſſe Eccleſiæ gravem & incom- „ modam, quia majore utilitate compenſatur. *Et quod dici-* „ *tur, quòd conſuetudo non præjudicat juri: reſpondeo, dicta* „ *conſuetudo cùm non ſit damnoſa in Miniſtris Eccleſiæ, ſed in* „ *pluribus fructuoſa, non præjudicat juri publico in genere, licèt* „ *videatur præjudicare in ſpecie. Nam licèt videatur præjudicare* „ *Epiſcopis qui privantur collatione Beneficiorum, quæ de jure* „ *communi eis debetur: tamen Eccleſiæ aliud ex hoc emolumen-* „ *tum accipiunt præponderans, ratione defenſionis, & dona-* „ *tionis & fundationis; & ideò non præjudicat ſimpliciter.*

2. RESP. Et ſi vera eſſent quæ dixit Joannes de Pariſiis, tamen hæc non juvarent ad probandum, Regem Chriſtianiſſimum habere jus Beneficia *pleno jure* conferendi in illis Eccle-

ſiis,

ſiis, in quibus ea Rex Chriſtianiſſimus conferre non conſue- *Art.6.*
verat ante Declarationem an. 1673. Regaliam ad omnes Eccle- §. 9.
ſias extendentem. Sed parvi ponderis eſt autoritas Joannis de Pariſiis, quamvis eum P. Alexander *Ordinis F.F. Prædicatorum inſignem, in ſacra Facultate Pariſienſi Doctorem celebrem*, ejuſque Opus *egregium* appellet. In illo enim Opere Philippo Pulchro, & Aulæ patrocinabatur contra Bonifacium VIII. ſicut P. Alexander in hac Diſſertatione Ludovico XIV. ſeu ejus Officialibus & Curiæ adverſùs Innocentium XI. Cùm hoc tamen diſcrimine, quod Joannes Pariſienſis contendebat non ſolùm Bonifacium jura Regia violare, ſed etiam ipſum non eſſe legitimum Pontificem: P. verò Alexander in fine Diſſertationis Innocentium XI. *Maximum ſanctiſſimumque Pontificem* appellet.

3. Non fuit autem Joannes Pariſienſis tam *inſignis* tamque *celeber* Doctor, ut ejus teſtimonio accedat ex perſonæ merito autoritas. Fuit enim à munere docendi in Sorbona propter ſuam in aliquo errore ſeu hæreſi pertinaciam dejectus, ut docet inter alios in Hiſtor. Univerſit. Pariſ. Cæſar Egaſſius Bulæus, cujus hæc ſunt verba, tom. ad an. 1304. *Ad hunc annum legitur in Memorali Hiſtoriarum M. Joannem Pariſienſem Ordinis Dominicani, ſubtilem hominem, actu regentem in Scholis Theologicis, propter novam quamdam propoſitionem de corpore Chriſti in* Sacramento *Altaris, publicè Scholaſticis traditam & propugnatam, à M. Guillelmo Bauſeti Epiſcopo Pariſienſi & Magiſtris in Theologia pluries auditum, demùm ab Ægidio Romano Archiepiſcopo Biturricenſi, Guillelmo Ambianenſi Epiſcopo Advocatis Doctoribus Theologicis, examinatâ diligentiùs theſi, prohibitum fuiſſe legere & diſputare Pariſiis deinceps. A quorum ſententia cùm ille Pontificium forum appellaſſet, & ad Curiam*

 Ro-

Art.6. *Romanam profectus fuiſſet, ibi deceſſit. Is eſt Joannes qui contra*
§. 9. *Bonifacium Philippi Regis ſuſceperat defenſionem, quique promotionem Bonifacii ad Pontificatum, & Cæleſtini abrogationem irritas fuiſſe propugnaverat.* Et in Catalogo Illuſtrium Academicorum, *Erravit*, inquit, *circa tranſubſtantiationis myſterium*: illumque errorem hæreſim appellat; *Joannis Pariſienſis Dominicani hæreſis circa Euchariſtiam.*

4. Sed demiſſa perſona Joannis Pariſienſis quænam eſt hîc ejus Doctrina? *Collatio iſta*, inquit, quæ ſcilicet fit pleno jure, *competere poteſt laico ex conſuetudine, ſicut præſentatio de jure ſcripto. Nam non plus repugnat laico unum quàm aliud. Et poteſt competere de jure Patronatùs, ſi hoc fuerit in conſuetudine habitum vel conceſſum ab Eccleſiis.* Nota disjunctionem, *ſi fuerit in conſuetudine habitum vel conceſſum ab Eccleſiis.* Videturne inſignis Theologi & Doctoris celebris eſſe hæc doctrina? *Præſentatio* ſeu nominatio ad Epiſcopatus competit Regi Chriſtianiſſimo *de jure ſcripto*, ſcilicet in Concordatis inter Leonem X. Papam & Franciſcum Primum initis: ergone facultas conferendi Epiſcopatus illi *competere poſſet ex conſuetudine,* etiamſi ei non fuiſſet *conceſſum ab Eccleſia?* Aliqui Patroni præſentant ad Beneficia curam animarum habentia: ergone illa conferre poſſent *ex conſuetudine*; etiamſi non fuiſſet eis *conceſſum ab Eccleſiis?* Qui præſentat offert tantùm perſonam, nullam autem ei tribuit poteſtatem: qui confert dat autoritatem exercendi officia ſpiritualia, quæ duo maximè inter ſe diſtant: & primum quidem à laicis præſtari poteſt, alterum verò minimè, niſi miniſterialiter, idque duntaxat ubi non requiritur poteſtas Ordinis. Atque eâ fortè de causâ Joannes Pariſienſis poſtea inſinuat, neceſſariam eſſe Eccleſiæ conceſſionem *per diſſimulationem.* At certè diſſimulatio abſque vera & ex-

expreſſa voluntate nequaquam ſufficeret, ob magnam ſtatûs laicalis cum ejuſmodi poteſtate repugnantiam, juxta ea quæ §. ſuperiori ex Ruzæo & Joan. Andr. dicta ſunt. *Art.6.* §. 9.

5. Cæterùm ſi *inſignis* hujus *Theologi* & *Doctoris celebris*, Aulæ Regiæ minimè ſuſpecti, autoritate utamur, Aulicorum ſententiam circa facultatem revocandi Privilegia, remiſſiones ſeu donationes Eccleſiis à Regibus factas validè confutabimus hoc ſermone: *Quia illud quod rationabiliter eſt conceſſum, licèt ex gratia, & non ex debito juſtitiæ, in longam & præſcriptam conſuetudinem tractum convertitur in jus commune; eò quòd* (*ut dicit Plato in Timæo*) *quod ſemel rationabiliter eſt inſtitutum, non eſt Divinæ voluntatis immutari debere .... Deus enim non vult quod ritè alicui collatum eſt, ei auferri, niſi culpâ interveniente* &c. Licèt ergo verum eſſet, quod à vero longiſſimè abeſt, Eccleſias à Regalia liberas ex mero Principum beneplacito fuiſſe libertate donatas: Deus non vellet, hanc eis libertatem auferri, nullâ culpâ interveniente: eſſet enim ex *longa & præſcripta* conſuetudine converſa in jus commune: minusque damnum afferret Reipublicæ omnium Eccleſiarum ab onere Regaliæ immunitas, quàm Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimentum importat vel unius provinciæ ſubjectio, ſine ipſius Eccleſiæ conſenſione.

6. Etenim, ut iſtud tantùm hîc annotem, quandoquidem ex doctrina Joannis de Pariſiis, laicus non eſt capax juris percipiendi decimas: quomodò capax erit dandi jus percipiendarum decimarum? Illi enim, quibus Rex pleno jure Beneficia confert, per illam collationem adipiſcuntur, aut adipiſci ſe putant jus decimis, oblationibus, & aliis reditibus Eccleſiaſticis fruendi: an ergo minùs eſt, ſi jus aliquid faciendi, in alterum conferas, quàm ſi eo jure tu ipſe utaris?

Art.6. §. 10.

§. DECIMUS.

Expenduntur aliæ reſponſiones.

1. DISSERT. „ Reſpondent tertiò, non eſſe confun-„ dendam Ordinationem ſive ad Eccleſiaſticos Or-„ dines promotionem, cum Beneficiorum colla-„ tione: illam merè ſpiritualem eſſe; hanc, quoad „ Beneficia curam animarum non habentia, aliquid tempora-„ le redolere; prioris Reges incapaces eſſe, cùm ſint laïci, po-„ ſterioris capaces, cùm ſint Domini & Patroni. Enimverò, „ dum ex Canonum Concilii Chalcedonenſis, aliorumque „ auctoritate nemo abſolutè ordinabatur, ſed relativè ad Ec-„ cleſiam aliquam aut Monaſterium, tunc unâ eâdemque „ functione Ordo Beneficiumque conferri videbantur; utra-„ que collatio ſpiritualem conditionem induebat; difficiliùs „ capi poterat quomodò collatio Beneficii competere laïco „ poſſet. Sed veteri illâ diſciplinâ contrario jam uſu antiqua-„ tâ, cùm ipſa Ordinatio & Beneficii collatio ſeparatim & di-„ ſtinctis actionibus peragantur, & portio redituum Eccleſia-„ ſticorum, quæ Beneficiatis confertur, non ſit ita cum fun-„ ctione ſpirituali connexa ut ab ea non poſſit ſeparari, magis „ temporale quid ſapit collatio Beneficiorum ſimplicium, „ quàm ſpirituale.

2. RESP. Non propter *Ordinationem, ſive ad Eccleſiaſticos Ordines promotionem* duntaxat Beneficiorum collatio ſpiritualis exiſtimatur; ſed etiam propter functiones ſpirituales, quarum intuitu dantur reditus temporales, ſeu in quarum exercitio fundatur jus illos percipiendi. Alioquin enim Beneficiorum

ficiorum collatio, cùm fiat ſeorſim ab Ordinatione, *fructuum utilium, & qui in humanos uſus diſtrahi poſſunt, humaniſque commerciis ſubjacent, naturam ſequeretur*, contra id quod ſcripſit ipſe Diſſertator §. 6. Adeò certum eſt, Beneficiorum collationes non eſſe quid temporale, ut P. Alexander, ſeu ejus Juriſconſulti vereantur id abſolutè affirmare, ſed tantùm collationem *aliquid temporale redolere*, vel *magis temporale quid ſapere*. Sed quicumque ſit odoratus aut guſtus illorum, Eccleſia Beneficia & abſolutam illorum diſpoſitionem, res eſſe temporales, aut ad laïcos citra ſuam conceſſionem ſpectare poſſe, non arbitratur. *Art. 6. §. 9.*

3. Egregia eſt B. Petri Damiani Epiſtola 13. libri primi; adverſùs eos qui, ut Principibus poteſtatem in Beneficia & Dignitates Eccleſiaſticas tribuant, temporale à ſpirituali ſecernunt: hæc inter alia ſcribit in ea Epiſtola, quæ eſt ad Alexandrum II. Papam: *Nova, proh dolor, noſtro tempore hæreſis orta eſt, cui niſi quantocyùs authoritatis veſtræ ſe vigor objiciat, timendum eſt, ne ad Religionis Chriſtianæ perniciem animarumque periculum, velut cancer feraliter ſerpat. Nonnulli planè Clericorum vitam per exterioris habitûs ſpeciem mentientes, prorſùs Deo frigidi, ambitionis Eccleſiaſticæ facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant: non ad ſimoniacam hæreſim pertinere, ſi quis Epiſcopatus à Rege, vel quolibet mundi Principe per interventum coëmptionis acquirat, ſi tantummodò conſecrationem gratìs accipiat. . . . . Videlicet, ut jure Simoniacus non dicatur quisquis abſque manûs impoſitione Epiſcopatum comparaſſe convincitur. Dicebant enim, quia cùm hoc fit, non diſtrahitur Eccleſia, ſed facultas: nec emitur Sacerdotium, ſed poſſeſſio prædiorum. Sub hac enim præſtatione pecuniæ opes tantùm, non honoris, vel Eccleſiæ redimitur Sacramentum. Venalia ſiquidem ſunt,*

ſicut

Art.6. *ſicut ajunt, unde ſint divites : gratìs accipiunt, unde fieri de-*
§. 10. *beant Sacerdotes.* Judicet Lector an ſanior ſit doctrina Regaliſtarum Beneficia integra ſeu quid temporale habentium, quàm eorum doctrina quos impugnabat S. Petrus Damiani: ſiquidem hi deputationem ad Divina Officia à perceptione redituum temporalium accuratè diſtinguebant, quæ duo illi in unum permiſcent.

4. DISSERT. „Quòd autem portio illa Eccleſiaſtico-„rum redituum, quæ Beneficiatis confertur, non ſit ita cum „functione ſpirituali connexa, ut ab ea non poſſit ſeparari, „multis momentis probatur. Primò, ex Præbendarum extin-„ctione, de qua Barboſa lib. de Off. & Poteſt. Epiſcopi, alle-„gatione 67. Cùm enim ſupprimuntur Beneficia, reditus „temporales à functione ſpirituali ſeparantur. Secundò, ex „Precariis, & Præſtariis, quibus uſus-fructus rerum Eccleſia-„ſticarum ad vitam olim concedebatur, non ſolùm Clericis, „ſed etiam laïcis de Eccleſia benè meritis. Tertiò, ex deci-„marum infeodatione. Quartò, ex Præbendarum collatio-„ne laicis olim factâ, & Conciliorum Decretis vetitâ: de qua „Concilium Monſpelienſe anno 1214. celebratum, Canone 8. „*Diſtrictè mandamus, quòd in nullâ Eccleſiâ laici recipiantur in* „*Canonicos & in Fratres, nec etiam ad Præbendam Canonica-*„*lem quæ conſiſtit in pane & vino & quibuſdam aliis.* Et Biter-„renſe anno 1233. Canone 24. *Diſtrictiùs quoque mandamus,* „*quòd in nullâ Eccleſiâ laici recipiantur in Donatos ad Præben-*„*dam panis & vini.* Et Benedictus XII. Pontifex Maximus in „Conſtitutionibus editis anno 1339. Cap. 3. *Prohibemus in-*„*ſuper ne in Eccleſia Cathedrali ſeu Monaſterio, quivis Clericus* „*ſecularis vel* LAICUS *recipiatur ad Præbendam ſeu etiam por-*„*tionem, niſi eidem Eccleſiæ ſeu Monaſterio dederit primitùs ſe*

&

„ *& ſua: nec hujuſmodi Præbenda ſeu portio ad vitam vel ad* *Art.6.*
„ *tempus vendatur, detur, ſeu aliàs concedatur eidem.* Provinciæ §. 10.
„ Turonenſis Epiſcopi Ingelgerio Comiti Andegavenſi & he-
„ redibus ejus *Præbendam* in Eccleſia *S. Martini* in perpetuum
„ *poſſidendam dederunt. Quia verò Eccleſia ejuſdem Sancti tunc ca-*
„ *rebat theſaurario, & ædituo, Conſulem Ingelgerium inthro-*
„ *nizaverunt, & theſaurarium conſtituerunt, & defenſorem*
„ *Eccleſiæ fecerunt, & tutorem omnium poſſeſſionum ejus, ubi-*
„ *cumque eſſent, delegaverunt. Qui Sedem theſaurarii, & do-*
„ *mos cum reditibus, quandiu advixit, obtinuit.* Ita referunt
„ Geſta Conſulum Andegavenſium, Tom. 10. Spicilegii, pag.
„ 431. Quintò, ſeparationem reditûs temporalis Beneficio-
„ rum à ſpiritualibus Miniſteriis probant Abbatiarum & Prio-
„ ratuum Commendationes, non modò Clericis, ſed laïcis
„ olim factæ. Ottoni Burgundiæ Duci Prioratum quemdam
„ in Diœceſi Biſuntina anno 1281. collatum, in Collectione
„ monumentorum ad Hiſtoriam Burgundiæ ſpectantium,
„ pag. 481. legimus. Conſulatur eruditum Opus R.P. Ludovici
„ Tomaſſini de Diſciplina Eccleſiæ circa Beneficia, tom. 2.
„ p. 4. lib. 1. cap. 74. Sextò, idem probatur ex Gloſſa Capi-
„ tis, *Si ſuper gratia. Tit. De Officio & poteſtate Judicis Delega-*
„ *ti*: In Sexto: cujus hæc ſunt verba: *Nota primò quòd Papa*
„ *poteſt alicui conferre Canonicatum ſine Præbenda, & ſic Ca-*
„ *nonia poteſt eſſe ſine Præbenda: tamen non debet eſſe diu: &*
„ *tamen Præbenda poteſt eſſe ſine Canonia; ut in notabilibus Ec-*
„ *cleſiis parvuli habent unam Præbendam, non tamen per hoc ſunt*
„ *Canonici; & laïcus poteſt eſſe Præbendatus in Eccleſia, non*
„ *tamen per hoc eſt Canonicus.* Idemque docet Proſper Fagna-
„ nus, in Cap. *Cùm pridem. De Pactis*: cujus hæc ſunt ver-
„ ba: *Præbenda poteſt conſiſtere in mera temporalitate, & cade-*

Kkkk *re*

Art.6. „ *re in laicum*: *& de hac intelligenda eſt Gloſſa in Cap. Cùm M.*
§. 10. „ *De Conſtitutionibus*. Ex his omnibus evidens eſt, neceſſariam „ connexionem non eſſe redituum temporalium, qui Præbendæ nomine intelliguntur, cum ſpirituali Miniſterio, adeòque Præbendarum & cœterorum Beneficiorum ſimplicium „ collationem aliquid temporale redolere.

5. RESP. Non poterat meliùs, quàm hac ratione confirmari, modum, quò Rex Chriſtianiſſimus confert Beneficia titulo Regaliæ, non poſſe competere laico, niſi ex conceſſione Eccleſiæ, ac miniſterialiter, atque adeò non poſſe locum habere in Eccleſiis, in quas de novo inducitur Regalia, reſiſtente Summo Pontifice. Nam in omnibus illis caſibus, quos hîc recenſet Pater Alexander, ideò reditus temporales laicis dari poſſunt, quia ita ſeparantur à Miniſteriis ſpiritualibus, ut in illis non fundentur omninò. At verò in collationibus titulo Regaliæ factis inſeparabiliter hæc duo conjunguntur. Canonicus enim in Eccleſia conſtitutus à Rege abſque Eccleſiæ inſtitutione, univerſa officia exercet, propter quæ reditus temporales percipit, quantumvis ſpiritualia ſint; verbi gratiâ, Beneficia, etiam curam animarum habentia in ſuo turno confert: vacante Sede Epiſcopali, Diœceſis curam, & adminiſtrationem gerit, ſive per ſe, ſive per Vicarios Generales, quod longè plus eſt, quàm unius Parochiæ curam gerere. An enim eum Senatus ab hujuſmodi functionibus ſpiritualibus arceri ſineret ob eam rationem, quòd Miniſteria ſpiritualia ſint, Rex autem ſolam Præbendam, hoc eſt, redituum portionem contulerit?

6. Deinde ſi quod Rex Chriſtianiſſimus confert non eſſet ſpirituale, perinde poſſet illud laicis ac Clericis conferre, atque adeò Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ex laicis conflare. Sin.

Sin hoc abſurdum, atque à Religione alienum eſt, ut colla- *Art.6.*
tio laicis fiat, longè abſurdius videtur, ut fiat à laicis abſque §. 10.
ullo Eccleſiæ conſenſu. Plus enim eſt, poteſtatem alicui tradere, quàm eam exercere.

7. Teſtimonium Barboſæ minimè probat quod Pater Alexander adſtruere conatur; *quòd ſcilicet portio illa Eccleſiaſticorum redituum, quæ Beneficiatis confertur, non ſit ita cum functione ſpirituali connexa, ut ab ea non poſſit ſeparari.* Nam etſi hoc rectè inferretur ex teſtimonio Barboſæ, collationibus Beneficiorum quæ pleno jure à Rege Chriſtianiſſimo fiunt titulo Regaliæ minimè faveret, cùm ſua Majeſtas non ſolam portionem Eccleſiaſticorum redituum, ſed & titulum ipſum Beneficii, ac jus functiones obeundi, propter quas datur reditus, conferre velit. Illam tamen ſeparationem fieri poſſe non infertur ex doctrina Barboſæ: qui in allegatione à Patre Aleandro citatâ quærit, *Epiſcopus Præbendas ad pauciorem numerum quando reducere poſſit?* Semper autem reditus functionibus ſpiritualibus addictus remanet, ſive illæ à pluribus obeantur, ſive à paucioribus.

8. Nonne perperàm etiam referuntur exempla à Conciliis, & à Pontificibus damnata, laicorum Præbendas aut Abbatias poſſidentium. Num enim ex illis inferendum eſt, jus percipiendi reditus eſſe diſtinctum à functionibus ſpiritualibus, quia laici functionum ſpiritualium incapaces, reditus Clericis illas obeuntibus addictos per injuriam percipiebant?

9. Si quando reditus Eccleſiaſtici à functionibus ſpiritualibus legitimè ſeparantur, immutatur eorum conditio, nec Beneficia Eccleſiaſtica, in eo quo nunc loquimur ſenſu, appellantur, nec illos ſic ſeparatos titulo Regaliæ confert Rex Chriſtianiſſimus.

*Art.*6. §. 10. 10. DISSERT. „ Reſpondent quartò, quicquid ſpirituale eſt in Dignitatibus & Præbendis ab Eccleſia conferri, „ non à Principe, imò totum Beneficium Eccleſia confert „ miniſterio Principis, ut Joannes de Pariſiis loco ſuprà laudato obſervat: *Vel* (*ut dicit Philoſophus* 8. *Ethicorum.*) *Hoc* „ *facimus, quod per amicos facimus: & ideò Eccleſiaſticus con-* „ *ferre dicitur, licèt non per ſe, ſed per Patronum laicum, cui* „ *ab eo conceſſum eſt rationabiliter.* Sicut ergo in natura homo „ diſpoſitiones quidem prævias, quarum poſtremam ſequitur animæ rationalis infuſio, in materiam inducit, verèque „ hominem generat, quamvis animam rationalem, quæ ſubſtantialis eſt, non producat, ſed ea creetur à Deo, & creando in corpus infundatur: & ſicut in moralibus Matrimonium quatenus Contractus civilis eſt, ſubditur auctoritati „ legibuſque Principum, quatenus verò Sacramentum eſt, à „ ſolo Chriſto eſt inſtitutum: ita licèt Rex, aliuſve Patronus „ laicus, quod temporalitatis eſt in Beneficio conferat, non „ tamen quod ſpirituale, quamvis utrumque ex Eccleſiæ diſciplina connexum ſit: ſed ab Eccleſia confertur quicquid ſpirituale eſt, cùm in Præbendæ vel Dignitatis poſſeſſionem „ mittitur & inſtallatur (ut hoc verbo utar) Beneficiatus. Et „ ſicut olim ajebat Waltramus Epiſcopus Naumburgenſis in „ Tractatu *De Inveſtituris*, Epiſcopos deſignatos, quamvis „ donum Epiſcopatûs à Regibus accepiſſent, ſpiritualem tamen auctoritatem ab ipſis non accipere, ſed *A Stola & Auctoritate S. Petri*, cùm inaugurabantur: ita Clerici cùm ad „ Præbendas vel Dignitates Eccleſiaſticas à Rege nominantur, „ ſeu Patronatûs, ſeu Regaliæ Jure, ab ejus Majeſtate non accipiunt quod ſpirituale eſt, ſed ab Eccleſia.

11. RESP. Ea eſt vis veritatis, ut à ſuis etiam impugnatoribus,

toribus, vel invitis, vel incautis recipiatur. Adeò religionis ac rationis lumini conſentaneum eſt, ut Eccleſiæ Miniſtri officiis ſpiritualibus à ſæculari poteſtate abſque conceſſione Eccleſiæ non deputentur, ut qui Regi Chriſtianiſſimo abſolutam illam deputandi facultatem vendicare conantur, eò ſeſe recipere cogantur, ut dicant non Regem Chriſtianiſſimum, ſed Eccleſiam deputare, ſeu conferre jus illa Miniſteria exercendi. Quâ ergo ratione illud jus merè Regium, ac jus Coronæ appellatur? *Art.6. §. 10.*

12. Sed quandonam Eccleſia jus illud contulit Canonicis à Rege Chriſtianiſſimo, in Eccleſia Appamienſi, verbi gratiâ, conſtitutis, contra Summi Pontificis, Epiſcopi, ac Capituli voluntatem? Quandonam aliis Clericis, qui Beneficia in Eccleſiis Regaliæ de novo ſuppoſitis à Rege obtinuerunt? Sequitur ergo ex hac reſponſione, debere, qui temporale à Rege Chriſtianiſſimo accipiunt, ab Eccleſia ſpirituale accipere. Itaque qui pleno jure, prout jamdudum hæc verba accipiuntur, à Rege Chriſtianiſſimo in ejuſmodi Eccleſiis conſtituti ſunt, quorumque inſtitutionem non eſt ſecuta expreſsè vel tacitè Eccleſiaſtica inſtitutio, non poſſunt ſine ſacrilegio ſpiritualia munia obire.

13. Cæterùm ex traditâ hîc à Diſſertatore doctrinâ explicari poteſt, cur Eccleſia Principibus non reſtiterit, ubi primùm Beneficia titulo Regaliæ conferri cœperunt, quia ſcilicet Regum Proviſio erat tantùm veluti præſentatio, & *ab Eccleſia conferebatur quidquid ſpirituale erat, cùm in Præbendæ vel Dignitatis poſſeſſionem mittebatur & inſtallabatur Beneficiarius.* Cùm enim principio Jure Regaliæ non darentur niſi Beneficia Eccleſiarum Cathedralium, Capitula earum, quæ juriſdictioni Epiſcopali ſuccedunt in inſtituendis Clericis præſentatis à

Art. 6. Patronis, dum nominatos à Rege recipiebant, eos inſtitue-
§. 10. re cenſebantur: ſed hodie alia eſt Regaliſtarum doctrina. Licèt enim qui Beneficia titulo Regaliæ impetrarunt, per Clericum mittantur in poſſeſſionem aut etiam à Capitulis admittantur, totum tamen jus à Rege accipere creduntur, non autem à Capitulis, multò minùs à Clericis eos in poſſeſſionem inducentibus. *Regaliæ*, inquit Ruzæus, *ſextum Privilegium eſt, quòd Capitulum non poteſt impedire Regaliſtam, etiamſi conſtaret ei de injuſtitia & defectu tituli.* Et infrà: *Iſtud videtur contra diſpoſitionem juris, quòd Capitulum videns notorium defectum tituli non poſſit reſiſtere receptioni ipſius Regaliſtæ; cùm regula ſit, quòd Beneficium Eccleſiaſticum ſine Canonica inſtitutione obtineri non poteſt &c.* Idem multis aliis rationibus & autoritatibus comprobat; quibus inſuper habitis poſtea defendit Arreſtum *contra* illam *diſpoſitionem juris* pronuntiatum; cùm eo caſu Capitula ſolam facti executionem habeant ac nudum miniſterium impendant, ut vulgò docent Regaliſtæ; unde ſi quem à Rege titulo Regaliæ nominatum admittere recuſent, is autoritate Magiſtratuum ſæcularium poſſeſſionem adiſpiſcitur atque inſtallatur.

14. Quamobrem vereor ne Miniſtri Regii Patri Alexandro hac in parte non omninò aſſentiantur, utpote juris communis ac Theologiæ principia potiùs ſecuto, quàm Senatûs Pariſienſis jurisprudentiam. Moleſtè haud dubie ferrent, ſi, quod juxta hanc Diſſertatoris doctrinam fieri poſſet ac reipſâ fit dum inſtituendi jus penès Eccleſiam eſt, Capitula quos evidenter indignos noſſent, repellerent; vel ſi repulſam à Capitulis paſſi ad Metropolitanum recurrerent. Neque enim Prælatus ſine diſcuſſione perſonæ, multò minùs ſi manifeſta ſit ejus incapacitas vel indignitas, cogitur præſentatum à Patronis inſtituere.

15. Dis-

15. DISSERT. „ Reſpondent quintò, Beneficiorum „ duntaxat curam animarum annexam habentium collatio- „ nem laïcis repugnare, & laudatos in objectione Canones id „ unum probare; non verò collationem Beneficiorum ſim- „ plicium. Diſcrimen iſtud agnoviſſe ac docuiſſe Gregorium „ IX. Pontificem Maximum, recentioris Juris Canonici Pa- „ rentem, in Epiſt. ad Fredericum II. Imperatorem: *Eſto*, „ inquit, *quòd aliqua Beneficia vacantia conferas, ut curam ta- „ men animarum illis annexam committere valeas, jus ſpirituale, „ quod non cadit in laicum, non permittit.* Art. 6. §. 10.

16. RESP. Cùm nullum ſit Beneficium, quod nondetur propter officium, illudque officium ſit quid ſpirituale; nullum eſt Beneficium propriè dictum, quod non habeat miniſterium ſpirituale. Sicut ergo ratione illius ſpiritualis miniſterii laico dari non poteſt, ita neque à laico, niſi ex Eccleſiæ conceſſione. Neque ſecùs ſuadet Gregorii teſtimonium. Non enim concedit, Imperatorem poſſe abſque conſenſu aut conceſſione Eccleſiæ Beneficia curam animarum non habentia conferre. Sed ex ſuppoſitione, quòd conferret hujuſmodi Beneficia; (quia nimirùm Eccleſia facultatem illam nonnullis Patronis licèt raro largitur) negat, hoc Privilegium ad Beneficia, quibus cura incumbit animarum, poſſe accommodari; quia ſcilicet ab Eccleſiæ uſu maximè abhorret, ut deputatio Rectorum animarum abſque ipſius Eccleſiæ examine ac judicio fiat. Hunc Gregorii locum à Diſſertatore jam relatum Art. IV. §. 40. ibidem expendimus.

17. Certè ſi Beneficia, quæ juriſdictionem ſpiritualem habent, licèt animarum curam propriè dictam non gerant, inter Beneficia ſimplicia collocentur, intolerabilis error eſt, quòd eorum collatio laïcis non repugnet. Quis enim non videat repugnare

Art.6. pugnare laico, quòd det poteſtatem, verbi gratiâ, excom-
§. 10. municandi, aut ab excommunicatione abſolvendi? Idem eſt etiam cenſendum de miſſione ad prædicandum, quod officium certis Beneficiis incumbit. Aliorum etiam Beneficiorum quæ Diſſertator generatim *ſimplicia* vocat, prout præſtantiores ſunt magiſque ſpirituales functiones, ita minùs laïcis competit earum collatio, abſque Eccleſiæ conceſſione.

18. DISSERT. „ Addunt Præbendas quaſdam & Dignitates, quæ nunc ſpirituales functiones, aut juriſdictionem ſpiritualem, annexas habent, non ſemper ejuſmodi fuiſſe. Archidiaconos, verbi gratiâ, curam animarum non ſemper habuiſſe, nec juriſdictionem ordinariam. Hiſpaniæ Archidiaconos pene omnes iſtius etiamnum conditionis eſſe. Juriſdictionis ad Præbendas & Dignitates quaſdam additionem eſſe ex inſtitutione Juris Canonici, quo Jus Regaliæ Chriſtianiſſimis Regibus competens antiquius eſt.

19. RESP. Falſum eſt, Jus Regaliæ antiquius eſſe juriſdictione ſpirituali certis Beneficiorum generibus competente. Sed licèt antiquius eſſet, repugnat, ut abſque Eccleſiæ conſenſu ejuſmodi juriſdictio à Principe ſæculari tradatur: niſi fortè Catholico Theologo videatur, juriſdictionem ſpiritualem ita redituum temporalium portioni, cui conjungitur, eſſe dignitate inferiorem, ut ejus acceſſorium æſtimanda ſit; ac poteſtas excommunicandi, abſolvendi, & ſimilia præſtandi neceſſariò ſequi debeat perceptionem frumenti aut vini, & aliorum hujuſmodi. Deberet ergo ad Eccleſiam recurri, ut ejuſmodi jus ſpirituale ab ea obtineretur; vel certè à Beneficiis quibus additum fuiſſe dicitur, eſſet ſejungendum.

20. DISSERT. „ Ut ut eſt, ſi quid in uſu Regaliæ, quoad Præbendarum & Dignitatum hujuſmodi collationem durius

„ rius videbatur, totum id mollitum fuiſſe auctoritate & pie- *Art.6.*
„ tate Chriſtianiſſimi Regis LUDOVICI MAGNI, qui pro ſua §. 10.
„ in Eccleſiam & Epiſcopalem Ordinem propenſione, de ipſis
„ juribus quæ S. Ludovicus exercuit, aliquid remittere dignatus,
„ perpetuo & irrevocabili Edicto dato apud S. Germanum in
„ Laya menſe Januario anni milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi
„ ſecundi, ſtatuit ut ii quibus ſua Majeſtas vel ſucceſſo-
„ res Reges Decanatus & ſimilia Beneficia curam animarum
„ aliquam habentia, Archidiaconatus, Theologales Præben-
„ das, Pœnitentiarias, & alia Beneficia, quorum Titulares
„ Juriſdictionem aliquam & functionem ſpiritualem & Eccle-
„ ſiaſticam privatim & ſuo nomine exercendi jus habent, Jure
„ Regaliæ contulerint, coram Vicariis Generalibus Capituli
„ Sede vacante, aut coram novo Epiſcopo ſe ſiſtant, ad ob-
„ tinendas ab ipſis approbationem & miſſionem Canonicas,
„ requiſitas ut ſpirituales functiones eidem Dignitati aut Præ-
„ bendæ annexas, obire validè poſſint & adimplere.

21. RESP. Certum quidem eſt, Ludovicum Magnum anno 1673. ſuo Edicto, Regaliam ad plurimas Eccleſias extendiſſe, in quibus eam S. Ludovicus nunquam exercuit: an autem aliquid de juribus, quibus ſanctus ille Rex utebatur, poſtea remiſerit, ad minus valdè incertum eſt. Neſcio enim quibus exemplis probaret Diſſertator S. Ludovicum Decanatus & ſimilia Beneficia juriſdictionem aut curam animarum habentia, Theologales Præbendas, vel Pœnitentiarias pleno jure contuliſſe. Dabat ille Beneficia in Eccleſiis; in quibus à ſuis deceſſoribus dari conſueverant, id eſt in aliquibus tantùm Eccleſiis Cathedralibus: ſed, ut paulò ante explicavimus cum Patre Alexandro, Capitula Eccleſiarum Cathedralium, circa quorum tantùm Beneficia exercebatur Regalia, inſtallando

Art.6. poteſtatem ſpiritualia munia obeundi conferebant. Tanta autem erat Sancti Regis, Philippi Auguſti ſimiliumque Principum cura in deligendis iis quos Beneficiis donabant, ut manifeſta eorum quos præſentabant, capacitas, alio non indigeret examine. Nec mihi quiſquam ſine certis & expreſſis probationibus ſuadebit S. Ludovicum Beneficia, maximè quæ juriſdictionem ſpiritualem in alterutro foro haberent vel miſſionem deſiderarent, contuliſſe *pleno jure*, prout à multo jam tempore intelliguntur hæc verba, id eſt ſine inſtitutione Canonicâ, & cum ea autoritate & prærogativâ, quæ nulli Epiſcopo competit, imò quam ne Romani quidem Pontifices exercent.

§. 10.

22. Statuit quidem Ludovicus XIV. ad Epiſcoporum Pariſiis congregatorum poſtulationem, ut qui ejuſmodi Beneficia & Dignitates titulo Regaliæ obtinerent, *approbationem & miſſionem Canonicas, requiſitas ut ſpirituales functiones Dignitatibus aut Præbendis annexas obire validè poſſent & adimplere*, à Vicariis Generalibus Capitulorum vel à novis Epiſcopis accipere tenerentur. Sed, ut alia omittam quæ hanc Regis Declarationem longè minoris eſſe ponderis oſtendunt, quàm ut illatum Eccleſiæ per Regaliæ extenſionem damnum compenſare poſſit, ut Epiſcopi illi videntur exiſtimaſſe; quis præſtare poteſt illam perpetuam atque irrevocabilem fore? Si quis enim ex ſucceſſoribus ſuæ Majeſtatis vellet illam reſcindere, non deeſſent Juriſconſulti ac Theologi approbatores ſeu adulatores, qui eam juri Regio contrariam atque adeò emendandam cenſerent, cùm Regaliam & quæ ad Regaliam pertinent, nullo unquam modo alienari aut præſcribi poſſe affirment.

23. Verùm proſpectum ſit juriſdictioni & libertati Eccleſiæ

ſiæ hac in parte pro tempore futuro: quo pacto reſarcientur damna ſpiritualia conſecuta ex eo quòd ante prædictum Edictum hujuſmodi Beneficia & Dignitates ſolâ poteſtate ſæculari collata ſunt? Fatetur enim P. Alexander Art. IV. §. I. quòd *collatio Beneficiorum quibus juriſdictio ſpiritualis annexa eſt & animarum cura, Clericum perficit: ideò ad Principes Regaliæ Jure non ſpectat; quia Divino jure habetur. Miſſio enim ad hujuſmodi functiones obeundas neceſſaria eſt: quam ſoli Eccleſiæ majores Prælati, ſcilicet Summus Pontifex & Epiſcopi concedere poſſunt.* Neque conjunctim accipias *juriſdictonem ſpiritualem & animarum curam*; continuò enim ſequitur: *collatio Beneficiorum, quibus nulla juriſdictio, nulla animarum cura annexa eſt. . . . Non repugnat quòd Regii juris ſit.* Quo ergo jure, quâ conſcientiâ Beneficia juriſdictionem ſpiritualem habentia, vel Miſſionem deſiderantia, ſolo Regaliæ titulo uſque ad Edictum anni 1682. poſſeſſa ſunt? Cujus virtutis fuerunt functiones illarum Dignitatum abſque autoritate Eccleſiæ obtentarum? Art. 6. §. 10.

24. DISSERT. „Reſpondent ſextò, Reges Chriſtianiſſi„mos aliquid ſupra communem laïcorum ſortem obtinere.
„Ex unctione olei divinitùs adlapſi quo delibuti ſunt; ex Pri„mogenitorum Eccleſiæ Filiorum & Chriſtianiſſimorum, ac
„Eccleſiæ Defenſorum auguſtis titulis, qui à Clodovei
„baptiſmate eorum Majeſtati adhæſere, ex Dignitate Abba„tis, quam in Eccleſiis S. Martini Turonenſis, & S. Hilarii
„Pictavienſis, & Præbendis quas in Eccleſiis Lugdunenſi, Ce„nomanenſi, Andegavenſi, aliiſque obtinent; ex Privile„gio ipſis cum Imperatoribus communi, ut Diaconi habitu
„Evangelium in Eccleſia ſolemni ritu legere poſſint, id
„abundè probari: Joannem Monachum, ad Cap. 2. de Præb.

*Art.*6. „ in 6. id fateri : proindeque non eſſe mirum quod jus ha-
§. 10. „ beant exequendi aliqua ad Politiam externam Eccleſiæ ſpe-
„ ctantia, ut Eccleſiæ adjutores & defenſores, quibus nomi-
„ nibus Carolus M. gloriabatur : quamvis nec de rebus fidei
„ controverſis decernere, nec de Ritibus & Sacrorum Miniſte-
„ rio ſtatuere, nec Judicia Canonica exercere poſſint : ſiqui-
„ dem ligandi & ſolvendi, paſcendique poteſtatem, aut ſpi-
„ ritualem auctoritatem omnino nullam à Chriſto acceperunt.
„ Quod unum probant Patrum & Imperatorum verba in ob-
„ jectione laudata. Potuerunt (inquam) etſi Clerici non eſ-
„ ſent, Concilia Nationalia & Provincialia congregare, edi-
„ tos in eis Canones confirmare, titulo tuitionis & patrocinii
„ duntaxat, non jure merè Regio. Reges enim Chriſtiani *Ec-
„ cleſiam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Eorum poteſtati ſuam Ec-
„ cleſiam concredidit* : ut poſt S. Iſidorum Hiſpalenſem lib. *De
„ Summo Bono*, loquitur Concilium Pariſienſe VI. P. 2. Cap. 2.
„ Hinc Epiſcopi Gallicani in Synodo Arvernenſi anno 535.
„ congregati ad Theodebertum Regem ſcribebant : *Cultores
„ veſtri, Eccleſiarum veſtrarum Epiſcopi*, &c. & Vigilius Pon-
„ tifex Maximus anno 556. ad Childebertum Regem pro Sa-
„ paudo Arelatenſi Epiſcopo ſcribebat : *Pro quibus, Chriſtiani-
„ tatis veſtræ confidentiâ freti, paterno ſtudio poſtulamus, ut ſi
„ quid tale factum eſt, congruâ ſatisfactione celeriter amputetur,
„ nec ullum ſui exemplum in perturbatione* ECCLESIARUM,
„ QUAS VOBIS DEUS CREDIDIT, *relinquere concedatur*. Clerum
„ itaque proximè contingunt Reges Chriſtianiſſimi, exter-
„ nam Eccleſiæ Politiam ut ejus defenſores & adjutores ex
„ officio curant, & his nominibus magis idonei ſunt ad jura
„ quædam relativè, & per antecedentiam ſpiritualia (ut lo-
„ quitur Joannes Pariſienſis) exercenda, verbi gratiâ, ad
Be-

„ Beneficia pleno jure conferenda, Eccleſiæ conſenſu acce- *Art.6.*
„ dente. §. 10.

25. RESP. An tantum deſudandum erat, ut id demonſtraretur, quod non negatur: ſi nihil aliud voluit Diſſertator, quàm poſſe Regem Chriſtianiſſimum fructus Eccleſiarum vacantium percipere, ac Beneficia ſimplicia conferre, *Eccleſiæ conſenſu accedente*; non erant tanto ſtudio conquirenda, atque à locis tam extrinſecis tamque remotis arceſſenda argumenta. Sufficiebat oſtendere, conſenſum ab Eccleſia præſtitum extenſioni Regaliæ. Ab Eccleſia, inquam, quo nomine non debent intelligi Epiſcopi mandato Regio Pariſiis anno 1682. congregati, & à Curia Regia potiùs electi, quàm à Clero liberè deputati; atque adeò Eccleſiam Gallicanam minimè repræſentantes. Neque etiam illi, quamtumvis reliquorum acceſſiſſet liber conſenſus, potuerunt Concilii generalis Decreto Regaliæ extenſionem prohibenti derogare, neque hanc cauſam, quæ certè inter majores reputanda eſt, inconſulto Summo Pontifice, ad quem etiam legitimis appellationibus devoluta fuerat, definire: aut Eccleſiarum ſuarum libertati renuntiare, renitente illo, cui ſolicitudo omnium Eccleſiarum incumbit, quique illarum jura tueri poteſt ac debet, etiam adverſùs proprios illarum Prælatos, dum proprio officio deſunt.

26. Quorſum ergo Sanctæ Ampullæ commemoratio? An oleo Sanctæ Ampullæ Reges, in univerſales ſuæ Ditionis Epiſcopos conſecrantur, ut eo titulo in Epiſcoporum omnium decedentium jura ſuccedant, fructus Eccleſiarum vacantium percipiant, ac Beneficia ſummâ autoritate diſpenſent? An eos eſſe Clericos arguunt tituli Abbatis, Canonici, vel Defenſoris Eccleſiarum, convocatio Conciliorum, tuitio Ca-

Art.6. nonum? An quia quædam munia à Diaconis obiri ſolita exer-
§. 10. cent, Diaconali charactere ſunt inſigniti? Si quid ad juriſdictionem Eccleſiaſticam attinens legitimè faciunt, non niſi *Eccleſiæ conſenſu accedente faciunt*.

27. Fruſtrà verò allegatur Joannes Monachus ad Cap. 2. de Præbendis. Nam etſi fateatur, Reges Chriſtianiſſimos inungi, atque inde argumentum eliciat pro jure conferendi Beneficia: illud tamen profert tanquam rationem dubitandi, contra quam deinde concludit. Quamobrem ad hæc ejus verba num. 3. *Reges qui inuncti ſunt*, Philippus Probus addit; *Panormitanus in C. Tua & primo in primo Not. S. de decimis, dicit hoc nihil facere, ut Reges ſint ſpiritualitatis capaces: quia licèt inungantur C. I. S. de ſacr. unctio. non propterea recipiunt facultatem ſeu poteſtatem diſponendi de ſpiritualibus. Nec Ordinem Eccleſiaſticum, ſed in laïcorum numero continentur*. &c.

28. DISSERT. „ Tandem quod Bonifacium VIII. ſpe-
„ ctat, reſpondetur, ejus Decreta geſtaque contra jus Regia-
„ rum collationum, aliaque Regum noſtrorum jura à Sum-
„ mis Pontificibus Benedicto XI. & Clemente V. reſciſſa fuiſ-
„ ſe. Bonifacium errore facti deceptum, eumque fugiſſe quòd
„ juri Regio Præbendas vacante Sede apertâque Regaliâ confe-
„ rendi Eccleſiæ conſenſus acceſſiſſet: nec tamen exiſtimaſſe
„ jus illud Regi repugnare, cùm ſcripſerit: *Volumus ut Rex*
„ *faciat licitè, quod facit illicitè: Volumus ſuper hoc ſibi facere*
„ *gratiam omnem quam poterimus*.

29. RESP. Quibuſnam Conſtitutionibus Benedicti XI. aut Clementis V. revocata ſunt Bonifacii VIII. Decreta, geſtaque circa Regias Beneficiorum collationes? Sed etſi revocata eſſent, quid inde concluderetur contra Eccleſias, in quas hodie inducitur Regaliæ uſus; cùm Philippus Pulcher in illis

jus

jus conferendi Beneficia ſibi competere nunquam contende- *Art.7.*
rit? De aliis autem Eccleſiis adeò tunc incertum vel obſcurum erat, quòd Eccleſiæ conſenſus Regio juri conferendi Præbendas in illis, dum vacarent, acceſſiſſet, ut id Bonificium Papam doctiſſimum fugerit. Unde autem illum conſenſum eruit Pater Alexander quoad eas Eccleſias, quæ tempore Concilii Lugdunenſis ſuâ libertate potiebantur? Nonne verba illa Bonifacii: *Volumus ſuper hoc ſibi facere gratiam omnem quam poterimus*, innuunt poteſtatem Principum circa collationem Beneficiorum ex gratia Eccleſiæ proficiſci, nec tamen gratiam ejuſmodi poſſe ad omnia extendi.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Utrum Regalia Jus Regium rectè nuncupetur?

1. DISSERT. „Regalia, quatenus Beneficia conferendi jus involvit, Jus Regium eſſe eo ſenſu, „quòd ratione ſupremæ poteſtatis temporalis „Principibus conveniat, nemo dixerit, cùm ſu„premâ poteſtate præditi eſſent, qui Clodoveum anteceſſe„runt Francorum Reges, nec tamen Jus illud haberent: & „alii Reges Chriſtiani ſupremam pariter habeant ſuis in Re„gnis poteſtatem, nec tamen auguſto illo Jure fruantur. Sed „Jus Regium eo ſenſu vocatur, quòd antiquâ conſuetudine, „poſſeſſione præſcriptâ, & ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione, ſeu „conſenſione firmatum, Coronæ Regiæ coaluerit: ſicut Pa„tronatus, quos vocant laicos, ipſis quoque terris atque do„miniis ex poſſeſſione inhærent, & quaſi temporalis juris loco ha-

Art.7. „ habentur : cùm tamen id juris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis „ fonte profluxerit. Porrò non hâc primùm ætate uſurpa- „ tus eſt hic loquendi modus, ut ſequentia momenta pro- „ bant.

2. RESP. Fateatur ergo tandem aliquando Pater Alexander, collationem Beneficiorum *ratione ſupremæ poteſtatis temporalis Principibus non convenire, abſque ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione ſeu conſenſione.* Conſultius fuiſſet, ac Theologo convenientius, ut in hac regula ſemper ſtetiſſet, & facultatem Beneficia conferendi *ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluxiſſe*, confeſſus ſemper fuiſſet. Declinaſſet enim multa abſurda, quæ ipſi admittenda fuerunt, ut defenderet, collationem illam *pleno jure* non eſſe quid ſpirituale : quanquam neque id tam expreſſè auſus eſt affirmare ; ſed tantùm ipſam *redolere quid temporale.*

3. Eâ confeſſione perpetuâ & conſtanti prætextum aliis Principibus ademiſſet jus ſimile ratione ſuæ Coronæ ambiendi, cujus ambitionis timor fortè Summi Pontificis animum in hac cum Rege Chriſtianiſſimo controverſiâ maximè anxium habuit. Sed, ſi prædictam regulam ſecutus ſemper fuiſſet Diſſertator, cauſæ cui patrocinabatur injuſtitiam detexiſſet : quia non potuiſſet demonſtrare, extenſionem Regaliæ ad omnes Regni Franciæ Eccleſias, quam defendendam ſuſceperat, fuiſſe *ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione ſeu conſenſione firmatam*, aut Beneficia in Eccleſiis hactenus liberis pleno jure conferendi facultatem, quam ſibi Rex Chriſtianiſſimus tribuit, *ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluxiſſe.*

4. Utrùm autem eadem fuerit Officialium Regiorum, ac Patris Alexandri mens, dum Regaliam *Jus Regium*, Jus Coronæ inſitum ac coævum appellabant, aliiſque hujuſmodi titu-

titulis inſigniebant, non opus eſt inquirere. Satis enim eſt, ut Pater Alexander, *Gallorum Juriſconſultorum ſeu veterum ſeu hodiernorum ſententiam, pronuntiata, rationes, praximque Regis Chriſtianiſſimi referens*, quod jam in ipſo Diſſertationis exordio præſtare ſe declaravit, legitimum ejuſmodi loquendi formularum ſenſum nobis exponat. Itaque totus hic Articulus omitti potuiſſet, utpote meram de nomine quæſtionem continens. Verùm ne Lector hanc Diſſertationis partem deſideraret, & quia interdum Patris Alexandri & aliorum qui Regaliam *Jus Regium* nuncupant, conſilium eſſe videtur, ut hinc concludant, Jus illud non minùs latè patere, quàm Regiam Ditionem, percurrenda ſunt quæ in hunc finem proferuntur, & oſtendendum illa nequaquam probare, Regaliam ad omnes Eccleſias Franciæ extendi potuiſſe, qui totius hujus Diſſertationis ſcopus eſt. Art.7.

5. Cur autem P. Alexander exquirens an Regalia Jus Regium rectè nuncupetur, collationis Beneficiorum duntaxat meminit? An putavit ſecùs eſſe de redituum perceptione? Certè in illa etiam militant rationes adductæ: *Cùm ſupremâ poteſtate præditi eſſent, qui Clodoveum anteceſſerunt Francorum Reges: nec tamen jus illud haberent; & alii Reges Chriſtiani ſupremâ pariter præditi ſint ſuis in Regnis poteſtate, nec tamen auguſto illo jure fruantur*, ſcilicet reditus Eccleſiarum vacantium percipiendi.

Art. 7. §. 1. 2.

§. PRIMUS.

Autoritas Sugerii.

1. DISSERT. „ Sugerii Abbatis verba, Epiſtola 20. „ *De Regalibus, ſicut in Curia Dominorum Regum* „ *Francorum mos antiquus fuiſſe dinoſcitur* &c.

2. RESP. Hoc teſtimonium extra rem eſt, cùm in eo Regalia *Jus Regium* non nominetur, ut poſtulat hujus Articuli inſcriptio. Præterea Regalia hîc intelliguntur feuda Eccleſiæ à Regibus data. Neque enim ulla fit à Sugerio collationis Beneficiorum, imò nec uſûs-frûctus expreſſa mentio.

§. SECUNDUS.

Autoritas Innocentii III.

1. DISSERT. „ Innocentii III. in Literis ad Philip„ pum Auguſtum anno 1210. datis, de collatione „ Præbendæ ab ipſo factâ Sede Laudunenſi vacan„ te ſcribentis: *Præbendam ejuſdem Eccleſiæ ut va„ cantem, ſecundùm antiquam & approbatam conſuetudinem „ Regni tui, M. Thomæ de Argentolio conceſſiſti.*

2. RESP. Neque Innocentius Regaliam *Jus Regium* nuncupat, juxta hujus Articuli titulum: aliud enim eſt conſuetudo alicujus Regni, aliud jus Regis vel jus Regium. Adde, quòd non ex propria ſententia, ſed Philippi ſenſum referens hæc ſcripſit Pontifex, ut Art. IV. §. 24. notavimus.

§. TER-

§. TERTIUS. Art. 7. §. 3. 4.

Autoritas Nangii.

1. DISSERT. „ Guillelmi Nangii in vita S. Ludovi-„ ci Regis: *ratione cuſtodiæ Regalium ex conſuetu-„ dine pertinebat ad eum collatio Præbendarum.*

2. RESP. Hoc teſtimonium, & alia pleraque conſuetudinem, ſive morem probant, quoad aliquas Eccleſias: ſed alia eſt hujus Diſſertationis quæſtio, cùm de extenſione Regaliæ agatur. Itaque cùm in hujuſmodi teſtimoniis jus à conſuetudine petatur, ubi deeſt conſuetudo, deeſt etiam jus. Adde, quòd cùm jus illud quoad Eccleſias obnoxias *Regium* à Nangio non appelletur, ad inſtitutum hujus Articuli non pertinet ejus teſtimonium.

§. QUARTUS.

Autoritas Clementis IV.

1. DISSERT. „ Clementis IV. in Literis ad S. Ludo-„ vicum Regem: *Eâ ratione quòd vacantes confers „ in Eccleſia ipſa* (Remenſi) *Præbendas, à tempo-„ re quo eamdem Eccleſiam Paſtoris regimine contin-„ git deſtitui, donec ſubſtitutus illi Archiepiſcopus Regalia reci-„ pit à te, hujuſmodi collationem in præjudicium tuum aſſeris eſſe „ factam* &c. *Uſui quo circa collationem Præbendarum ipſarum „ uteris, præjudicare nolumus, nec etiam intendimus.*

2. RESP. Clemens ut de Innocentio ac Nangio notavi-

* *Art.7.* *§. 5.* mus, *Regaliam Jus Regium non nuncupat*, & S. Ludovici mentem magis quàm ſuam exprimit, ut ſignificant hæc ejus verba: *Hüjuſmodi collationem in præjudicium tuum aſſeris eſſe factam.* De hac Epiſtola jam dictum eſt Art. IV. §. 32.

§. QUINTUS.

Autoritas S. Ludovici.

1. DISSERT. „Ludovici in Literis anno 1269. ſcri„ptis: *Perſonatus, Præbendas, & cætera Eccle„ſiaſtica Beneficia, ad noſtrum Patronatum, colla„tionem, ſeu præſentationem noſtram, tam ratione „Regalium, quàm alio quocunque jure pertinentia &c.*

2. RESP. Quâ ratione ex Sancti Ludovici verbis, etiamſi de Regalia propriè dictâ accipiantur, colligitur, Regaliam *Jus Regium* rectè nuncupari? An quia fit mentio Regalium? Sed Theologo indignus ac ferè puerilis eſſet hic argumentandi modus: Regalia appellatur Regalia: ergo *Regalia Jus Regium rectè nuncupatur.*

3. Prætereà poſſet hic locus intelligi de Patronatu obtento ratione donationis feudorum quæ Regalia appellantur, ac de ſimplici præſentatione, ut particula illa *ſeu* ſit explicatio vocis illius *collatio*. Nam ut probat Auguſtinus Barboſa in Tractatu de appellativa verborum utriuſque juris ſignificatione, appellat. 54. *Collationis appellatione continetur nominatio.*

§. SEX-

§. SEXTUS.

Art.7. §. 6.

Philippi Pulchri Autoritas.

1. DISSERT. „ Philippi Pulchri Regis Chriſtianiſſi-
„ mi in Epiſtola ad Bonifacium VIII. ſcribentis:
„ *Eccleſiarum ac Præbendarum vacantium collationem*
„ *ad Nos* JURE REGIO *pertinere.*

2. RESP. Hîc quidem Regalia Jus Regium nuncupatur: ſed, ut ipſiſmet verbis utamur quibus P. Alexander in principio hujus Articuli, *Jus Regium eo ſenſu vocatur, quòd antiquâ conſuetudine, poſſeſſione præſcriptâ & ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione ſeu conſenſione firmatum, Coronæ Regiæ coaluerit: ſicut Patronatus, quos vocant laïcos, ipſis quoque terris atque dominiis ex poſſeſſione inhærent, & quaſi temporalis juris loco habentur, cùm tamen id juris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluxerit.* Sin verò Philippus in alio ſenſu *Jus Regium* intellexiſſet, quandoquidem de Eccleſiarum ac Præbendarum vacantium collatione agitur, Summi Pontificis ſententia, ſententiæ Principis ſæcularis eſſet præferenda. Bonifacius autem in Literis, quibus reſpondet Philippus, niſi fortè ſuppoſitæ fuerant, ut putat Illuſtriſſimus Henricus Spondanus ad an. 1301. n. 11. ſcripſerat: *Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla ſpectat: etſi aliquorum vacantium cuſtodiam habeas, fructus eorum ſucceſſoribus reſerves.* Sed aliundè certè quàm ex illis Epiſtolis inveſtiganda eſt natura & juſtitia Regaliæ.

Art. 7. §. 7.

§. SEPTIMUS.

Edictum Philippi Pulchri an. 1302. *& ejuſdem Literæ.*

1. DISSERT. „ Verba ejuſdem in Edicto anni 1302. „ *Quantùm ad Regalias, quas Nos & noſtri Prædeceſſores percipere conſuevimus & habere in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri., quando eas vacare contingit: de quibus plures ad Nos querimoniæ devenerunt.* Et in „ Literis quæ incipiunt, *Sicut feodus*, ſuprà laudatis: *De jure „ & generali conſuetudine Regni noſtri* &c. *bona temporalia cum „ vacante Præbendâ vel Dignitate concedimus, & de eis diſponi„ mus* NOSTRO JURE.

2. RESP. Parùm facit hoc teſtimonium ad probandum Regaliam eſſe *Jus Regium*, ut poſtulat hujus Articuli titulus. Quâcumque enim ratione aut titulo legitimo diſpenſationem Beneficiorum ad ſe traheret Philippus, poterat ab eo dici *Jus noſtrum*; *Jus* autem *Regium* non ita propriè dictum fuiſſet, niſi ad eum tanquam Regem ſpectaſſet, & ex ipſo Regiæ Dignitatis fonte profluxiſſet. Jus autem illud quocumque nomine tunc vocaretur, conſuetudine comparatum fuerat, idque in aliquibus tantùm Eccleſiis, ut indicant hæc verba: *Percipere conſuevimus & habere in aliquibus Eccleſiis Regni noſtri.*

§. OCTA-

§. OCTAVUS.

Art.7. §. 8.

Autoritas Philippi Valeſii.

1. DISSERT. „ Philippi Valeſii , in Conſtitutione „ quæ Philippinæ nomen ad hæc tempora retinuit, „ datâ menſe Octobri anno 1334. *Nous nous tenons „ & ſuffiſamment & deuëment informés , que nos „ Devanciers Roys de France , pour cauſe de Regale & de la Noblesse de la Couronne de France , ont accoûtumé & ont eſté en „ poſſeſſion & ſaiſine de donner les Prebendes, Dignités, & Bene- „ fices , quand ils ont eſté vacans de droit & de fait , ou de droit „ tant ſeulement , ou trouvés non occupés & vacans de fait tant „ ſeulement : & que nous de ce en avons uſé , uſons , & enten- „ dons uſer* COMME DE NOSTRE DROIT ROYAL. *Et avons „ denié toute Audience de Plaid à ceux qui à noſdits uſages ac- „ coûtumés par nos Devanciers Roys de France , & par nous con- „ tinuez , & aux Droits Royaux qui en tel cas nous appartien- „ nent pour cauſe de noſtre Couronne, & aux collations par Nous, „ nos Devanciers ou Succeſſeurs , faites ou à faire és cas ſuſdits, „ ou en aucun d'iceux ſe voudroient oppoſer.*

2. RESP. Quid mirum , ſi Philippus Valeſius Regaliæ uſum ultrà limites antiquos in Eccleſiis, in quibus jam fructus vacante Sede ſuos faciebat , ad Beneficia vacantia tantùm de facto extendere tentans , ut conquerebatur Benedictus XII. in Epiſtola relatâ ab Odorico Raynaldo ad annum 1337. nn. 17. & 18. & à P. Alexandro referendâ Articulo VIII. §. 12. Regaliam quantùm potuit extulerit , & Jus Regium ad ſe ratione Coronæ pertinere dixerit ? Secùs verò ſentiebat pius ille doctus-

*Art.*7. doctusque Pontifex, rerumque Gallicanarum peritus. Exiſti-
§. 9. mabat enim *juri Divino & humano eſſe contrarium*, *quòd Rex de novo collationem Beneficiorum tempore Regaliæ ſibi vendicare conaretur*, quæ ſunt verba Benedicti in prædicta Epiſtola.

§. NONUS.

Autoritas Joannis Regis Franciæ.

1. DISSERT. ,, Joannis Regis Chriſtianiſſimi in Se- ,, natusconſulto die 20. Novembris anni 1361. ,, pronuntiato : *Fuit ex parte Procuratoris noſtri* ,, *propoſitum, quòd Nos & Prædeceſſores noſtri Re-* ,, *ges Franciæ fuerant, eramus, & ſumus in poſſeſſione & ſai-* ,, *ſina pacificis, ſoli & in ſolidum,* DE JURE ET DIGNITATE ,, REGIA ET CORONÆ FRANCIÆ, ATQUE JURE NOSTRÆ ,, REGALIÆ; *etiam de jure, uſu, ſtylo, & conſuetudine no-* ,, *toriis & notoriè obſervatis à tanto tempore quòd de contrariis* ,, *memoria non extabat, ſeu quod ſufficiebat ad bonam poſſeſſionem* ,, *acquirendam & retinendam, conferendi Canonicatus & Præ-* ,, *bendas Canonicales in Eccleſia Morinenſi, quoties ipſas Præ-* ,, *bendas vacaſſe ac vacare, ac vacantes ſeu vacuas aut non occu-* ,, *patas fuiſſe aut eſſe, de jure ſolùm, aut de facto ſolùm contin-* ,, *gebat & contingit, in Regalia noſtra, videlicet ipſâ Eccleſiâ* ,, *Paſtore vacante; abſque eo quòd alius quicunque præter Nos de* ,, *ipſis valeat ordinare inter alias Eccleſias Regni noſtri & alia* ,, *Beneficia Eccleſiaſtica in & de quibus Jure noſtræ Regaliæ con-* ,, *ſuevimus uti, & utimur modo prædicto.*

2. RESP. Non ſunt ipſa Regis verba, quæ hîc grandioribus characteribus à Patre Alexandro ſcripta ſunt. Quan-

quam nihil mirum eſſet, ſi Rex ipſe modum loquendi, quo uſus fuerat ejus Pater, ſecutus fuiſſet. Regii Procuratoris ſunt illa verba. Cœperant autem jam ejuſmodi Officiales Eccleſiaſticæ libertati, prætextu tuendorum jurium Regiorum detrahere: tunc enim plerique officio ſuo rectè defungi ſibi videntur, cùm jura Regia amplificant, etſi aliena minuant; fitque ſæpè, ut vigilantes diligenteſque Regiarum rationum Procuratores haberi malint, quàm juſti devotique filii Eccleſiæ. *Art.7. §. 10.*

3. Obſervabit iterùm Lector, hoc teſtimonio probari, Regaliam non habuiſſe locum in omnibus Eccleſiis Franciæ: *Inter alias*, inquit, *Eccleſias Regni noſtri*; & ſignificari Jus illud ex uſu, ſtylo & conſuetudine profluxiſſe. At indigni ſunt Reges Chriſtianiſſimi, quibus fides habeatur, dum Eccleſiis ſuam aſſerunt libertatem: oracula ſunt eorum verba, dum Regiam autoritatem in Eccleſias extollunt.

§. DECIMUS.

Aliud ejuſdem Regis teſtimonium.

1. DISSERT. „ Ejuſdem Regis, in Literis quibus „ Ducatum Burgundiæ Philippo Filio donavit, „ quas laudavit & confirmavit Carolus V. die „ 2. Junii anno 1364. *Salvis inſuper & retentis „ Nobis & Succeſſoribus noſtris Franciæ Regibus ſuperioritate „ & reſſorto dictorum donatorum. Fide etiam ac homagio Ducis „ præſtandis Nobis & Succeſſoribus noſtris prædictis*, REGALIBUSQUE AC JURIBUS ALIIS REGIIS AD NOS PERTI„ NENTIBUS AD CAUSAM NOSTRÆ CORONÆ. Has Li-

*Art.*7. „ teras in Annalibus Papirii Maſſoni, lib. 4. pag. 475. lege-
§. 11. „ re eſt.

2. RESP. Regalia hîc non accipiuntur eo ſenſu quo in numero ſingulari Regalia definita eſt à P. Alexandro Art. 1. §. 1. ſed pro juribus illis temporalibus quæ à Scriptoribus qui de Domanio Regio diſputarunt explicantur; ac præſertim de iis quæ Regibus debentur ratione feudorum ab ipſis immediatè pendentium. Nec, ſi aliter ſumeretur hoc verbum, facilè foret Diſſertatori deſignare Eccleſias illius regionis, quam Carolus V. Philippo fratri, juxta Joannis communis amborum parentis voluntatem donavit ſeu confirmavit, in quibus tunc temporis locum haberet Regalia, prout in hac Diſſertatione intelligitur. Non enim Ducatus Burgundiæ omnem illum tractum complectebatur, qui poſtea eâ nuncupatione inſignitus eſt.

§. UNDECIMUS.

Autoritas Gregorii XI.

1. DISSERT. „ Gregorii Undecimi in Diplomate „ dato v. Kal. Septembris anno 1375. de Remiſſione „ Regalium Petro Rothomagenſi Archiepiſcopo factâ à Carolo V. Chriſtianiſſimo Rege: *Volumus*, inquit, *& Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium* „ *concedimus, quòd per hujuſmodi Remiſſionem Regaliæ, eidem* „ REGALIÆ, *& ejus* JURIBUS, *in quibuſcunque conſiſtant,* „ REGI *& ejus Succeſſoribus, ſeu etiam* CORONÆ REGIÆ, *nullum in poſterum præjudicium generetur, nec ad conſequentiam* „ *trahi valeant in futurum.* Editum eſt in Probationibus Libertatum

„ tatum Eccleſiæ Gallic. cap. 15. num. 34. pag. 385. Refert *Art.*7.
„ etiam Chopinus lib. 1. *De ſacra Politia, Tit.* 7. n. 14. §. 11.

2. RESP. Jus Regis ſeu *Coronæ Regiæ* dicitur quod ad Regem non privato ſed Regio nomine pertinet & ad ſucceſſores Reges tranſit, quamvis ab Eccleſiæ conceſſione proceſſerit: ſicut in Concordatis quintus titulus eſt *de Regiâ ad Prælaturas nominatione*, quod Jus Regium rectè dici poteſt, tametſi per ipſamet Concordata Regibus Chriſtianiſſimis à Leone X. conceſſum ſit. Addi poſſet, quòd etiamſi quis declaret, ſe nolle alterius juri præjudicium generare, non ideò fatetur, alterum habere jus illud. Rex Franciæ fructus novo Epiſcopo Rothomagenſi propter Gregorium remiſerat: num Pontifex Regi gratias agens decernere debuit, Regaliam non eſſe nuncupandum Jus Regium: præſertim cùm Rex timere videretur, ne remiſſio à ſe facta juri ſuo præjudicaret? Non approbat Gregorius, ſed recitat modum loquendi, quo Regalia Jus Coronæ Regiæ dicebatur, ut ex ejus verbis liquet: *Chariſſimo*, inquit, *in Chriſto Filio noſtro Carolo Regi Francorum illuſtri ratione temporalitatis dictæ Rothomagenſis Eccleſiæ, homagium & fidelitatis debitæ juramentum*, PROUT FERTUR, *præſtare tenetur. . . . Regaliam quam ratione hujuſmodi vacationis dictæ Rothomagenſis Eccleſiæ, ibidem* HABERE DICITUR. Accedit, quòd ſi Gregorius abſolutè, nec tantùm enunciativè, Regaliam Jus Regiæ Coronæ nuncupare dicatur, nihil aliud ſignificaret, quàm Jus illud Regi competere in aliquibus Eccleſiis ex antiquâ conſuetudine, & tolerantiâ Eccleſiæ, non autem ex propriâ, Regis conditione ad eum pertinere vel ex ipſo Regiæ Dignitatis fonte proficiſci, ut Diſſertator ipſe initio hujus Articuli confeſſus eſt, ſaltem de præcipuâ Regaliæ parte, quæ eſt Beneficiorum collatio.

Art.7. §. §. 12.13 14.15

§. §. DUODECIMUS &c.

Teſtimonia Regum Regaliam Jus Coronæ appellantium.

1. DISSERT. §. 12. „Idem probant, Ordinatio Re-„gia in Scriniis Cameræ computorum Pariſienſis „deſcripta, quæ incipit: *Dum Epiſcopus* : cujus „hæc ſunt verba: *Et confert Rex Beneficia, tan-„quam in Regalia vacantia, & hoc* DE JURE ET CONSUETU-„DINE REGNI, ET SUÆ CORONÆ FRANCIÆ.

2. §. 13. „Literæ Caroli VII. anno 1422. datæ : *Cujus „quidem Canonicatus & Præbendæ, & omnium ſingulorum Ca-„nonicatuum, Præbendarum, & Dignitatum, Perſonatuum, & „aliorum Beneficiorum ipſius Eccleſiæ vacantium, dictâ Regaliâ „vigente, collatio atque omnimoda diſpoſitio* JURE REGALIÆ „ET REGIÆ DIGNITATIS RATIONE, *pleno jure noſcatur per-„tinere ad Nos.*

3. §.14. „Ludovici Undecimi Edictum, anno 1463. datum: „*Comme entre nos autres Droits* A NOUS APPARTENANS, „NOUS AYONS DROIT A CAUSE DE NOSTRE COURON-„NE, SOUVERAINETE, ET TEMPORALITE, *& ſoyons en „poſſeſſion & ſaiſine, tant par Nous que par nos Predeceſſeurs, „de tel & ſi long-temps qu'il n'eſt memoire du contraire, de confe-„rer les Benefices Eccleſiaſtiques vacans en* REGALE *en noſtre-„dit Royaume.*

4. §. 15. „Ludovici XIII. in Edicti anno 1629. Art. 16. „*Nous entendons joüir* DU DROIT DE REGALE, QUI NOUS „APPARTIENT A CAUSE DE NOSTRE COURONNE, *ainſi que „par le paſſé.*

5. RESP.

5. Resp. Quodnam eſt in congerendis hujuſmodi teſti- *Art.7.*
moniis conſilium Patris Alexandri ? Si *Regaliam* ideò *Jus Re-* §: §.
gium rectè nuncupari contendit, quòd Regi tanquam Regi, ac 12.13
titulo Coronæ competat, abſque conceſſione, vel ſaltem con- 14.15
ſenſu Eccleſiæ, errorem adſtruit, quem jam in limine iſtius Articuli repudiavit his verbis; *Regalia quatenus Beneficia conferendi Jus involvit, Jus Regium eſſe eo ſenſu, quòd ratione ſupremæ poteſtatis temporalis Principibus conveniat, nemo dixerit.* Si autem vult tantùm, ut ibidem declarat, quòd *Jus Regium eo ſenſu vocetur, quòd antiquâ conſuetudine, poſſeſſione præſcriptâ, & ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione ſeu conſenſione firmatum Coronæ Regiæ coaluerit: ſicut Patronatus quos vocant laïcos, ipſis quoque terris atque dominiis ex poſſeſſione inhærent, & quaſi temporalis juris loco habentur : cùm tamen id juris ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluxerit :* id non moleſtè feremus, dum ſanè accipiatur, nec in præjudicium Eccleſiæ deflectatur. Nec enim negamus *ex antiquâ conſuetudine, poſſeſſione præſcriptâ & ipſius Eccleſiæ ſeu conceſſione ſeu conſenſione*, Regem Chriſtianiſſimum in aliqùibus Eccleſiis Regaliæ Jus habere; idque non tanquam privatam perſonam, ſed tanquam Regem, quia Jus illud cum Corona tranſit ad Succeſſores, ſicut jus Patronatûs tranſit cum univerſitate bonorum, quibus inhæret, quamvis *temporalis juris loco haberi* non debeat, nec poſſit abſque ſimonia. Porrò ſi Regalia *ex Eccleſiaſticæ poteſtatis fonte profluxit*, Eccleſia jure merito prohibere poteſt, ut jam in Concilio Lugdunenſi prohibuit, ne ultra ſuam conceſſionem dilatetur.

6. Itaque totum iſtum Articulum, ceu quæſtionem de nomine parùm curarem, ut jam ſuprà notavi, niſi vererer, ne anguis lateat in herbâ; id eſt, ne poſtquam Diſſertator ſtatuerit, Regaliam *Jus Regium rectè nuncupari*, de illa ſicut de

Art.7. juribus Regiis merè temporalibus, & Regiam Dignitatem ne-
§. §. ceſſariò comitantibus, judicari velit; ac præcipuè quòd Rex
12.13 Chriſtianiſſimus tanquam ſupremus Judex declarare poſſit,
14.15 eam in omnibus Eccleſiis ſibi competere, quod reipsâ probare nititur Articulo ſequenti. Cavenda eſt autem æquivocatio eò magis, quòd de Beneficiorum collatione tantùm, non verò de uſu-fructu Eccleſiarum vacantium à Diſſertatore conceditur, Regaliam *ratione ſupremæ poteſtatis temporalis Principibus non convenire:* cùm de utroque idem cenſendum ſit, licèt de collatione Beneficiorum ſit manifeſtius.

7. Poſſemus quidem ſuprà relatis teſtimoniis opponere, illa parùm eſſe efficacia: quia cùm de nuncupatione rerum agitur ut earum natura vel origo pleniùs cognoſcatur; prima vel antiquiora monumenta conſulenda ſunt. Inducta eſt Regalia occaſione Regalium, ſeu feudorum à Regibus ad Eccleſias collatorum, per conſuetudinem adeò obſcuram, ut ejus principium lateat. Inductam Reges accuratiſſimè retinuerunt; & latiſſimè ampliarunt, eodem ſemper nomine illam nuncupantes. Cùm autem certum aliquem ac legitimum ejus titulum, (ſaltem ſi excipias uſum-fructum feudorum in illis provinciis in quibus ex conſuetudine pertinet ad Dominum feudi, deficiente vaſallo) non poſſent aſſignare, atque illâ non ut privati, ſed ut Reges uterentur, eam ad jura Coronæ retulerunt, Juſque Regium aut Regni appellarunt.

8. Sed non eſt nobis propoſitum, de nomine diſputare: Regalia Jus Regni aut Regis, Jus Coronæ nuncupetur, dummodò per illa nomina intelligatur id, quod ad Regem, non tanquam privatam perſonam, ſed tanquam Principem pertinet; non quidem ex ipſa Principatûs conditione, ſed ex conceſſione, vel ſaltem ex libero Eccleſiæ conſenſu; dumque ex

illis

illis nuncupationibus non inferatur Regaliam tam latè patere, *Art.7.*
quàm Regnum ipſum. In his enim ipſis teſtimoniis, quæ hîc §. 16.
à Diſſertatore proferuntur, fit mentio *conſuetudinis*, *poſſeſſionis*, *uſûs præteriti*, quæ in certis tantùm Eccleſiis locum habent.

§. DECIMUS SEXTUS.

Teſtimonium Petri de Boſco.

1. DISSERT. „ Eumdem loquendi modum uſurpa-
„ runt Juriſconſulti Galli. Petrus de Boſco Advo-
„ catus Regius in Prætorio Conſtantienſi, in De-
„ liberatione ſuper agendis à Philippo Pulchro Re-
„ ge Chriſtianiſſimo contra Bullam Bonifacii VIII. quâ pote-
„ ſtatem in ſpiritualibus & temporalibus ſibi vendicabat, de
„ Jure Regaliæ hæc habet : *Item idem Rex à tempore Caroli Mag-*
„ *ni de cujus genere deſcendit, poſſedit & præſcripſit collationem*
„ *Præbendarum, & fructus cuſtodiarum Eccleſiarum, non ſine*
„ *titulo & occupando, ſed ex dono Hadriani Papæ, qui de aſſen-*
„ *ſu Concilii Generalis eidem Carolo hoc & quaſi ſine comparatio-*
„ *ne majora conceſſit, videlicet quòd Ipſe & ejus Heredes perpe-*
„ *tuò poſſent Romanos Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Prima-*
„ *tes, Archiepiſcopos, ac Epiſcopos omnes Catholicos quos vellent*
„ *nominare. . . . . Quæ quantùm ad electionem Prælatorum,*
„ *Ludovicus heres dicti Caroli remiſit, collationem Præbendarum,*
„ *& dominium fructuum cuſtodiæ Eccleſiarum retinendo, prout ſin-*
„ *guli Reges Francorum hactenus uſi fuerunt.*

2. RESP. Admodùm ſuſpecta eſſet Advocati Regis Philippi Pulchri tempore diſſidii inter Bonifacium VIII. & Philippum

Art. 7. lippum loquentis autoritas, ſi propoſito Diſſertatoris faveret.
§. 17. Quis enim ignorat, ut jam obſervavimus, non raro hujusmodi Officiales de amplificandâ Principum poteſtate magis eſſe ſolicitos, quàm in ſervandis Eccleſiæ juribus religioſos, & illatam Eccleſiis injuſtitiam officii ſui neceſſitate ſæpiùs excuſare. Sed Petri de Boſco teſtimonium ad hujus Articuli argumentum nihil facit, nec enim poteſt ex illo colligi, *Regaliam Jus Regium rectè nuncupari*, ſi eâ voce deſignetur poteſtas ex ipſa Dignitate Regiâ promanans. Imò contrarium potiùs ex eo colligendum eſſet. Primò enim, Regaliæ originem ad tempus Caroli Magni conſignat: unde ſequitur ipſam Regiâ Coronâ longè eſſe recentiorem, atque adeò non eſſe Jus ipſi coævum & inſitum. Secundò, ejus originem conceſſioni Eccleſiæ attribuit *dono Hadriani Papæ*. Sed ut verum fatear infirmiſſimum eſt hujus Advocati teſtimonium & Hiſtoriæ veritati minimè conſentaneum; tum quia falſum aſſignat Regaliæ titulum, ſcilicet conceſſionem ab Hadriano Papa factam, quam P. Alexander jam Art. 1. §. 1. ac deinde alibi, falſam confeſſus eſt: tum quòd affirmet Ludovicum heredem Caroli Magni collationem Præbendarum & dominium fructuum Eccleſiarum vacantium retinuiſſe, quod à diſciplina illius ævi prorſus alienum eſt, ut alibi oſtendimus.

§. DECI-

Art. 7. §. 17. 18.

§. DECIMUS SEPTIMUS.

Teſtimonium Guillelmi Benedicti.

1. DISSERT. „ Guillelmus Benedicti Præſes Toloſa-„ nus in Repetitione Cap. Raynutius : ſuper ver-„ bo, *Uxorem*, num. 369. ait, quòd Franci con-„ tendunt nihil ipſis peculiarius eſſe INTER JU-„ RA CORONÆ, quàm iſtud illuſtre & excellens Jus Rega-„ liorum.

2. RESP. Verbum illud *contendunt*, ſatis indicat, rem incertam eſſe, atque Francorum ſtudio magis, quàm ratione conſtare, quod in §. ſequenti clariùs patebit. Adde, quòd Regalia non incongruè *Jus Coronæ* dici poteſt, tametſi ex conceſſione Eccleſiæ pendeat, uti ſuprà explicavimus.

§. DECIMUS OCTAVUS.

Teſtimonium Ruzæi.

1. DISSERT. „ Arnulphus Ruzæus, in Præfatione „ Tractatûs de Jure Regaliorum : *Jus*, inquit, „ *Regaliorum eſt ſpecies excellentior quàm juris Pa-„ tronatûs. . . . . Illud eſt Jus inter præcipua jura „ Coronæ, quod cenſetur digniſſimum, quod Reges Francorum „ hactenus ſibi vendicaverunt*, &c.

2. Ruzæus in ſua Præfatione part. 1. num. 4. teſtimonium Guillelmi Benedicti laudans & explicans, abſurdum & repugnans profert Regaliæ fundamentum, quòd ſcilicet *illuſtre*

Art. 7. *& excellens Jus Regaliorum cœlitùs Francorum Regibus conceſ-*
§. 19. *ſum fuit : & quòd ſucceſſit in locum Inveſtituræ Præſulum, quam retroactis annis Adrianus Pontifex Maximus Regibus contulit Cap. Adrianus 63. diſt.* Quomodò illud Jus cælitùs Francorum Regibus conceſſum eſt, ſi collatum eſt ab Adriano Pontifice ? An quæcunque Privilegia Principibus dantur, cœleſtia dona ſunt ? Deus quidem rerum omnium prima origo eſt : ſed ſi eo tantùm ſenſu *Jus Regaliorum cœlitùs Francorum Regibus conceſſum* diceretur, non prædicaretur ut *inter præcipua jura Coronæ digniſſimum, illuſtre & excellens.* Quomodò autem Coronæ coævum eſt, ut Regaliſtæ volunt, ſi ſucceſſit Inveſtituris Carolo Magno ab Adriano conceſſis diu poſt conſtitutam Franciæ Monarchiam, imò diu poſt ſuſceptam à Regibus Franciæ Chriſtianam Religionem ? Quæ firmitas eſt fundamenti Regaliæ ; ſiquidem ſucceſſiſſe dicitur Inveſtituris ab Adriano conceſſis, quæ reverâ conceſſæ non fuerunt, ut fatentur, qui falſum eſſe agnoſcunt Caput *Adrianus* diſt. 63. in quo hæc conceſſio narratur ; è quorum numero eſt Pater Alexander ?

§. DECIMUS NONUS.

Teſtimonium Probi.

1. DISSERT. „ Philippus Probus , quæſt. 2. de „ Jure Regaliæ : *Ex quibus omnibus*, inquit, *inferunt præfati Regaliſtæ, dictum Jus Regaliæ ad Regem Franciæ ratione ſuæ Coronæ pertinere, non ſolùm in una Eccleſia Cathedrali vel pluribus, ſed etiam in omnibus* „ *Regni*, &c. Et quæſt. 49. *Quis tempore apertæ Regaliæ fructus Digni-*

„ *Dignitatis Epiſcopalis vel Archiepiſcopalis ſuos faciat? Brevi-* Art. 7.
„ *ter dic, quòd Rex, cui, inquit, quòd* AD CAUSAM CORONÆ §. 19.
„ REGIÆ, *ab omni ævo, ſeu tempore, quo primò fuerunt fun-*
„ *datæ Eccleſiæ Cathedrales & Metropolitanæ, tanquam Funda-*
„ *tori & Domino feudali, cui debetur fidelitas, dicti fructus Sede*
„ *vacante debentur, illoſque ſuos facit eo ipſo . . . . Beneficia-*
„ *que ad plenam diſpoſitionem Dignitatis Epiſcopalis ſpectantia*
„ *confert Jure Regaliæ. Quæ collatio ſeu diſpoſitio de jure commu-*
„ *ni eſt in fructu, ſeu computatur inter fructus.*

2. RESP. Probus, quæſt. 2. aliorum ſententias refert: quæſt. autem 62. num. 2. ex propria ſententia dicit, quòd *Jus Regaliæ eſt extraordinarium, à Privilegio, conſuetudine, aut immemoriali tempore procedens*. Quæſt. verò 60. Regaliam non habere locum in omnibus Eccleſiis oſtendit, & eas quæ in ſuâ naturali & canonicâ libertate remanſerant, enumerat.

3. Quæſtione quidem 49. Regaliam inter jura Coronæ recenſet; ſed niſi probè intelligatur, ex ipſa, quam affert, ratione confutatur, nempe quòd Reges ſint fundatores Eccleſiarum Cathedralium, & Domini feudales. Etſi enim ſupponeremus, Eccleſias à Regibus dotatas ac fundatas fuiſſe: fundatori, dum vacat Eccleſia, non debentur fructus, niſi eos ſpeciatim ſibi reſervaverit, nec collatio Beneficiorum, ſed tantùm præſentatio ad illa. Dominus autem feudi, ne quidem uſumfructum ſibi vendicare poteſt in provinciis à Jure Relevii liberis. Verùm docet Probus ipſe quæſt. 19. num. 14. & quæſt. 49. num. 6. teneri Principes, probare ſe eſſe fundatores.

Art.7. §. 20.

§. VIGESIMUS.

Teſtimonium Ægidii Magiſtri.

1. DISSERT. „ Ægidius Magiſter Senatus Pariſien-
„ ſis Princeps; Tractatu de Regalibus cap. 2. *La*
„ *Regale eſt un Droit appartenant au Roy à cauſe de*
„ *ſa Couronne, acquis par ſes Predeceſſeurs par lon-*
„ *giſſime poſſeſſion, coûtume inveterée & preſcrite par temps imme-*
„ *morial.*

2. RESP. Si ex præſcriptione tantùm Jus Regaliæ à Regibus Franciæ comparatum eſt, non eſt Coronæ inſitum, ſed additum, & ſervanda eſt regula; *Tantum præſcriptum quantum poſſeſſum.* Accedit, quòd plures Juriſconſulti Beneficiorum collationem à laïcis præſcribi poſſe negant, ut videbimus Articulo ſequenti §. ultimo. Cæterùm Ægidius Regaliam non accipit ubique in illâ ſignificatione, quam habet in definitione à Patre Alexandro traditâ, ſed aliquando pro quolibet jure Regio in bona Eccleſiarum, etiam citra uſum-fructum, qualis eſt præſtatio fidei vel hominii propter feuda Regalia jam amortizata; & hac ratione Regalia Jus Coronæ poſſet nuncupari. Sed plana eſt verborum Ægidii ſententia, quòd Jus Coronæ dicatur, quia diuturnâ conſuetudine Regibus quæſitum eſt.

§. VIGE-

§. VIGESIMUS PRIMUS. Art. 7. §. 21.

Teſtimonium Renati Chopini.

1. DISSERT. „ Renatus Chopinus, lib. 1. *De ſacra* „ *Politia*, tit. 7. n. 13. *Atque ego quidem enixè optaſ-* „ *ſem, Regalia hæc Sacerdotalia attribui Sanctæ Se-* „ *dis Privilegio poſſe, ſi quod fide dignâ chartulâ pro-* „ *deretur. Sed minimè interim Jure deſtitui Regalia exiſtimo, nec* „ *rei Beneficiariæ diſtributionem, de qua agitur, nimirùm à Prin-* „ *cipe quaſi Patrono ſibi reſervatam, ac immemorabili ſimul poſ-* „ *ſeſſione ſtabilitam*. . . . Num. 14. *Quocircà Gregorius* XI. „ *ingenuè declaravit Reſcripto* (eo nimirùm quod ſuprà lau- „ davi) *Gallici Sceptri profectitium eſſe potiùs hoc Regaliorum* „ *Jus, quàm adventitium, aut alieno partum beneficio: quo* „ *nempe alioquin Princeps in donatorem ipſum Pontificem ejuſve* „ *propinquos ac familiares uti nequiviſſet; nec opus habuiſſet Pon-* „ *tifex commendatitio iſto in Regem Diplomate*. Et lib. 2. *De Do-* „ *manio Gallico*, Tit. 9. *Summus Dominatus conſiſtit in duobus po-* „ *tiſſimùm, in Fide Clientelari: tum in Lege Regaliorum Sacer-* „ *dotalium, cui novo jure Leonini Concordati, acceſſit Regia* „ *Nominatio ad Eccleſiaſticas Præfecturas. Hæ namque ſupremi* „ *honoris notæ, Principatûs titulis ſic affixæ ſunt, quaſique innati* „ *characteres ſummæ Poteſtati, ut inceſſibiles haud dubiè cenſean-* „ *tur, & à Regali Dignitate inſeparabiles.*

2. Fatetur, vel potiùs probat Chopinus lib. 1. *De ſacra Politia*, tit. 7. num. 12. Regaliam, ſaltem quoad Beneficiorum collationem, quæ præcipua ejus pars eſt, non eſſe Jus Coronæ inſitum; id eſt Regi non competere præciſè ut Regi. Ait

 enim

Art. 7. §. 21. enim : *Si reſpectu profani in bona templorum Dominii, Princeps ſuis uteretur Regalibus in dandis Eccleſiæ Beneficiis, Sede vacante, ſequeretur tales collationes profani omninò juris eſſe, ac Epiſcopum, cujus vice mortui ſucceſſor Rex conferat, Sacerdotalia largiri, non divinitùs inſtituta illa ſacroſancti muneris ſui poteſtate, ſed profani feudorum dominatus. Quo nihil abſurdius dici vel excogitari de Antiſtite poſſit. Cùm ante prædiorum in Eccleſiam donationes ſancitum fuerit Epiſcopis jus manûs imponendæ ordinandique Sacerdotis. Imò* NEC SACERDOTII COLLATIO HABETUR IN FRUCTU, *ut ſacro Epiſcopali Collegio liberè competat in locum defuncti Præſulis ſuccedenti, ſed tantùm ut electos neceſſariò confirmet aut à Patrono oblatos inſtituat. C. Cùm olim. De Major. & Obed. Unde & multò minùs Rex, orbatâ ſuo Pontifice Diœceſi, Pontificale gereret dandorum Sacerdotiorum munus,* NISI IN LEGE FUNDI DOTALIS ECCLESIARUM QUARUMDAM HOC SIBI IPSE JUS RECEPISSET, AC MULTIPLICI ANNORUM CENTURIA MANDANDIS SACERDOTIIS RETINUISSET. Miſcet Chopinus Ordinationem cum collatione Beneficiorum : liquet tamen ex ejus ſententia, neutrum Regi convenire ratione Dominii temporalis, ſed ipſum Beneficia conferre, quia illud jus in fundatione aliquarum Eccleſiarum receptum eſt, ac ſubſequente præſcriptione roboratum ; *niſi in lege fundi dotalis Eccleſiarum quarumdam hoc ſibi ipſe jus recepiſſet* &c.

3. Id quoque certum eſt, ſenſiſſe Chopinum, quòd collatio Beneficiorum in omnibus Eccleſiis Regi non competat. *Atqui Regalia*, (inquit num. 11.) *iſta non ubique exercentur à Principe inter ſuos, multòque arctioribus, quàm Regni limitibus conſcribuntur & terminantur : licèt alioquin Regii Diadematis ſphærica forma ſit, in qua nihil inciſum angulis, nihil ſinuoſum, æqua-*

æqualitatemque motûs ac conſtantiam in omnibus ſuis partibus Art. 7.
figura ſervet hujuſmodi. §. 22.

4. Sed cur Pater Alexander prætermiſit, nullo appoſito omiſſionis ſigno, verba Chopini num. 13. quæ ſignificant, ipſum exoptaſſe, ut Papa Regi Chriſtianiſſimo Privilegium concederet Beneficia conferendi? *Atque ego quidem*, inquit, *enixè optaſſem, Regalia hæc Sacerdotalia attribui Sanctæ Sedis Privilegio poſſe, ſi quod fide dignâ chartulâ proderetur*: SIVE PONTIFICI MAXIMO COLLIBUISSET ILLUD CERTO PERPETUOQUE VELUT EDICTO SANCIRE. *Sed minimè* &c. Profectò votum his verbis expreſſum; *ſive Pontifici Maximo collibuiſſet* &c. teſtatur, Chopinum parùm ſecuros exiſtimaſſe titulos Regiæ Coronæ ac Patronatûs ad conferenda pleno jure Beneficia; imò nec Juri à conſuetudine orto planè fuiſſe confiſum: quæ ſententia certior adhuc apparebit, ſi adjungas, omnes illas prærogativas, quæ Jus illud in immenſum auxerunt, atque Eccleſiæ injurioſum pariter & odioſum reddiderunt.

§. VIGESIMUS SECUNDUS.

Teſtimonium Paſquierii.

1. DISSERT. „ Paſquierius lib. 3. Diſquiſitionum „ Francicarum, cap. 35. *La Regale eſt un Droit an- „ nexé à la Couronne de France, comme l'un de ſes „ plus beaux fleurons. . . . . Tout ainſi que nous „ nommons ce Droit Regale, auſſi eſt-il né avec noſtre Royaume, „ au moins déſlors que nos Rois eurent reçû le ſaint Sacrament de „ Bapteſme. Droit qui eſt tant ſpecialement affecté à la Royauté,*

que

Art. 7. „ *que combien qu'un Prince Regent ait toute Puiſſance Souveraine,*
§. 22. „ *ſi ne peut-il conferer les Benefices vacans en Regale.*

2. RESP. Debuit Pater Alexander, ut fidelis Hiſtorici munere defungeretur, addere, Paſquierium in eodem capite Regaliam ad Eccleſiæ conceſſionem retuliſſe; ne quis exiſtimaret, eam ab ipſamet Regia Corona originem duxiſſe: *Combien que noſtre Regale ſoit grandement celebrée par la bouche des Advocats de la France, comme une Loy, par laquelle* LES PRELATS ONT CEDE *à nos Rois ce Droit de collation des Benefices: toutesfois nous ne pouvons bonnement deſcouvrir le temps de ſon origine.*

3. Idem autem Paſquierius cap. 37. vocat adulatores Curiæ, *Flateurs de Cour*, eos qui univerſos Epiſcopatus Franciæ Regaliæ ſubjiciunt, eorumque opinionem erroneam declarat. Unde fraus detegitur eorum, qui Regaliam ad omnes Eccleſias porrigi ex eo concludunt, quòd Jus Regium, aut Jus Coronæ à quibuſdam Scriptoribus dicatur, cùm iidem Scriptores eam nihilominùs ad quaſdam tantùm Diœceſes contrahant. Quocirca ſapientiſſima videtur ejuſdem Paſquierii ſententia in prædicto cap. 37. *Il ne faut rien oſter à l'Egliſe, pour le donner à nos Rois, n'y leur oſter pour le donner à l'Egliſe. La plus ſeure guide de nos actions eſt la longue ancienneté. Or que toutes les Egliſes Cathedrales ne tombent en Regale, nous avons pluſieurs Ordonnances qui le nous enſeignent.* Id eſt: „ Nihil eſt Eccleſiæ „ detrahendum, ut Regibus noſtris tribuatur; nihil tollen- „ dum Regibus, ut ad Eccleſiam conferatur. Securior agen- „ dorum à nobis dux, diuturna & antiqua conſuetudo. Por- „ rò quòd omnes Eccleſiæ Regaliæ non ſubjaceant, plurimæ „ nos docent Conſtitutiones.

§. VIGE-

§. VIGESIMUS TERTIUS. Art.7. §.23.

Teſtimonium Caroli de Graſſalio.

1. DISSERT. „Carolus de Graſſalio, Regalium „ Franciæ lib. 2. Jure primo: *Primum Jus* (inquit) „ *quod habet Illuſtriſſimus Francorum Rex in Eccleſia* „ *Sancta per gratiam Dei, eſt facultas conferendi* „ *Dignitates & Beneficia Eccleſiaſtica in Regno ſuo Jure Rega-* „ *liæ: quod ſic appellatum eſt, quia Regibus ita peculiare eſſe Fran-* „ *ci contendunt, ut nihil magis ad* JUS REGIUM *pertinere poſſit,* „ *ſecundùm Gaguinum, lib 7. cap.* 3.

2. RESP. Graſſalius etiam lib. 2. cap. 1. Regaliam intrà certas Eccleſias concludit quarum Catalogum texit. Dum hoc in tuto ſit, parùm oberit nuncupatio. Eſt enim præ oculis ſemper habendum, *extenſionem Regaliæ* hujus Diſſertationis eſſe argumentum, & totius controverſiæ cardinem. Quis autem neſciat ejus generis Scriptoribus in more poſitum, ut quæcumque ad ſuam nationem, ſuumve Principem ſpectant, honorificentiſſimis decorent nominibus, & laudibus extollant ampliſſimis? Id in teſtimonio etiam ſequenti notabitur.

Art. 7. §. 24.

§. VIGESIMUS QUARTUS.

Teſtimonium Bengei & Pinſonii.

1. DISSERT. „ Antonius Bengeus Anteceſſor Bituricenſis, & Franciſcus Pinſonius in Senatu Pariſienſi Advocatus, in Tractatu de Beneficiis, „ pag. 327. *Animadvertendum eſt*, inquiunt, REGALIAM VERE ESSE JUS REGIUM, *Regibus noſtris præcipuum & peculiare. . . . Cùm autem ipſam Regaliam ex ſacro „ & auguſto Jure Coronæ originem mutuari diximus, ipſique cohærere, ex eo inferre licet generalem eſſe illius uſum, & in „ omnes hujus Gallici Imperii Epiſcopatus, Archiepiſcopatus & „ Primatias ſeſe diffundere, nec aliquas eſſe quæ ſe abſcondant „ vel ſubripiant ab obſervatione, ſicut nec à Dominatione vel Imperio.*

2. RESP. Fruſtrà hîc laudatur Bengeus, cùm non ſit Autor teſtimonii hîc relati, ut colligitur ex præfatione Pinſonii, qui Tractatum de Beneficiis à Bengeo inchoatum, & ad hunc uſque locum non perductum, abſolvit. Eſt igitur Pinſonii ſolius teſtimonium hîc exſcriptum. Sed quid mirum, ſi Advocatus, cui ſcimus ab Aula præceptum, ut extenſionem Regaliæ defenderet, quemque veriſimile eſt unum ex illis Juriſconſultis fuiſſe, qui Patri Alexandro partem materiæ, quâ hæc Diſſertatio conſtat, ſubminiſtrarunt, Regaliam commendaverit & amplificaverit?

3. Quid reponeret Diſſertator, ſi Tractatus contra Regaliæ extenſionem editos ei objiceremus? Reſponderet, nullius illos auctoritatis eſſe, utpote *ab Impugnatoribus Juris Regii* editos.

tos. Idipſum nos, ſed ratione longè potiori opponimus iis, *Art. 7.*
qui prædictæ extenſioni patrocinantur, quòd ſcilicet nullius §. 24.
momenti ſit illorum ſententia, (ſi tamen ita ſentiunt omnes, ut loquuntur) quippe cùm libertatem ac jus Eccleſiæ impugnent.

4. Vides, Lector, ex iis quæ hactenus dicta ſunt, quàm parùm eſſet utilis Patri Alexandro hic Articulus, ubi tot teſtimonia jam alibi relata regerit ad probandum Regaliam *Jus Regium* rectè nuncupari, niſi ſperaret eâ ratione ſe faciliùs ſuaſurum, Regem Chriſtianiſſimum eam propriâ autoritate potuiſſe ſibi in omni ſua Ditione attribuere, quod unum ſibi in hac Diſſertatione propoſuit. Illud conſilium apertiùs explicavit Pinſonius hîc relatus, dum ait: *Cùm autem ipſam Regaliam ex ſacro & auguſto Jure Coronæ originem mutuari diximus, ipſique cohærere, ex eo inferre licet, generalem eſſe illius uſum, & in omnes hujus Gallici Imperii Epiſcopatus, Archiepiſcopatus & Primatias ſeſe diffundere.* Sed quàm vana ſit & futulis hæc conſequentia, vel ex eo patet, quòd, ut frequenter obſervavimus, Scriptores omnes, (exceptis pauciſſimis recentioribus Aulæ adulatoribus) qui Regaliam *Jus Regium* aut *Jus Coronæ* nuncuparunt, eam tamen inter certas aliquas Provincias & diœceſes circumſcripſerunt.

Art. 7. §. 25.

§. VIGESIMUS QUINTUS.

De Declaratione Regis Chriſtianiſſimi Regaliam ad omnes Eccleſias extendentis.

1. Dissert. „ Novum itaque loquendi modum „ non uſurpavit Rex Chriſtianiſſimus Ludovi-„ cus Magnus, in Declaratione anno 1673. da-„ tâ, cùm Jus Regaliæ unum ex antiquioribus Co-„ ronæ juribus appellavit. *Encore que* le Droit de Rega-„ le *que Nous avons ſur toutes les Egliſes de noſtre Royaume,* „ soit l'un des plus anciens de nostre Couron-„ ne, &c. Et infrà: *Et ſur le rapport qui Nous en auroit eſtè* „ *fait par les Commiſſaires de noſtre Conſeil à ce deputez*, le „ Droit de Regale *auroit eſté jugé* inalienable, impre-„ scriptible, *& Nous appartenir dans tous les Archevêchez* „ *& Evêchez de noſtre Royaume, terres & païs de noſtre obeïſ-*„ *ſance: & noſtre intention eſtant que* nostre Droit *ſoit uni-*„ *verſellement reconnu,* &c. Ubi de Regiis juribus agitur, poſt „ Regis ſapientiâ & juſtitiâ non minùs quàm fortitudine „ Maximi, qui hæc Judicibus doctrinæ & æquitatis laude flo-„ rentiſſimis diſquirenda & examinanda commiſit, Declara-„ tionem, ea in dubium revocare fidelibus Majeſtatis ejus „ ſubditis non licet: ſed una ipſis manet obſequii religio & „ gloria (inquiunt Gallicani Juriſconſulti & Theologi.)

2. Resp. In rebus merè civilibus locum habere poſſet illa ſubditorum erga Principum Edicta obedientia. Sed cùm de re omninò, vel certè maximâ ex parte, Eccleſiaſticâ agatur, potiori ratione dicerent Chriſtiani Juriſconſulti & Theologi, non

poſſunt

poſſunt fideles, præſertim Epiſcopi ac Clerici non obtempe- *Art.7.*
rare Decreto Concilii generalis à pluribus ſæculis recepto & §. 25.
executioni demandato. Ac ſi qua in ea executione difficultas emerſerit, & ad Sanctam Sedem per legitimam appellationem perducta fuerit, judicium Pontificis ſapientiâ & juſtitiâ, non minùs quàm dignitate Maximi, judicium ſummâ cum religione à cunctis fidelibus eſt excipiendum.

3. Certè S. Ambroſius, S. Anſelmus, S. Thomas Cantuarienſis aliique Præſules Sanctiſſimi, qui in rebus merè civilibus & temporalibus æquo vel etiam libenti animo ferebant injurias, ut Principibus morem gererent, non putabant tamen in negotiis ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, poſt Edicta Principum ſibi *unam manere obſequii religionem & gloriam*, ſed potiùs illud Apoſtolicum uſurpabant: *Obedire oportet Deo magìs quàm hominibus.*

4. DISSERT. „ Idque obſequium naturalis, divini, „ canonici, ac civilis juris eſt: quod uno Concilii ſexti Pari- „ ſienſis, Canone 8. demonſtratum velim adverſùs neotericum „ Regii Juris Impugnatorem in Tractatu de Regalia, lib. 1. „ capitibus 1. 4. 5. & 9. & lib. 4. cap. 2. *Conſtat* (inquiunt „ Gallicanæ Eccleſiæ Patres in Synodo Pariſienſi IV. anno 829. „ congregati) *Poteſtatem Regalem omnibus ſibi ſubjectis ſecun-* „ *dùm æquitatis ordinem conſultum ferre debere, & idcirco opor-* „ *tet ut omnes ſubjecti fideliter & utiliter atque obedienter eidem* „ *pareant Poteſtati: quoniam* qui poteſtati à Deo ordinatæ re- „ ſiſtit, Dei *utique* ordinationi, *juxta Apoſtoli documentum,* „ reſiſtit. *Sicut enim ſubjecti à Rege ſibi volunt piè & juſtè opi-* „ *tulari; ita ſpecialiter ei primùm ad ſalutem animæ ſuæ procu-* „ *randam, deinde generaliter ad honeſtatem & utilitatem Regni* „ *ſecundùm Dei voluntatem diſponendam, atque miniſtrandam, in-*

 diſſi-

Art.7. „ *diſſimulanter atque irretractabiliter ſolatium oportunum debent*
§. 25. „ *exhibere. Quod cùm faciunt, & Divinum Præceptum adimplere,*
„ *& fidem Regi debitam evidenter probantur conſervare. Hujus-*
„ *modi ergo obſequium à ſubjectis Regiæ Poteſtati impendi debere,*
„ *& Legalia Præcepta apertè teſtantur, & Dominus in Evangelio*
„ *admonet dicens:* Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ
„ ſunt Dei, Deo. *Petrus quoque ait:* Subjecti eſtote omni hu-
„ manæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti,
„ ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis, &c. *Et non poſt multa:*
„ Deum timete: Regem honorificate. *Paulus etiam Apoſtolus*
„ *in idipſum concordans ait:* Omnis anima poteſtatibus ſubli-
„ mioribus ſubdita ſit: Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ
„ autem ſunt à Deo, ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit pote-
„ ſtati, Dei ordinationi reſiſtit. *Idem etiam ſcribens ad Titum:*
„ Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe.
„ *Item ad Timotheum, quanti pendat cauſam, imò ſalutem Re-*
„ *gis, demonſtrat ita ſcribendo:* Obſecro primò omnium
„ fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum
„ actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus
„ qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam
„ agamus, in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, &
„ acceptum coram Salvatore noſtro Deo. . . . *Qualiter igi-*
„ *tur Regiæ Poteſtati parendum, qualiter ejus ſaluti conſulendum*
„ *eſt, breviter ex Auctoritatibus Divinis dictum ſit. Quapropter*
„ *neceſſe eſt ut unuſquiſque fidelis tantæ Poteſtati ad ſalutem &*
„ *honorem Regni, ſecundùm Dei voluntatem, ut membrum capiti*
„ *opem congruam ferat, plùſque in illo generalem profectum &*
„ *utilitatem atque honorem Regni, quàm lucra quærat mundi.*

5. RESP. Importunè omninò adducitur autoritas Syno-
„ di Pariſienſis, ad probandum, *Declarationem*, quâ Rex
Chri-

Chriſtianiſſimus Regaliam ad omnes ſuæ Ditionis Eccleſias noviter extendit, *in dubium revocare fidelibus Majeſtatis ejus ſubditis non licere*; vel ad confutanda capita 1. 4. 5. & 9. lib. 1. Tractatûs Appamienſis (librum primum mendo typi, pro ſecundo vel tertio citatum puto; neque enim ad hujus loci argumentum pertinent illa libri primi capita.) & cap. 2. lib. 4. ejuſdem Tractatûs. Vel enim Pater Alexander vult, Concilium Pariſienſe ſpeciatim juſſiſſe obtemperari Regibus Regaliam extendentibus, quo nihil eſt à veritate remotius, nihil abſurdius: vel præcepiſſe generatim, ut in juſſibus Principum obediretur, ſive juſtis, ſive injuſtis; at error eſſet intolerabilis: vel declaraſſe, teneri ſubditos juſtis Principum mandatis parere; hoc autem neque Autor prædicti Tractatûs negavit, neque negare aliquis, ſalvâ fide, poſſet. Suppoſuit ille, vel potiùs probavit, prædictam Declarationem à Rege Chriſtianiſſimo per ſubreptionem contra jura & libertatem Eccleſiæ datam; neque licere à Concilii generalis obedientiâ recedere, ad exequendum Edictum Regium ejus Decreto contrarium. *Art. 7. §. 25.*

6. An hujuſmodi locis communibus diluuntur probationes ex ipſius, ut ita dicam, cauſæ viſceribus petitæ? An quia ſubditi Principibus parere tenentur, ideò quoties Principes, aut Magiſtratus ſæculares ex eorum autoritate aliquid jus Regium eſſe declarabunt, *una* cunctos *manebit obſequii religio & gloria*? Nonne videt Catholicus Theologus, quàm latam portam hæc doctrina Regibus eorumque Officialibus, ad Eccleſiæ jura invadenda, Clericorumque libertatem peſſundandam, aperiat?

7. Equidem, ſi locis communibus utendum eſt, rectiùs ex eodem Concilio Pariſienſi VI. lib. 1. cap. 3. inferetur, in negotio de quo agitur præferendum eſſe Eccleſiæ judicium; quandoquidem juxta S. Gelaſii teſtimonium illic laudatum, *Tantò*

gra-

Art.7. §. 25. *gravius pondus eſt*, Sacerdotum, QUANTO ETIAM PRO IPSIS REGIBUS HOMINUM IN DIVINO REDDITURI SUNT EXAMINE RATIONEM. Unde quantùm periclitetur in hac cauſa Regis Chriſtianſſimi conſcientia, expoſuit Summus Pontifex his graviſſimis verbis in Literis ad ſuam Majeſtatem datis die 21. Septembris 1678. *Pati non poſſumus nec debemus, Majeſtati tuæ obtrudi errorem tam manifeſtum, tam conſcientiæ tuæ, tam Galliæ Regno, tam Eccleſiæ univerſæ pernicioſum* &c. Et infrà: *Quorum profectò malorum & diſcriminum culpam, niſi providè arceantur, Majeſtas tua haud dubiè in diſtricto Dei judicio ſuſtineret.* Cùm itaque occaſione Regaliæ ſuæ Majeſtatis ſalus periclitetur, Epiſcopi & Theologi, juxta verba ejuſdem Concilii Pariſienſis à Diſſertatore exſcripta, *ſpecialiter ei* PRIMUM AD SALUTEM ANIMÆ SUÆ PROCURANDAM, *deinde generaliter ad honeſtatem & utilitatem Regni ſecundùm Dei voluntatem diſponendam, atque miniſtrandam,* INDISSIMULANTER ATQUE IRRETRACTABILITER SOLATIUM OPPORTUNUM DEBENT EXHIBERE; non verò eam adulationibus ſuis in ruinam impellere. Rex autem tenetur Eccleſiæ ſeu ſupremo ejus Paſtori aliiſque qui pro ſua Majeſtate *in Divino reddituri ſunt examine rationem*, ſana ſuadentibus auſcultare, non Miniſtrorum ſuorum Eccleſias libertate ſuâ ſpoliare haud ſine Regiæ gloriæ detrimento tentantium injuſtitiam, legibus ſeu Edictis roborare.

7. Cæterùm non minùs graviter Benedictus XII. è Gallia oriundus, & ab Hiſtoricis tum Galliæ, tum aliarum nationum plurimùm pietatis ac doctrinæ nomine commendatus, de Philippi VI. Regis Franciæ, collationem Beneficiorum in aliquibus Eccleſiis liberis uſurpantis, conſilio ſeu facto locutus eſt. Neque judicavit, *naturalis, divini, canonici, ac civilis juris eſſe*, ut Regi obſequium hâc in parte præſtaretur. *In multis inſuper* Ec-

Eccleſiis, inquit in Literis ſeu monitis ad Legatos ab ipſo in Galliam miſſos, relatis ab Odorico Raynaldo ad an. 1337. numeris 17. & 18., *in quibus Prædeceſſores Regis ejuſdem præteritarum vacationum dictarum Eccleſiarum tempore uſi non fuerunt Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione, idem Rex de novo collationem Beneficiorum tempore Regaliæ ſibi vendicare conatur, ut in Turonenſi, & in multis aliis Regni Eccleſiis dicitur attentaſſe*: QUAMVIS PRÆDECESSORES IPSIUS ERGA DEUM ET ECCLESIAS SINCERITATE FIDEI, ET DEVOTIONIS INTEGRITATE POLLENTES, NUNQUAM TALIA VEL SIMILIA, UTPOTE JURI DIVINO ET HUMANO CONTRARIA, ET REDUNDANTIA PLURIMUM IN OPPRESSIONEM ET CONCULCATIONEM ECCLESIASTICÆ LIBERTATIS, ATTENTASSE NOSCANTUR. *Art. 7. §. 25.*

8. Omitto hîc Decretum Concilii Lugdunenſis ſecundi, cujus vim nulla ſæcularis poteſtatis Edicta valent infringere, nullæ eludere Cauſidicorum cavillationes, nulla obſcurare Aulicorum Theologorum ſophiſmata.

9. Libet ſolùm hîc apponere verba Cleri Carnotenſis circa annum 1028. ad Præſules Turonenſem, Belvacenſem & Aurelianenſem ſcribentis, ut ei liberam eligendi Epiſcopi facultatem à Rege impetrarent; quibus docemur, veram fidelitatem Principibus debitam non in excuſandis quibuslibet eorum factis poſitam eſſe, ſed potiùs in dandâ operâ, ut ab eorum Ditione abuſus Eccleſiæ noxii removeantur. *Nec propter Regis reverentiam*, inquit Eccleſia illa Paſtore orbata, *hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat ad fidelitatem ejus. Verè etenim & fideliores eritis, ſi quæ ſunt corrigenda in Regno ejus correxeritis, aut animum ejus ad eandem correctionem compuleritis*. Inter Epiſt. S. Fulbert. 132.

Art.8. §. 1.

ARTICULUS OCTAVUS.

Ad quem ſpectet de Regalia, ejus extenſione, appendicibus, vel annexis judicare? Juriſne ſit Eccleſiæ, vel Regis?

§. PRIMUS.

Teſtimonium Ivonis Carnotenſis.

1. DISSERT. „ Ad Regem Chriſtianiſſimum, & Judices quibus cauſarum hujuſmodi cognitionem „ attribuit, ac præcipuè ad Auguſtiſſimum Senatum Pariſienſem, non verò ad Eccleſiam pertinere judicium de Regalia, ejus extenſione, appendicibus, & „ annexis, Regii Magiſtratus & Juriſconſulti omnes hujus „ Regni cenſuerunt, Clerus agnovit, Reges ſolemnibus „ Edictis declàrarunt, uſuque continuo id comprobatum, & „ confirmatum, Romanis Pontificibus approbantibus vel conniventibus. Primam iſtius rei probationem ſubminiſtrat Ivo „ Carnotenſis Epiſt. 190. ad Paſchalem II. Pontificem Maximum. Radulfus Viridis Remenſis Archiepiſcopus à gratia „ Regis Chriſtianiſſimi Ludovici ſexti exciderat, quòd ejus „ invitâ Majeſtate ad eum Archiepiſcopatum electus fuiſſet. „ Ivo Carnotenſis & Theobaldus Prior Monaſterii Pariſienſis „ S. Martini à Campis, ſequeſtres pro ipſo ad Regem acceſſerunt, „ rogantes ut expulſo invaſore Gervaſio eum in Sedem reſtitueret. Annuit Rex, modò clientelare ſacramentum eo „ ritu ac ſolemnitate præſtaret, quo ſolebant Remenſes Archi-

præ-

„ præſules. Eâ de re actum eſt in Curiâ Aurelianis in Natali *Art.* 8. §. 1.
„ Domini congregatâ : eò enim à Rege vocatus fuerat Radul-
„ fus. Carnotenſis Præſul, & Domnus Theobaldus nullum
„ non moverunt lapidem, ut hominii remiſſionem à Rege in
„ Radulfi gratiam impetrarent. At nihil effecêre. Quoniam
„ de Regaliæ annexo vel appendice agebatur, Curiæ ac Regis
„ ſtandum judicio fuit. Suaſit Ivo, Præſul ſanctiſſimus &
„ doctiſſimus, ut officio clientelari ſecundùm mores Regni,
„ ſecundùm Curiæ ſententiam & Regis voluntatem fungere-
„ tur. Et quoniam Canonibus contraria erat hominii præſta-
„ tio, & recentibus Sedis Apoſtolicæ Decretis, factum Archi-
„ præſulis apud Summum Pontificem excuſavit, eâ quam lau-
„ davi Epiſtolâ. *Factum eſt*, (inquit) *ut condictum erat; &*
„ *convenientes in Curiam, multiplicatis interceſſoribus petitionem*
„ *noſtram ſemel & ſæpius replicavimus. Sed reclamante Curiâ,*
„ *plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi prædictus Metro-*
„ *politanus per manum & ſacramentum eam Fidelitatem Regi fa-*
„ *ceret, quam Prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fece-*
„ *rant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & cæteri Regni Franco-*
„ *rum quamlibet Religioſi & Sancti Epiſcopi. Quod perſuadenti-*
„ *bus & compellentibus totius Curiæ Optimatibus, etſi propter*
„ *mandatorum rigorem minùs licebat, factum eſt tamen quia Ec-*
„ *cleſiaſticæ paci & fraternæ dilectioni ſic expediebat. Cùm enim*
„ *plenitudo legis ſit caritas, in hoc legibus obtemperatum eſſe cre-*
„ *dimus, in quo caritatis opus impletum eſſe cognovimus. Petimus*
„ *ergo flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu caritatis & pa-*
„ *cis veniale habeat Paterna Moderatio.*

2. RESP. Quemadmodum Articulo præcedenti Diſſertator Regaliam *Jus Regium* rectè nuncupari niſus eſt oſtendere, ut ſuaderet ſupremam eſſe Regis Chriſtianiſſimi autoritatem

*Art.*8. circa Jus illud, adeòque potuiſſe ſuam Majeſtatem (is enim eſt
§. 1. totius hujus Diſſertationis ſcopus, ut ſæpè obſervavimus) illud ad omnes ſuæ Ditionis Eccleſias extendere, etiam renitente Summo Pontifice: ita in hoc Articulo probare contendit, ad Regem Chriſtianiſſimum ſpectare, *de Regalia, ejus extenſione, appendicibus & annexis judicare*; ut ſcilicet, quantumvis conſtet per illam extenſionem Eccleſiis injuriam fieri, nemo ſe illi opponendi autoritatem habere videatur, utpote proprii ac ſupremi judicis ſententiâ factæ. Verùm, ut Articulo ſuperiori, explicatâ æquivocatione particularum *Juris Regii*, patuit Regaliam non ideò Jus Regium nuncupari quòd à Regia Corona & Dignitate profluxiſſet, ſed quòd ei ex conceſſione vel ſaltem conſenſione Eccleſiæ acceſſiſſet, atque adeò abſque ſimili Eccleſiæ conſenſu non poſſe ultra limites antiquos produci: ita in hoc Articulo demonſtrabimus, Regem Chriſtianiſſimum ſeu ejus Senatum Pariſienſem in Eccleſiis quidem in quibus Jus Regaliæ ex antiqua conſuetudine obtinet, cauſas quoque particulares circa ejus exercitium, verbi gratiâ, circa Beneficia titulo Regaliæ collata, exortas, diſſimulante ac tolerante Eccleſiâ, dirimere ſolere: quin & Reges ipſumque Parlamentum Pariſienſe Officiales Regios ab inducendo illo Jure in Eccleſias ei minime obnoxias, conquerentibus ac ſupplicantibus ipſis Eccleſiis, ſæpe cohibuiſſe: at nequaquam hinc conſequens eſſe, ut Rex Chriſtianiſſimus aut Parlamentum potuerit proprio judicio, non conſentiente, nedum obſiſtente Eccleſiâ, Regaliam ſibi vendicare in Provinciis ac Diœceſibus quæ ſuam nativam canonicamque libertatem hactenus retinuerunt.

3. Apparet autem jam in prima probatione Diſſertatoris, quàm parum reſpondeant theſi probationes. An enim Ivonis teſtimonium oſtendit, ad Regem Chriſtianiſſimum, non verò

ad

ad Eccleſiam pertinere judicium *de Regalia, ejus extenſione, ap-* Art.8.
pendicibus & annexis? Fatetur Ivo id *factum eſſe quod propter* §. 1.
mandatorum rigorem minùs licebat: factum tamen eſſe, quia Eccleſiaſticæ paci & fraternæ dilectioni ſic expediebat. An *petendum flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu caritatis & pacis veniale haberet Paterna Moderatio* Pontificis, ſi nulla ejus, & Eccleſiæ autoritati facta fuiſſet injuria? Pluribus aliis verbis ſignificat Ivo, juſtam fuiſſe legem Eccleſiæ, quam transgreſſus videbatur Radulfus; ſed neceſſariam fuiſſe ſuper ea diſpenſationem majorum malorum vitandi cauſâ. *In exceſſibus ergo filiorum ſupplicatio pro ſummo reputetur ſupplicio. . . . . Ubi populorum ſtrages jacent, detrahendum eſt aliquid Canonum ſeveritati, ut majoribus morbis ſanandis caritas ſincera ſubveniat.*

4. In quo poſita eſſet injuria, quæ fiebat Eccleſiæ à Principibus, dum fidelitatis ſacramentum ſeu hominium ab Epiſcopis exigebant, non eſt loci hujus inquirere. Eam plerique in forma hominii tantùm collocatum putant, quòd nimirùm modus illud *per manum & ſacramentum* præſtandi ſacros Eccleſiæ Miniſtros dedeceret; ac ſignificare videretur, ipſos à Principibus non ſola feuda Regalia, ſed & omnia jura, & Dignitatem ipſam Epiſcopalem recipere. Ut ut ſit, teſtimonium Ivonis plùs adverſatur Patri Alexandro, quàm ſuffragetur. Si enim pientiſſimus & doctiſſimus ille Antiſtes excuſationem à neceſſitate arceſſit, ubi de conſuetudine feudali agitur, quis eum exiſtimet arbitraturum fuiſſe, obligatos Epiſcopos ſubdere ſe Regiæ Declarationi, quâ contra conſuetudinem antiquam, & contra Concilii generalis prohibitionem, Majeſtati ſuæ adjudicantur fructus bonorum etiam non feudalium, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio pleno jure? Num circumſtantiæ hominii vel juramenti fidelitatis minùs Regiæ po-

Art. 8. teſtati ſubſunt, quàm extenſio Regaliæ ad Eccleſias hactenus
§. 1. ab eo onere liberas?

5. Cur autem potiùs credamus Ludovico VI. Epiſcopum ad faciendam ſibi *per manum & ſacramentum fidelitatem* adigenti, quàm Conciliis, ac Summis Pontificibus illam præſtare vetantibus? Fatetur enim Diſſertator quòd Canonibus contraria erat hominii præſtatio, & recentibus Sedis Apoſtolicæ Decretis. Quòd ſi Concilia & Pontifices illis temporibus ſuis Decretis obſtabant, ne indecoræ circumſtantiæ officio ratione feudorum debito adjungerentur; quantò magis exiſtimaſſent ſui juris eſſe, impedire ne univerſos Eccleſiarum reditus, Sede vacante, & Beneficiorum collationem pleno jure, Laïci ad ſe, in locis ab hoc onere liberis, de novo traherent?

6. Deinde etſi Rex hominium ab Epiſcopo juſtè exegiſſet ratione feudorum, quibus Eccleſia Remenſis gaudebat: an inde conſequens eſt, poſſe Regem Chriſtianiſſimum Regaliam ad omnes Eccleſias extendere Declaratione, contra quam reclamare non liceat? An Regalia nihil aliud eſt, quàm hominium? An collatio Beneficiorum pleno jure & redituum univerſorum uſus-fructus idem ſunt, ac hominii pro bonis feudalibus præſtatio? Sed Diſſertatori ſolenne eſt, ut, ſi quâ in parte aliqua interluceat juſtitiæ ſcintilla, ſtatim omnia, quæ ſimul convolvit, juſta pronuntiet. Habent feuda ſuas leges; quas licèt daremus omnes in feudis Eccleſiæ conceſſis eſſe ſervandas, perverſè inde concluderetur, juſta eſſe quæcunque ſub illo colore fiunt, quamvis à feudorum ratione ſint remotiſſima.

§. SE-

§. SECUNDUS. Art. 8. §. 2.

Exemplum Hildeberti.

1. DISSERT. „ Idem probat cauſâ Hildeberti Archiepiſcopi Turonenſis cum eodem Rege, occaſione collationis duarum Dignitatum in Regalia „ vacantium ab ejus Majeſtate factæ, quam admittere nolebat. Convenit Regem, inexorabilem invenit. Adfuit die & loco ſtatutis *in Audientia eorum qui convenerant.* „ *Auditâ utriuſque partis cauſâ*, Rex Sententiam dixit, & *per* „ *ſeipſum prohibuit* Hildeberto *ne de prædictarum reditibus Dignitatum aut præſumeret, aut ordinaret. Fructus etiam poſſeſſionum Turonenſis Eccleſiæ, quas Regis poteſtas attingebat,* „ *fiſco deinceps adſcribi, & Regiis uſibus deſervire* edixit: *Quod* „ *ita factum.* Cauſarum, Jus Regaliæ ejuſque extenſionem ac „ uſum ſpectantium, Regem ac Regios Magiſtratus Hildebertus Judices agnovit, ad aliud Tribunal cauſam non detulit, „ nec deferre ſe poſſe arbitratus eſt. Ita refert ipſe in Epiſtolâ „ ad Amicum, Tom 13. Spicilegii editâ, & ſuperiùs laudatâ. „ Nec verò contrarium colligi poteſt ex his illius verbis: *Arguar mendacii, niſi venerabilis Andegavorum Epiſcopus nec non* „ *plures cum eo Sacerdotes, mihi teſtimonium perhibuerint, quòd* „ *paratus fuerim juſtitiam exequi, quod eorum ſubdidi judicio, qui* „ *de me non habebant judicare.* Non enim ſignificat, quòd poteſtatem de hujuſmodi cauſâ judicandi Rex & Proceres vel „ Magiſtratus, quibus ejus cognitionem commiſerat, non haberent; ſed quòd de ejus perſona & ſtatu judicare non poſſent. Et ſi quid aliud voluit Hildebertus, nihil obtinuit, nullos

Art. 8. „ nullos in Eccleſia Gallicana, quæ Viris ſanctiſſimis, & liber-
§. 2. „ tatis Eccleſiaſticæ vindicibus egregiis deſtituta non erat, ſuf-
„ fragatores, patronos, vel adjutores habuit, ut ipſe conque-
„ ritur: Regem ſcilicet hujuſmodi cauſæ ſupremum Judicem
„ agnoſcebant.

2. RESP. Ad Regem quidem recurrit Hildebertus, ut manifeſtatâ illi cauſæ ſuæ juſtitiâ, Principis illius animum placaret: an autem ut apud eum, aut apud ejus Conſilium, tanquam apud Judices, cauſam litigantium more defenderet, non ita liquet: contrarium inſinuant verba illa hic à Papa Alexandro relata: *Quod eorum ſubdidi judicio, qui de me non habebant judicare.* Notat quidem P. Alexander coactum fuiſſe Hildebertum Regium ſubire judicium, & ſi quid aliud voluit, nihil obtinuiſſe. Verùm de ordine dirimendorum negotiorum quæ ad Eccleſiam ſpectant, non ex Principum cupiditates ſuas per vim ad effectus perducentium impotentiâ, ſed ex Sanctorum jura & libertates Eccleſiæ, etiam cum gravium malorum perpeſſione, propugnantium exemplis, judicandum eſt.

3. Nec magis urget quod addit, Hildebertum nullos habuiſſe adjutores, eò quòd Regem hujuſmodi cauſæ ſupremum Judicem agnoſcerent. Teſtatur enim experientia nimiùm frequens & infelix, Epiſcopos in Aula degentes, etſi Eccleſiæ aut alicui Coëpiſcopo ſuo injuriam fieri videant, vel omninò ſilere, vel debiliter ſeſe Principum voluntati opponere: eoſque, qui non ſolùm docti, ſed etiam pii audiunt, moribus Aulicorum nonnihil infectos & emollitos, varia ſibi pericula, vel bonorum impedimenta effingere, ut puſillanimitatem ſuam prudentiæ adſcribant. Itaque juſtè conqueritur ſanctus Hildebertus Epiſt. 75. *Silent Sacerdotes Jeſu Chriſti; denique ſilent & illi, quorum ſuffragio credidi Regem mecum in gratiam rediturum.*

turum. Credidi quidem; ſed ſuper dolorem vulnerum meorum Rex, illis ſilentibus, adjecit. EORUM TAMEN ERAT GRAVAMEN ECCLESIÆ CANONICIS OBVIARE INSTITUTIS. EORUM ERAT (SI RES ITA POSTULASSET) OPPONERE MURUM PRO DOMO ISRAEL. *Art.* 8. §. 3.

§. TERTIUS.

Teſtimonium Innocentii III. in cauſa Epiſcoporum Aurelianenſis & Antiſiodorenſis.

1. DISSERT. „ Idem compertum eſt ex cauſa Aurelia-„ nenſis & Antiſiodorenſis Epiſcoporum cum Phi-„ lippo Auguſto Rege Chriſtianiſſimo. His à Rege „ accuſatis quòd illius injuſſu Milites abduxiſſent, „ eorum Regalia manu Regiâ confeſtim invaduntur, nullâ judi-„ cii formâ; nec tantùm Regalia, ſed etiam alia bona quæcun-„ que poſſiderent; id enim juris Regii eſſe Rex contendebat. „ Epiſcopi id negare, tum factum excuſare, vim illatam con-„ queri, graviſſimaſque expoſtulationes deferre ad Innocen-„ um III. Quid Pontifex Maximus? Suſceptâ Epiſcoporum „ causâ, graviſſimas ad Regem literas dedit, monuit, rogavit, „ juſſit ut Regalia & univerſa his Epiſcopis ſubtracta reſtitue-„ ret. Cauſam autem ſuſcepit Innocentius, non quòd ejus „ judicium ad Regem pertinere non agnoſceret, ſed quòd nullo „ Juris ordine ſervato Epiſcopi ſpoliati eſſent, quamvis parati „ ad ſubeundum Regiæ Curiæ judicium. Quamobrem Re-„ gem oravit, ut bonis ipſis reſtitutis, quod legibus, & Regni „ etiam moribus conſentaneum erat, cauſa in Regis Curiâ „ diſceptaretur ac judicaretur, ſecundùm approbatam conſue-

*Art.*8. „ tudinem : niſi ejus Majeſtas in Pontificis gratiam totum reis
§. 3. „ Præſulibus condonare vellet. Epiſt. 190. lib. 13. *Eorum ſai-*
„ ſiri feciſti Regalia , imò etiam quædam alia præter illa ; cùm nec-
„ dum de aliquo foris factò confeſſi fuerint vel convicti , nec etiam
„ ad ſatisfaciendum commoniti vel inducti ; levi occaſione præten-
„ ſâ , quòd quidam eorum Milites in tuo exercitu conſtituti , ad lo-
„ u m quem eos adire præceperas, ire cum aliis noluerunt , abſenti-
„ bus eiſdem Epiſcopis per licentiam à Te liberaliter impetratam.
„ Et cùm tam per ſe ipſos , quàm etiam per venerabiles fratres no-
„ ſtros Senonenſem Archiepiſcopum & Coëpiſcopos ſuos Tibi humi-
„ liter ſupplicaverint , ut faceres eis reddi Regalia ſic ſubtracta,
„ paratis poſtmodum Curiæ. tuæ ſubire judicium ; ſicut in talibus
„ fieri conſuevit , tu ſupplicationes eorum admittere noluiſti , ſed
„ cogis eos miſerabiliter exulare.

„ Epiſt. XL. lib. 15. *Cùm ergo taliter proceſſeris contra eos , &*
„ iidem tam per ſe ipſos , quàm per Secretarios tuos , nec non ve-
„ nerabiles fratres noſtros Senonenſem Archiepiſcopum, & Coëpi-
„ ſcopos ſuos te monuerint diligenter , humiliter ſupplicantes ut
„ faceres eis reddi Regalia ſic ſubtracta , paratis poſtmodum Curiæ
„ tuæ ſubire judicium , ſicut in talibus fieri conſuevit , & Tu
„ ſupplicationes eorum noluiſſes admittere , ad ſententiam Inter-
„ dicti quam ad terram tuam in eorum Diœceſibus conſtitutam tu-
„ lerunt, videntur non immeritò proceſſiſſe , cùm jura & liberta-
„ tes Eccleſiarum ſuarum teneantur juramento præſtito defenſare.
„ Pro cujus relaxatione non ſatis videris offerre , cùm tantummo-
„ dò judicium in Curia tua offeras , ipſis remanentibus ſpoliatis,
„ quod utique ſpoliati non debent de jure ſubire , cùm etiam ex
„ generali conſuetudine Regni tui fidelis à Domino ſine judicio ſpo-
„ liatus , nec diem ab ipſo ſuper ſpoliatione ſuâ teneatur recipere,
„ nec in ipſius Curiâ experiri. Nos ergo Serenitatem tuam rogan-
dam

„ *dam duximus, & monendam, pro magno dono petentes, quate-* Art. 8.
„ *nus pacem Eccleſiæ in Regno tuo conſerves; ita quòd Epiſcopis* §. 3.
„ *reſtitutis, & Interdicti ſententiâ relaxatâ, niſi hoc nobis ve-*
„ *lis ex toto donare,* IN CURIA TUA DE IPSO NEGOTIO, SE-
„ CUNDUM APPROBATAM CONSUETUDINEM, COGNOS-
„ CATUR.

2. RESP. De hâc quoque controverſiâ jam actum eſt Art. IV. §. 25. In eâ quæſtio non erat de Regaliâ propriè dictâ, cùm Sedes Epiſcopales non vacarent; ſed de ſervitio merè feudali. Sic enim rem expoſuit P. Alexander in dicto §. 25. *Cùm Rex Philippus Auguſtus in Regalia Epiſcoporum Aurelianenſis & Antiſiodorenſis manum injeciſſet &c.* Neque intelligo quo conſilio nunc idem Diſſertator in §. quem diſcutimus, dicat, manu Regiâ invaſa fuiſſe *non tantùm Regalia, ſed etiam alia bona quæcumque poſſiderent* illi Epiſcopi, cùm id *juris Regii eſſe Rex contenderet:* cùm in §. 25. Articuli IV. ſcripſerit, quòd *Regem non ſola feuda, ſed ipſas domos Epiſcopales & ſuppellectilem occupaſſe,* FALSO *quidam ſubjecerant Pontifici*; & expreſſè teſtetur Rigordus, quòd *Rex eorum* (Præſulum ſuprà memoratorum) *Regalia confiſcavit, ſcilicet* EA TANTUM TEMPORALIA QUÆ AB EO FEODALITER TENEBANT.

3. Innocentius autem putans Philippum jus feudale ad bona non feudalia extendiſſe, atque ordinem judiciarium non ſervaſſe, exiſtimavit autoritatis ſuæ eſſe, injuriam prædictis Epiſcopis factam reſarciendam curare; *Ne propter tantam patientiæ noſtræ moram,* inquit lib. 3. Regeſt. 15. Epiſt. 40., *ex quâ propter favorem tuum, dictorum Epiſcoporum gravamen, non ſolùm diſſimulaſſe, verùm etiam neglexiſſe videmur; Apoſtolicæ autoritatis cogamur adhibere cenſuram.*

4. Conſtat præterea præfatos Epiſcopos jus ſuum Cenſuris

 pro-

*Art.*8. propugnaſſe, ac judicium de illis Cenſuris, etiam ex confeſ-
§. 3. ſione Philippi Regis, ad Summum Pontificem pertinuiſſe: *De prudentia Senonenſis Archiepiſcopi*, inquit Pontifex ad eundem Regem ſcribens Epiſt. 106. *non poſſumus non mirari, qui poſt appellationem ad nos legitimè interpoſitam, & contra noſtri formam Mandati, perverſè proceſſit in cauſa quam ad petitionem tuam ſibi duximus committendam, ſuper relaxandâ ſententiâ Interdicti, quod in terram tuam venerabiles fratres noſtri Autiſiodorenſis & Aurelianenſis Epiſcopi pertulerunt.*

5. Ex verbis autem Innocentii III. in Epiſt. 15. lib. 40. hîc à Patre Alexandro relatis, patet, juxta ſententiam illius Pontificis, potuiſſe Epiſcopos Eccleſiarum ſuarum libertatem Cenſurarum armis tueri: *Ad ſententiam Interdicti*, inquit, *quam ad terram tuam in eorum Diœceſibus conſtitutam tulerunt, videntur non immeritò proceſſiſſe, cùm jura & libertates Eccleſiarum ſuarum teneantur juramento præſtito defenſare.*

6. Dum ergo Pontifex rogabat, ut *in Curia Regis de ipſo negotio ſecundùm approbatam conſuetudinem* cognoſceretur, de quæſtione tantùm merè feudali loquebatur. Unde nihil ex hac autoritate concluditur, pro extenſione Regaliæ ad omnes Eccleſias, per Arreſtum Parlamenti Pariſienſis, ac deinde per Declarationem Regiam factâ. Nulla eſt enim *approbata conſuetudo*, quæ Domino jus tribuat proprio ſibi judicio vindicandi uſum-fructum bonorum omnium vaſſalli, & diſtributionem omnium officiorum ab ipſo pendentium, ſub eo colore quòd inter illa bona, nonnulla forſan inveniantur feuda; quod adhuc abſurdius eſt in illis Provinciis, ubi ex *approbata conſuetudine* ne ipſi quidem feudorum fructus, mortuo vaſſallo, ad Dominum pertinent.

§. QUAR-

Art. 8. §. 4.

§. QUARTUS.

Aliud ejuſdem Innocentii III. teſtimonium.

1. DISSERT. „ Idem Pontifex in cauſa Præbendæ vacantis in Regalia, quam Rex Clerico ſuo contulerat, alius autem ſibi deberi contendebat, Majeſtatem ejus monuit *ut à viris prudentibus & in jure peritis fidele conſilium* ſuper hoc negotio requireret: illamque rogavit, *quatenus ſi ab eiſdem viris prudentibus* illi reſponderetur *quòd Odo Clericus præfatam Præbendam de jure deberet obtinere ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, id æquanimiter toleraret.* Regem ſcilicet cauſarum Regaliæ judicem agnoſcebat doctiſſimus & prudentiſſimus Pontifex, & ratam fore ſententiam, quam ex Conſilio Magiſtratuum ac Juriſconſultorum ſuorum ejus Majeſtas tuliſſet. Nec hujus negotii cognitionem ſibi vendicavit, quamvis Rex Chriſtianiſſimus ejus Sanctitatem rogaſſet ut collationem Præbendæ *ſecundùm antiquam & approbatam conſuetudinem Regni ſui* à ſe factam, ad cumulum Juris confirmaret.

2. RESP. An quia Pontifex hortatur Regem, *ut à viris prudentibus & in jure peritis fidele conſilium requirat*, ideò ſupremum in ea cauſa judicem illum agnoſcit? Eâdem ratione probaretur, amicum eſſe judicem cauſæ, ſuper quâ monetur ab amico ut viros prudentes, & in jure peritos conſulat. Cur Pontifex à Rege poſtulaſſet, ut viros prudentes & juriſperitos conſuleret, ſi cum illo tanquam cum judice egiſſet? Nonne ſuæ Majeſtati judicanti aſſiſtere ſolebant Conſiliarii? Num illi non erant prudentes & periti?

Art. 8. §. 5. 3. At, inquies, petit etiam à Rege Innocentius, quatenus, *ſi ab eiſdem viris reſpondeatur quòd Odo Clericus Præbendam de jure debeat obtinere, ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ id æquanimiter toleret.* Id apertiùs innuit, Pontificem non egiſſe apud Regem tanquam apud judicem. Quis enim judicem rogat, ut æquanimiter toleret, propter reverentiam alterius perſonæ, cauſam, quam juſtam noverit, executioni demandari? Dum autem Rex Chriſtianiſſimus Pontificem rogavit, ut collationem Præbendæ à ſe factam confirmaret, teſtatus videtur ſe de ſuo jure ſubdubitaſſe, vel ad minus ſe hujuſmodi controverſias, quamvis particulares & ad Eccleſias Regaliæ ſuppoſitas ſpectantes, abſolutâ autoritate dirimere noluiſſe, ſed collationes Præbendarum, ubi aliqua lis ſubeſſet, ab Eccleſiaſtica poteſtate confirmandas curaſſe, ſaltem *ad cumulum juris.* An igitur exiſtimaſſet licere ſibi per ſuæ Curiæ judicium ac propriâ autoritate, contra Eccleſiæ in Generali Concilio congregatæ Decretum, Regaliam per totum ſuum Regnum diffundere?

§. QUINTUS.

Aliud ejuſdem Pontificis teſtimonium.

1. DISSERT. „Idem Pontifex profeſſus eſt in Epiſtola ad Gallicanos Præſules, cognitionem ac judicium de feudo ad Sedem Apoſtolicam non pertinere, ſed ad Regem. *Non enim* (inquit) *intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum ſpectat judicium.* „Porrò judicium de Jure Regaliæ, & ejus appendicibus vel „annexis, eſt judicium de feudo: cùm in feudorum conditione

„ tione ac legibus fundatum ſit, ut ſuperiùs oſtendimus, nec *Art.* 8.
„ diffitetur nuperus Regiorum Jurium Impugnator in Tracta- §. 5.
„ tu de Regalia: judicium itaque de Regalia, & ejus exten-
„ ſione, appendicibus, vel annexis ad Regem, & ad ejus Con-
„ ſilium, ſive ad Senatum cui illud attribuit, omninò pertinet.
„ Sic noſtrates Juriſconſulti ratiocinantur.

2. RESP. Vix aliis armis propugnari poteſt injuſta cauſa, quàm æquivocationibus & ſophiſmatis. *Jus Regaliæ in feudorum conditione & legibus fundatum eſſe* affirmat Diſſertator, ut inde concludat, Regem Chriſtianiſſimum generatim, ſicut de feudo, ita & de Regalia judicare poſſe. Certè aliud eſt, Regaliam, de qua inter nos controvertitur, à feudis initium traxiſſe; aliud in feudorum natura & conditione ita fundatam eſſe, ut de ea tanquam de re prorſus feudali decernendum ſit. Si Regalia intra originis ſuæ terminos ſtetiſſet, non diffitendum quin de ea juxta feudorum conditionem ac leges judicandum eſſet; cùm nihil aliud principio fuiſſe credatur, ut alibi explicatum eſt, niſi uſus-fructus bonorum feudalium, quæ *Regalia* vocabantur, Regibus competens poſt mortem Epiſcopi uſque ad Succeſſoris inveſtituram, in illis Provinciis in quibus ex conſuetudine generali Dominus poſt mortem vaſalli feudum ad ſe recipiebat ejuſque fructus faciebat ſuos, donec novum vaſallum inveſtiret; cujus uſus-fructus loco poſtea ſucceſſit *Relevium*.

3. At verò cùm ejuſmodi uſu-fructui bonorum feudalium in Eccleſiis vacantibus, additus ſit aliorum bonorum Eccleſiaſticorum uſus-fructus, etiam decimarum & oblationum, nec non collatio Beneficiorum, quæ acceſſiones juri illi feudali longè præponderant; quis non videat iniquum eſſe, ut jam Regalia tanquam res prorſus feudalis habeatur, & plenum

ejus

*Art.*8. ejus judicium Regiæ poteſtati ita permittatur, ut de ea nullo §. 5. unquam caſu Eccleſia cognoſcere queat? Alius certè fuit ſenſus magni illius Concilii Lugdunenſis. Non ignoravit jus iſtud in feudis fundatum, hoc eſt à feudis initium duxiſſe, quod vox pluralis, *Regalia*, quâ in ſuo Decreto utitur, ſatis indicat: neque tamen dubitavit quin ad ſe pertineret de illo ſtatuere, ſolenne Decretum condens, quo & cunctos ab illius abuſu, in locis ubi vigebat, abſtinere juſſit, & ad alia in quibus nondum receptum erat, de novo extendi, ſeveriſſimè prohibuit, aſſiſtentibus & ſuo ſaltem ſilentio approbantibus Philippi III. Regis Franciæ, aliorumque totius penè Orbis Chriſtiani Principum, Legatis.

4. Hinc ultrà inferre licet, quòd cùm Beneficiorum collatio, maximè dum fit *pleno jure*, ſit quid ſpirituale, bonorum autem Deo conſecratorum adminiſtratio & dominium penès Eccleſiam ſit, Regalia, quæ utrumque, prout hodie ſe habet, complectitur, ad Eccleſiaſticam juriſdictionem ſine dubio pertineret, niſi Eccleſia toleraſſet, ut in iis locis ubi ex antiqua conſuetudine Rex Chriſtianiſſimus eam obtinet, etiam controverſias particulares circa ejus exercitium exortas per ſuos judices determinaret. At prorſus iniquum eſſet, ex hâc ejus tolerantiâ Regios Officiales totius rei cognitionem ita ad ſe trahere velle, ut cùm jus illud ad integras Provincias hactenus ab eo liberas, de novo extendant, Eccleſia ſupremuſque ejus Paſtor eis obſiſtere, ac Decreti Lugdunenſis adverſùs eos executionem urgere non poſſet.

5. Miror autem quòd P. Alexander Decretalis *Novit*. De Judiciis, autoritate uſus ſit. Innocentius in ea Decretali multis rationibus probat, ad ſe tanquam Summum Pontificem pertinere, ut cogat Regem Franciæ ad ſervanda pacta cum Rege An-

Angliæ inita, & juramento firmata circa Comitatum Pictaviæ: ſcribit, ſervatum in hoc negotio fuiſſe ordinem à Christo præſtitutum, & his verbis expreſſum: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. . . Si autem te non audierit adhibe tecum adhuc unum vel duos. . . . Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Matt. 18. ac Regem Angliæ, præmiſſis monitionibus, ad ſanctam Sedem recurriſſe, paratum extemplò oſtendere, manifeſtam ſibi fieri injuriam. Et quia Innocentius declarat, ſe nolle judicare de feudo, quod Rex Angliæ à Rege Franciæ tenebat, viſum eſt Patri Alexandro ex ea Declaratione argumentum trahere, ad probandum illius Pontificis autoritate, Regem Chriſtianiſſimum eſſe Judicem ſupremum cauſæ Regaliæ; ita ut eam ad Eccleſias liberas extendenti ſancta Sedes contradicere nequeat. Quid abſurdius? Quid à mente illius Pontificis alienius? Quid veritati repugnantius? An enim judicare de cauſa feudali, idem eſt atque univerſos Eccleſiæ vacantis reditus undecunque proveniant, etiamſi ex decimis & oblationibus, & collationem Beneficiorum pleno jure, autoritate ſuâ ſibi vendicare? Referenda ſunt Innocentii verba, ut videas quàm prudenter ejus teſtimonio utatur Diſſertator: *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipſum ſpectat judicium; niſi fortè jure communi per ſpeciale Privilegium, vel contrariam conſuetudinem aliquid ſit detractum: ſed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura; quam in quemlibet exercere poſſumus & debemus.* C. *Novit.* de Judiciis. Art. 8. §. 5.

6. Cæterùm nuſquam Autor Tractatûs Appamienſis confeſſus eſt, Jus Regaliæ in feudorum conditione ac legibus fundatum eſſe eo ſenſu ut Regalia, de quâ in hâc Diſſertatione agitur, ad ejus judicium pertineat, ad quem ſpectat cognitio

Art. 8. §. 6. cauſarum feudalium. Imò neque agnovit feudorum Jus ad inducendam Regaliam ſufficere, ſed tantùm eorum occaſione in aliquas Provincias jure conſuetudinario adminiſtratas inductam fuiſſe. Aliud autem eſt quòd Principes occaſione conſuetudinis, quæ in aliquibus Provinciis vigebat, ut Dominus poſt mortem vaſſalli fructus ſuos faceret uſque ad inveſtituram ſucceſſoris, idem factitarint poſt mortem Epiſcoporum; primùm quoad fructus feudorum à Regibus ad Eccleſias collatorum; deinde quoad alios; poſteà quoad decimas & oblationes; denique quoad Beneficiorum collationem: aliud quòd Principes ea omnia meritò ſibi jure feudorum vendicaverint, aut modò vendicare poſſint, etiam in Provinciis, ubi ſimilis circa feuda conſuetudinis defectus omnem adimit prætextum ejuſmodi oneris de novo Eccleſiis imponendi; quòdque ſoli de novâ illâ ſervitute inducendâ ſupremi ſint Judices.

§. SEXTUS.

Autoritas Concilii Lateranenſis IV.

1. DISSERT. „Concilium Oecumenicum Lateranenſe IV. Canone 42. Clericis interdicit: *Ne quis „prætextu Eccleſiaſticæ libertatis ſuam de cætero juriſdictionem extendat in præjudicium Juſtitiæ ſæcularis, ſed contentus exiſtat conſtitutionibus ſcriptis, & conſuetudinibus hactenus approbatis: ut quæ ſunt Cæſaris, reddantur „Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo rectâ diſtributione reddantur.* „At prætextu Eccleſiaſticæ libertatis ſuam juriſdictionem Eccleſiaſtica Poteſtas extenderet, in ſæcularis Poteſtatis detrimentum, nec contenta eſſet conſtitutionibus ſcriptis & conſuetu-

,, ſuetudinibus approbatis, ſi cognitionem cauſarum Jus Re- *Art.* 8.
,, galiæ ſpectantium ſibi vendicaret, nec redderet Cæſari quæ §. 6.
,, ſunt Cæſaris: uſurparet ſiquidem judicium de feudo, quod
,, ad ipſam non pertinet, ut profeſſus eſt Innocentius III. Ita
,, rurſus diſſerunt noſtri Juriſconſulti & Theologi.

2. RESP. Nec Juriſconſultis, nec Theologis, imò nec Rhetoribus ſcholaſticis digna eſt hæc à locis tam remotis argumentandi ratio, quâ utraque pars ſimiliter uti poſſit. Non uno, ſed innumeris Canonibus & Decretis prohibetur laïcis, ne Juriſdictionem Eccleſiaſticam uſurpent. Ad Juriſdictionem autem Eccleſiaſticam pertinere collationem Beneficiorum, & uſum-fructum redituum Eccleſiaſticorum, & controverſias circa Beneficia exortas, non minùs certum eſt, quàm quòd controverſiæ feudales à Domino feudi ſint dirimendæ. Nam, ut jam diximus, aliud eſt judicium de feudo, aliud jus conferendi Beneficia, & uſum-fructum univerſorum Eccleſiæ bonorum, Sede vacante, prætextu feudorum ſibi vendicare. Non ergo *prætextu Eccleſiaſticæ libertatis ſuam juriſdictionem extendit* Eccleſia *in præjudicium Juſtitiæ ſæcularis*, nec *uſurpat judicium de feudo*, dum renititur Regiis Miniſtris, qui non contenti ut *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddantur*, *quæ ſunt Dei Deo rectâ diſtributione reddi* non patiuntur.

Art. 8. §. §. 7. 8. 9. 10.

§. §. SEPTIMUS, & ſeqq. uſque ad undecimum.

Arreſta circa controverſias de Regalia in quibuſdam Eccleſiis Franciæ.

1. DISSERT. §. 7. „Ortâ quæſtione de Jure Regaliæ „& ejus extenſione inter S. Ludovicum Regem & „Eccleſiam Anicienſem an. 1258. cauſa judicio Se- „natûs finita eſt. Senatusconſultum refert Chopinus, lib. 2. De Domanio Gallico, tit. 9. num. 6.

2. §. 8. „De Regalia Eccleſiæ Albigenſis judicavit Senatus „Pariſienſis anno 1272. Arreſtum ex veteri ejuſdem Parla- „menti Regeſto refert Illuſtriſſimus Archipræſul Petrus de „Marca lib. 8. de Concordia Sacerdotii & Imperii, cap. 26. „num. 3.

3. §. 9. „De Regalia Eccleſiæ Bituricenſis eodem in Se- „natu actum eſt, lataque ſententia, anno 1277. Arreſtum ex- „hibet Chopinus, lib. 2. de Domanio Gallico, tit. 9. num. 5. „Eodem anno Senatusconſultum de Regalia Eccleſiæ Burde- „galenſis latum eſt, cujus verba laudat idem Autor. Rex An- „glorum, qui Dux Aquitanorum erat, Judicio ſuccubuit. Le- „ge D. de Marca lib. 8. De Concordia Sacerdotii & Imperii, „cap. 27. num. 1.

4. §. 10. „Eduardus Angliæ Rex, qui Aquitaniæ quoque „Dux erat, Jus Regaliæ in Eccleſia Cathedrali Aquenſi in Pro- „vincia Auſcitana ſibi vendicabat. Capitulum repugnabat, „idque fieri contra libertatem Eccleſiaſticam contendebat. Verùm

„ Verùm cùm nihil promovere potuiſſet, jamque per trien- *Art.7.*
„ nium Eccleſia Aquenſis ex ea occaſione vacaret, & Miniſtri §. §.
„ Regis Angliæ bona Epiſcopalia diriperent & conſumerent, 7.8.9.
„ Capitulum appellavit Regem Franciæ, tanquam ſupremum 10.
„ cauſarum Jus Regaliæ ſpectantium Judicem. Is erat Philip-
„ pus III. Epiſtolam Capituli Aquenſis ad ejus Majeſtatem
„ edidit Vir Clariſſimus Stephanus Baluzius in Additione ad
„ cap. 28. libri. 8. Domini de Marca, de Concordia Sacerdotii
„ & Imperii, pag. 445. Inſcribitur: *Excellentiſſimo ſuo Domino*
„ *& Eccleſiæ brachio ſeculari, Domino Philippo Dei gratiâ Regi*
„ *Francorum, Capitulum Aquenſis Eccleſiæ Cathedralis in Vaſco-*
„ *nia, ſalutem cum debita reverentia & honore.* Ubi autem Ec-
„ cleſiæ ſuæ cauſam expoſuêre, hæc habent: *Cùm igitur Domi-*
„ *nus Amanevus de Pomeriis Vicarius ejuſdem Eccleſiæ Sede va-*
„ *cante, & Nos ex dictis gravaminibus ad veſtram duxerimus*
„ *Audientiam appellandum, & bona ipſa veſtræ Dominationis*
„ *præſidio ſubmittendum, Majeſtati veſtræ Regiæ humiliter ſup-*
„ *plicamus, quatenus eumdem Vicarium, quem ad proſequendum*
„ *prædicta coram veſtrâ Regiâ Majeſtate Procuratorem noſtrum*
„ *conſtituimus, favorabiliter in ſuis petitionibus audiatis, & eas*
„ *juſtè in exauditionis gratiam admittatis.* Data eſt hæc Epi-
„ ſtola die Sabbathi poſt feſtum S. Lucæ, anno Domini 1275.

2. RESP. Ex illis Arreſtis conſtat, Eccleſias, quarum occaſione lata ſunt, à Regalia eſſe immunes; Anicienſem quidem quoad Beneficia, & quoad redituum maximam partem, ut vidimus Art. IV. §. 31.; Albigenſem quoad integram Regaliam, ut oſtendimus §. 41. ejuſdem Art.; Bituricenſem item quoad Beneficia, juxta Arreſtum anno 1277. latum, & inter Acta Cleri relatum tom. 2. part. 2. tit 6. num. 7.; Burdegalenſem autem quoad integram Regaliam, ut vidimus Art. IV. §. 36.;

*Art.*8. Narbonenſem pariter quoad totam Regaliam, ut pro-
§. §. batum eſt variis in locis, ſpeciatim Art. IV. §. 38. Aquenſis
7.8.9. Eccleſiæ libertas tum ex aliis monimentis, tum ex literis mox
10. allatis perſpicua eſt. Quid igitur tam iniquum, quàm Arreſtis aliiſque actis Eccleſiarum libertatem confirmantibus uti, ad illas in ſervitutem redigendas, tantâ cum autoritate, ut adverſùs illatam injuriam reclamare piaculum dicatur?

6. At, inquies, hæc Arreſta probant nihilominùs quod hîc intenditur; ſcilicet Regem Chriſtianiſſimum eſſe hujuſmodi controverſiarum Judicem. Reſpondeo, aliud eſſe aliquem adire tanquam Judicem, ut quæſtionem definiat: aliud, ad ipſum recurrere ut Miniſtros ac ſubditos ſuos in officio contineat. Cùm enim aliquis à ſervo offenditur, poteſt vel Judicem interpellare, ut eum caſtiget ac comprimat, vel ſervi Dominum rogare, ut eum corripiat & cohibeat. Itaque licèt Eccleſia libertatem & jura ſua, præſertim ſpiritualia, cenſurarum armis tueri poſſit: tamen ubi aliâ ratione jus ſuum conſequi valet, eâ utitur; ideòque Principum autoritatem implorat, non ut ipſorum Judicio controverſias Eccleſiaſticas permittat, ſed ut ipſi ſubditos ſuos ab injuriis Eccleſiæ inferendis deterreant. Idque ad Principum reverentiam pertinet, cùm eorum Officiales injuriarum illarum autores ſunt. Ea fuit Prælatorum ac Clericorum, quos objicit Diſſertator, mens & conſilium, cùm Regum Chriſtianiſſimorum juſtitiam invocarunt adverſùs Officiales Regios collationem Beneficiorum, aut redituum uſum-fructum in Eccleſiis vacantibus uſurpare tentantes. Et quia plerunque Reges Chriſtianiſſimi juſtas Eccleſiarum preces exaudierunt, aliò recurrendum non fuit.

7. Verùm ſi quando Principes injurias à ſuis Miniſtris factas diſſimularunt, vel, quod pejus eſt, approbarunt, vel etiam

non

non ita facilè potuerunt inferiores Dynaſtas reprimere, vel alia neceſſaria cauſa occurrit, Epiſcopi ad Summorum Pontificum, aut Conciliorum, tanquam propriorum negotii Judicum, autoritatem confugerunt. Id patet ex variis exemplis, quorum omnium præſtantiſſimum eſt exemplum Concilii Lugdunenſis II., de cujus Decreto circa Regaliam Guillelmus Durandus teſtis oculatus & omni exceptione major, in verbo, *Regalia*, ait; *Præſens conſtitutio fuit ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata.* Art. 8. §. 11.

§. UNDECIMUS.

De Concilio Biterrenſi juriſdictionem Senatûs Pariſienſis in cauſis feudalibus agnoſcente.

1. DISSERT. „Cauſarum Regalia ſpectantium cognitionem ac judicium ad Regem, ejuſque Parlamentum pertinere, probant Literæ Petri Archiepiſcopi Narbonenſis de rebus geſtis in Concilio Biterrenſi, anno 1279. ex quibus diſcimus, Provinciæ „ Narbonenſis Epiſcopos in ea Synodo Procuratores conſtituiſſe, qui in Parlamento pro Narbonenſi Provincia comparerent, ſuper cauſis feudorum, & militiæ, aliiſque oneribus, quæ Eccleſiis & Monaſteriis imponebantur, & iſtarum Eccleſiarum ac Monaſteriorum libertates & privilegia „ coram Regiis Magiſtratibus proferrent. *Cùm* (inquiunt) *in „ Concilio apud Biterrim, per Nos ac venerabiles fratres noſtros „ Epiſcopos Provinciæ Narbonenſis, ordinatum extiterit, ut Nos „ cum venerabili fratre noſtro Epiſcopo Toloſano ad inſtans Parlamentum debeamus in Franciam perſonaliter proficiſci, conſtitutique*

Art. 8. „, *tique ſint in ipſo Concilio Procuratores, qui in ipſo Parlamento*
§. 11. „, *comparere debeant pro Provincia Narbonenſi, ſuper antiquis &*
„, *de novo novitatibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeu-*
„, *dis, alodiis & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ quo-*
„, *tidie inferuntur, quæ communem tangunt ſtatum Eccleſiarum &*
„, *Monaſteriorum ejuſdem Provinciæ, libertates, immunitates &*
„, *privilegia oſtenſuri, prout in ipſo procuratorio videbitis pleniùs*
„, *contineri : univerſitatem veſtram requirendam tenore præſen-*
„, *tium ducimus & rogandam, quatenus in procuratorio quod vo-*
„, *bis per latorem præſentium mittimus, veſtrum quilibet ſigillum*
„, *apponat.*

2. RESP. Cùm Patris Alexandri in hac Diſſertatione ſcopus ſit, Regis Chriſtianiſſimi, Regaliam ad omnes ſuæ Ditionis Eccleſias extendentis, Declarationem propugnare; quæritur, utrùm ſua Majeſtas atque ejus Miniſtri & Officiales ſint hujus controverſiæ ſupremi Judices: an verò poſſit Summus Pontifex Decretum Concilii generalis, extenſionem hujuſmodi prohibentis, exequendum curare, vel potiùs impedire quòminùs ab ejus executione per quadringentos annos continuatâ recedatur? Is eſt verus quæſtionis ſtatus: verùm quia Canonum executio in hujuſmodi materiâ tam certò Summi Pontificis vigilantiæ atque auctoritati competit, ut eam impugnare Theologo Catholico turpe ſit: viſum eſt Diſſertationis Autori, quæſtionem ſub aliâ formâ proponere; ac de multis, puta, *Regaliâ, ejus extenſione, appendicibus vel annexis* permiſtìm diſputare: quaſi eo ipſo oſtenderet, Summi Pontificis partes non eſſe Eccleſias hactenus à Regalia liberas in priſtina libertate conſervare; quò probaverit, Reges Chriſtianiſſimos, vel Parlamentum Pariſienſe aliquas controverſias dijudicaſſe circa Regaliam, vel circa Regaliæ appendices, aut aliquid Regaliæ

liæ annexum, vel quod quoquo modo ad illam referri poſſe videretur. *Art.* 8. §. 11.

3. In his Literis Archiepiſcopi Narbonenſis nequaquam agitur de uſu-fructu bonorum Eccleſiarum vacantium, aut de collatione Beneficiorum pleno jure, quæ ſunt duæ partes ex quibus integra conſtat Regalia, ſed *de feudis, retrofeudis, alodiis, & exercitu, & aliis gravaminibus* à Regalia longè diſtinctis. Sed quia illæ injuriæ inferebantur Eccleſiis Provinciæ Narbonenſis prætextu feudorum, atque eodem prætextu in alias Provincias, jure ſcilicet conſuetudinario adminiſtratas, olim Regalia irrepſit, ſperavit Pater Alexander, ſe perſuaſurum ſimplicibus, Regem Chriſtianiſſimum proprio Judicio ſibi adſcribere Regaliam in illa Provincia poſſe, quia Metropolitanus adierat Senatum Pariſienſem, ut impediret quòminùs inſolita ſervitia feudis Eccleſiaſticis imponerentur.

4. Recurriſſe autem ad Summos Pontifices, Epiſcopos ipſiusmet Provinciæ Narbonenſis aduerſùs Officiales Regios, & adverſùs inferiores Dynaſtas fructus Eccleſiarum vacantium, prætextu feudorum aut cuſtodiæ, uſurpantes, teſtantur ipſorum Pontificum Literæ à Patre Alexandro adductæ variis in locis, quaſi ſibi faventes. Ejuſmodi ſunt literæ Gregorii IX. & Innocentii IV., quæ referuntur poſt cap. 18. lib. 8. De Concord. Sacerd. & Imper. D. de Marca. Summi enim illi Pontifices injurias contra jura, libertatem, ac bona Eccleſiarum Provinciæ Narbonenſis factas prætextu jam dicto Cenſuris comprimi juſſerunt. *Ad Audientiam noſtram,* inquit Gregorius IX. *famâ referente pervenit, quòd Seneſcalli & Balivi chariſſimi in Chriſto filii noſtri Illuſtris Regis Franciæ in Narbonenſi Provincia conſtituti, decedentibus Eccleſiarum Prælatis in eâdem Provinciâ caſtra, villas, & alia bona Eccleſiarum*

*Art.*8. *rum vacantium contra jus debitum uſurpare, ac id de novo in Ec-*
§. 11. *cleſiarum juribus attentare præſumunt, quod nullo tempore à Prædeceſſoribus ipſius Regis vel aliis occaſione Regalium, vel aliâ fuit attentatum. Unde ipſis noſtris dedimus literis in mandatis, ut à prædictorum exceſſuum præſumptione omninò deſiſtant. Ideòque Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi dicti Seneſcalli & Balivi Mandatum noſtrum neglexerint adimplere, vos eos ab hujusmodi præſumptione ceſſare monitione præmiſſâ per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remotâ, cogatis.*

5. Graviores & prolixiores ſunt Literæ Innocentii IV. *Ad aures noſtras*, inquit, *Eccleſiæ Gallicanæ querelâ perferente, pervenit &c. Habebat inſuper Eccleſiæ præfatæ querela, quòd vacantibus interdum Eccleſiis ſeu Monaſteriis Regni prædicti, ſi ſuper proviſione ipſorum duratura diſcordia oriatur, iidem Barones & alii Barones, prætextu guardiæ ſeu advocationis, ad bonorum temporalium eorumdem cuſtodiam diſſipatores & conſumptores deputant, non cuſtodes, in enormem Eccleſiarum & Monaſteriorum ſæpius læſionem. . . . . Quocirca Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatos Barones, Balivos, Præpoſitos, Officiales, & alios Narbonenſis Provinciæ, quotiens opus fuerit, ut ab hujuſmodi Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum perſonarum gravaminibus conquieſcant, attentè monere, ac efficaciter inducere ſtudeatis, & ſi ad monita fuerint pertinaces, ipſos ſuper iis per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras eorum, appellatione remotâ, veritate per vos, vel per alios cognitâ, compeſcatis* &c. Putaſſentne duo illi Summi Pontifices ſibi ſervandum ſilentium, ſi Regalia, de qua hîc agitur, non ſolùm ad Provinciam Narbonenſem, ſed ad plures alias, hoc eſt ad dimidiam ferè totius Regni partem, imò ad eas omnes Diœceſes quæ impoſterum Regiæ Coronæ adjungentur, propagata

pagata fuiſſet? An veriti fuiſſent ne Chriſtianiſſimorum Regum juriſdictionem offenderent, ſi Senatusconſulto Pariſienſi aut Edicto Regio illam Regaliæ propagationem jubenti obſtitiſſent? Art. 8. §. 12.

§. DUODECIMUS.

Exemplum Philippi Valeſii.

1. DISSERT. „Idem uſus ex Philippi Valeſii Regis „Chriſtianiſſimi Conſtitutione anno 1334. datâ, „quæ *Philippina* in hanc uſque diem vocata eſt, „confirmatur. Ortâ enim Quæſtione, utrùm „Rex Beneficia de facto duntaxat vacantia Jure Regaliæ conferre poſſet, hanc illâ Conſtitutione diremit: illorum collationem Juris eſſe Regii declarans, & in contrarium à Senatu vel Regiis Commiſſariis judicari prohibens. Anno 1329. „de Eccleſiaſticæ & Laïcæ juriſdictionis finibus coram Philippo Valeſio diſceptatum fuerat, Petro de Cuneriis Regiorum Magiſtratuum partes agente & Eccleſiaſticæ juriſdictionis extenſionem impugnante, Bertrando Æduenſi „Epiſcopo Eccleſiæ juriſdictionem & libertates defendente. „Proteſtatus fuerat Bertrandus Cleri Gallicani nomine, antequam cauſam diceret, ſe de Eccleſiæ libertate coram ejus „Majeſtate dicturum, *Non ad finem ſubeundi quodcumque Judicium, ſed ſolùm ad Domini Regis & ei Aſſiſtentium conſcientiam informandam.* De Judicio cauſarum Jus Regaliæ ſpectantium controverſia nulla fuit, ut iſtius diſputationis Acta „probant: nec quinquennio poſt cùm Philippina condita & „promulgata eſt, Gallicani Præſules & ipſe imprimis Bertrandus,

Art. 8. §. 12. „ dus, jam ob defenſam egregiè Eccleſiaſticam juriſdictio-
„ nem ac libertatem Cardinalitiis Infulis ornatus, reclama-
„ runt, aut ſupplicarunt Regi, ne rem indebitam ſibi tribue-
„ ret, ne Judicium uſurparet quod ad ejus non pertinebat
„ Majeſtatem. Quos certè ſilentium ſervaturos, aut non in-
„ terceſſuros, veriſimile non eſt, ſi ex jure & conſuetudine
„ cauſarum hujuſmodi cognitio ad Regem non ſpectaſſet.
„ Nec Rex in Eccleſiæ utilitates propenſiſſimus, qui ob ſer-
„ vata Eccleſiæ jura CATHOLICI glorioſum nomen ab Eccle-
„ ſia Gallicana & Romana conſecutus fuerat, cujus *devotio-*
„ *nem erga Deum & Eccleſiam* eâ in cauſâ commendaverat
„ Joannes XXII. judicium de Regalia, & ejus extenſione vel
„ appendicibus ſibi tribuiſſet, niſi diligenti examine jurium
„ ſuorum habito, certis documentis compertum habuiſſet, id
„ Regii eſſe Juris, & antiquæ conſuetudinis, ſicut ipſe in
„ dicta Conſtitutione profitetur: *Informez à plein de nos Droits*
„ *& uſages ſuſdits*, &c. Porrò, ut ait Guillelmus Benedicti,
„ in Cap. *Raynutius*, pag. 63. n. 264. *Si Doctori conſuetudinem*
„ *aliquam narranti creditur, ut tenet Bartolus, multò meliùs cre-*
„ *dendum eſt Regi dictam conſuetudinem diſpoſitivè; & non ad al-*
„ *terius ſuggeſtionem talem eſſe aſſerenti.*

2. RESP. Philippus Valeſius initio quidem Regni ſui jura Eccleſiæ conſervare viſus eſt: verùm non ita ſemper religioſus Eccleſiaſticorum jurium Protector extitit, ut teſtantur Literæ Benedicti XII. quarum fragmentum §. ſequenti refertur, quod vel ſolùm ſufficit confutandis iis quæ hîc à Patre Alexandro dicuntur.

3. Sed antequam illæ Literæ referantur, notandum eſt, in ea controverſia, in qua anno 1329. de Eccleſiaſticæ & Laïcæ juriſdictionis finibus coram Philippo Valeſio diſceptatum fuerat,

rat, inter ſexaginta ſex Articulos ab Advocato Regio propoſitos nullum extitiſſe, in quo Regi Chriſtianiſſimo vendicaretur jus adeò ſpirituale, ut collatio Beneficiorum; ac in pleriſque fuiſſe quæſtionem de rebus minoris momenti, quàm ſit uſus-fructus Eccleſiarum vacantium, ut obſervabit quiſquis illos Articulos legere voluerit in Bibliotheca Patrum, tom. 14. edit. Colon. anni 1618. Et tamen proteſtatus eſt Bertrandus Cleri Gallicani nomine, antequam cauſam diceret, ſe de Eccleſiæ libertate coram Rege dicturum, *non ad finem ſubeundi quodcumque Judicium, ſed ſolùm ad Domini Regis & ei Aſſiſtentium conſcientiam informandam.* Quis ergo dubitet, Epiſcopos quotiescumque in ſimilibus controverſiis ad Reges recurrebant, nequaquam ſæculari Poteſtati cauſas Eccleſiaſticas ſubjeciſſe, ſed juriſdictionem Eccleſiæ aliaque ejus jura in omnibus ſalva voluiſſe? *Art.* 8. §. 13.

§. DECIMUS TERTIUS.

Literæ Benedicti XII. ad Philippum Valeſium.

1. DISSERT. „Non diſſimulandum, Benedictum „XII. Pontificem Maximum graviſſimis monitis Philippum Valeſium ab extenſione Regaliæ, „& judicio cauſarum omnium Jus illud ſpectantium deterruiſſe. Cujus rei teſtes ſunt ejus Literæ ad Petrum „Titulo S. Praxedis Presbyterum, & Bertrandum Titulo „S. Mariæ in Aquiro Diaconum, Cardinales, Sedis Apoſtolicæ in Galliis Legatos, anno 1337. datæ, quas ad eumdem „annum exhibet Odoricus Raynaldus num. 17. Sic autem „habent: *Rex quoque præfatus, vacantibus Cathedralibus Ec-*

Art. 8. §. 13. „ *cleſiis Regni ſui, in quibus* REGALIA *aſſerit ſe habere, Beneficia Eccleſiaſtica etiam per Romanum Pontificem, vel per alias „ perſonas Eccleſiaſticas, ad quas collatio pertinet eorumdem, „ ante vacationem dictarum Cathedralium Eccleſiarum collata, ſi „ ante hujuſmodi vacationem non fuerit eorum poſſeſſio apprehen„ſa; & quod gravius eſt, & omni contrarium rationi, Be„neficia etiam ex collatione eorum, ad quos proviſio fue„rat longo tempore poſſeſſa pacificè, quæ ſimiliter tempore* REGA„LIÆ *non vacarunt; ſi tamen de jure tempore* REGALIÆ *dicta „ Beneficia obtinentes propter crimen vel aliam cauſam illis po„tuiſſent privari, quamvis nulla privationis vel declarationis ſen„tentia ſuper tali vacatione per Judicem Eccleſiaſticum proceſſiſ„ſet, nititur conferre de facto, & poſſeſſione ipſorum abſque „ aliquo judicio Eccleſiaſtico ſpoliare, & deſtituere poſſeſſores, „ compellens eoſdem ad dimittendum illa perſonis, quibus de facto „ illa contulit per bonorum temporalium captionem: & ſi inter „ dictos poſſeſſores & eos, quibus illa præfatus Rex confert, con„troverſia oriatur* AD SE SEU AD CURIAM SUAM *nititur cog„nitionem trahere, & ſuper iis etiam judicare. In multis inſu„per Eccleſiis, in quibus Prædeceſſores Regis ejuſdem præterita„rum vacationum dictarum Eccleſiarum tempore uſi non fuerunt „ Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione,* IDEM REX DE NO„VO COLLATIONEM BENEFICIORUM TEMPORE REGA„LIÆ SIBI VENDICARE CONATUR, *ut in Turonenſi, & in „ multis aliis Regni Eccleſiis dicitur attentaſſe, quamvis Præde„ceſſores ipſius erga Deum & Eccleſias ſinceritate fidei & devotio„nis integritate pollentes, nunquam talia vel ſimilia, utpote Juri „ divino & humano contraria, & redundantia plurimùm in „ oppreſſionem & conculcationem Eccleſiaſticæ libertatis, atten„taſſe noſcantur.* Et infrà: *Nihilominus Rex aſſerens præſcriptionem*

„ *tionem ſibi non currere, Beneficium quod Archiepiſcopali, vel* *Art.*8.
„ *Epiſcopali Sede vacante, Apoſtolicâ, vel Ordinariâ, ipſum* §. 13.
„ *eodem Rege tunc non conferente, Auctoritate confertur, etiam*
„ *ſi is cui hujuſmodi Beneficium collatum exiſtit illud per plures*
„ *annos poſſederit pacificè & quietè, alii confert, ac ſi tunc Ar-*
„ *chiepiſcopatus vel Epiſcopatus ipſe vacaret*, &c. *Cùm itaque*
„ *Vos ad Regnum Franciæ pro magnis & arduis negotiis deſtine-*
„ *mus, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, qua-*
„ *tenus præfato Regi diligenter expoſito quòd ſingularis ad Perſo-*
„ *nam ſuam Nos urget affectio, ſpecialis afficit charitas* &c. *Eum-*
„ *dem Regem quòd Officiales, Miniſtros, Familiares, ac Nobiles,*
„ *ac gentes prædictas à præmiſſis, pro Divinâ & ipſius Apoſtolicæ*
„ *Sedis ac noſtrâ reverentiâ ceſſare faciat & penitùs abſtinere;*
„ *& Ipſe ſimiliter ceſſet & abſtineat ab iiſdem.* At Benedictus
„ XII. integerrimus prudentiſſimuſque Pontifex, de Regiis ju-
„ ribus certior factus, negotium illud urgendum ampliùs non
„ exiſtimavit, ab eòque penitùs deſtitit; atque in id totus in-
„ cubuit, ut pacem inter Anglorum Gallorumque Reges con-
„ ciliaret, ut eorum arma contra Saracenos converteret. Phi-
„ lippinam Rex Chriſtianiſſimus non revocavit, quæ etiam-
„ num ſtat incolumis, de ſuo Regaliæ Jure, uſibuſque nihil
„ remiſit, quibus ſilentio ſuo non connivere tantùm, ſed pla-
„ nè conſentire Benedictus XII. & ejus Succeſſores viſi ſunt.
„ Et ejuſdem Pontificis amantiſſimas literas ad ipſum Regem
„ triennio poſt, id eſt anno 1340. datas legimus, abſolutiſſimæ
„ concordiæ inter ejus Sanctitatem & illius Majeſtatem Chri-
„ ſtianiſſimam teſtes, apud Odoricum Raynaldum n. 17. qui-
„ bus inter alia ſcribit: *Cæterùm cùm Te, fili Amantiſſime, porte-*
„ *mus in viſceribus charitatis ad tuum & Regni tui prædicti ho-*
„ *norem promovendum & commodum, quantùm cùm Deo poſſu-*
mus

Art. 8. „ *mus aſpirantes, & tuo devoto propoſito in dictis Literis Regiis*
§. 13. „ *delectabiliter recenſito, ſuper quo tibi gratiarum actiones refe-*
„ *rimus, concurrentes :* ILLAM AMORIS ET DEVOTIONIS
„ UNITATEM, QUÆ INTER DICTAM ROMANAM ECCLE-
„ SIAM ET DOMUM FRANCIÆ VIGUIT HACTENUS ET
„ VIGERE CONTINUE NOSCITUR, TECUM FILI CHA-
„ RISSIME, CONFOVERE VOLUMUS ET AUGERE.

2. RESP. Maximi certè momenti eſt iſtud Benedicti XII. teſtimonium. Cùm enim is Gallus eſſet, & Doctor Pariſienſis, non ignorabat jura Regis Franciæ, præſertim quæ maximè conſpicua erant: cùmque aliunde non minori ſanctitate, quàm doctrinâ præditus eſſet, non invidiſſet illa Principi, quem tantopere diligebat, cuique tot exhibuit benevolentiæ ſigna. Quamobrem affirmare licet, abuſus quos Benedictus in hac Epiſtola carpit, recenter fuiſſe introductos. Porrò ſi doctiſſimus pientiſſimuſque Pontifex, *juri divino & humano contrarium, & redundans plurimùm in oppreſſionem & conculcationem Eccleſiaſticæ libertatis* deputabat, quòd Philippus in Eccleſiis Regaliæ obnoxiis quantùm ad uſum fructum redituum, (neque enim illam ad Eccleſias Occitaniæ aliaſque integrâ ſuâ libertate gaudentes porrigebat) *de novo collationem Beneficiorum tempore Regaliæ ſibi vendicare conaretur :* num Regiæ poteſtatis eſſe crediidiſſet, Regaliam ipſam integram ad Provincias hactenus liberas ac per totum Regnum de novo diffundere? Neque etiam ſentiebat quaſcumque contentiones circa Regaliæ exercitium exortas à Rege aut Regiis Judicibus eſſe dirimendas; quandoquidem improbabat quòd ſua Majeſtas in Eccleſiis Regaliæ obnoxiis, *ad ſe ſeu ad Curiam ſuam niteretur cognitionem trahere* controverſiarum de collatis ob Regaliam eorum Beneficiis, qui *propter crimen vel aliam cauſam illis*

illis potuiſſent privari ; quamvis nulla privationis vel declaratio- *Art.*8.
nis ſententia ſuper tali vacatione per Judicem Eccleſiaſticum pro- §. 13.
ceſſiſſet.

3. Fruſtrà verò perſpicuis Benedicti verbis opponitur ſubſequens ſilentium, quod ex aliis pluribus cauſis contingere potuit. Nam per illud quadriennium, quo ſuperſtes fuit, tot tamque gravibus curis diſtentus eſt, tum propter bellum inter Regem ipſum Galliæ, ac Regem Angliæ, tum propter bellum quod contra infideles comparabat; tum denique propter alia ardua negotia, quæ in ejus vita leguntur, ut mirum videri non deberet, ſi de uſurpatione à Philippo circa Regaliam factâ poſtmodùm ſiluiſſet. Sed vero ſimilius eſt, Principem illum ab hac injuſtitia aliquandiu deſtitiſſe, ne Benedictum offenderet, cujus favorem ſibi utiliſſimum ſperabat.

4. Ex literis autem ab Odorico Raynaldo ad annum 1340. num. 17. relatis negativè tantùm & inefficaciter quis inferat Benedictum poſtea huic uſurpationi acquieviſſe. In his enim literis Philippi animum placare conatur ex eo offenſum quòd Pontifex viſus eſſet ſuſpicari, ipſum fuiſſe atrocis facinoris in Oratorem Regis Angliæ, non ſine gravi Pontificiæ Majeſtatis injuria patrati, conſcium ac participem. Quamobrem loca Franciæ quò tractus fuerat dictus Orator vinculis mancipandus, Eccleſiaſtico ſuppoſita ſunt interdicto. Sed Rex ſceleris purum ſe exhibuit, prædictumque Oratorem Avenionem reduci fecit; quâ occaſione ſcriptæ ſunt amantiſſimæ literæ hîc relatæ. Vide an hinc rectè inferat Pater Alexander, Benedictum probaſſe quòd Philippus Beneficia de facto tantùm vacantia pleno jure conferendi poteſtatem ſuâ ſibi Conſtitutione adjudicaſſet, aliaque ſuprà memorata in detrimentum Eccleſiaſticæ libertatis per ſe aut per ſuos Officiales admitteret?

Vvvv 5. An

*Art.*8. 5. An quia Innocentius XI. poſt datas iterùm iterùmque ad
§. 14. RegemChriſtianiſſimumLudovicum XIV.Literas graviſſimas, quibus ſuam Majeſtatem ab extendendâ ad omnes Eccleſias Regaliâ dehortabatur, alias ei ſubinde benigno & amanti ſtylo ſcripſit aliis de negotiis: neque expreſſâ ac ſolemni Conſtitutione prædictam extenſionem, tanquam Decreto Concilii Generalis Lugdunenſis II. ac juribus & libertati Eccleſiæ contrariam damnavit, ideò cenſendus eſt illi extenſioni acquieviſſe?

§. DECIMUS QUARTUS.

De exemplo Angliæ.

1. DISSERT. „ In Anglia cauſæ Jus Patronatûs ſpe-„ ctantes in Parlamento duntaxat judicabantur, „ conſequenter & quæ de Regaliæ Jure, & ejus „ appendicibus vel annexis oriebantur controver-„ ſiæ. Teſtis eſt Eduardus III. Angliæ Rex in Literis ad Cle-„ mentem VI. Pontificem Maximum pro Eccleſiæ Anglica-„ næ libertate directis, quas refert Walſinghamus, pag. 161. „ *Curia noſtra*, inquit, *in qua duntaxat cauſæ ſuper Jure Pa-„ tronatûs dictorum Beneficiorum tractari debent, deluditur, „ & ſic Jura Coronæ noſtræ tam probroſè quàm damnoſè depe-„ reunt.*

2. RESP. Controverſias de Jure Patronatûs ad Eccleſiæ Judicium pertinere, declaravit expreſſè Alexander III. ad Regem Angliæ ſcribens Cap. *Quanto. De Judiciis.* En ejus verba: *Cauſa verò Juris Patronatûs ita conjuncta eſt & annexa ſpiritualibus cauſis quòd non niſi Eccleſiaſtico Judicio valeat definiri.*

finiri. Et licèt uſus contrarius poſterioribus ſæculis inductus, Eccleſiaſticæ juriſdictioni hac in parte, diſſimulantibus Summis Pontificibus, derogaſſet, non ſtatim ſequeretur, idem eſſe de Regaliâ: tum quia collatio pleno jure præſentationi longè præſtat, ac poteſtatem ſupponit magis ſpiritualem, cujus minùs capaces ſunt laïci ſecundùm communem Juris Canonici Peritorum ſententiam: tum quia ex eo quòd Eccleſia toleravit, ut in locis ubi Regalia antiquâ conſuetudine recepta eſt, de controverſiis particularibus circa ejus exercitium exiſtentibus Rex vel Senatus judicet, nequaquam concludi poteſt ad ſuæ Majeſtatis aut Parlamenti poteſtatem ſpectare, ut Regaliam ad plures Provincias ab eo onere liberas, contra Concilii Lugdunenſis prohibitionem, de novo extendant. *Art.8. §. 15.*

§. DECIMUS QUINTUS.

Teſtimonium Ludovici Undecimi cognitionem controverſiarum de Regalia Senatui Pariſienſi attribuentis.

1. DISSERT. „ Ludovicus XI. Rex Chriſtianiſſimus, Edicto die 14. Junii anni 1463. dato, declaravit Regaliæ cauſas, & controverſias circa „ Jus illud de novo emergentes, ad ſuæ Majeſtatis, & ſupremi Senatûs Pariſienſis duntaxat cognitionem ac „ Judicium *pleno jure* pertinere, aliis Judicibus quibuſcunque „ excluſis: ac Viris Eccleſiaſticis ſub pœna captionis bonorum, Laïcis ſub pœna etiam carceris prohibuit, ne ad Curiam Romanam, aut ad alios quosvis Eccleſiaſticos Judices, „ cauſas Jus Regaliæ ſpectantes deferrent. Hoc Edictum legere eſt inter probationes libertatum Eccleſiæ Gallicanæ,

 cap. 15.

*Art.*8. „ cap. 15. num. 43. Ejuſdemque auctoritate nituntur Stepha-
§. 15. „ nus Aufrerii in Tractatu de Poteſtate ſeculari ſuper Eccle-
„ ſiaſticas Perſonas in ſecunda Regula, & in vigeſima quinta
„ Fallentia ; Guillelmus Benedicti in Repetitione Capitis
„ *Raynutius*, ſuper verbo, *Et uxorem*, in ſecunda Deciſione,
„ num. 366. Henricus Bohic in Cap. *Nobis* : De Jure Patro-
„ natûs ; Ruzeus in Tractatu de Jure Regaliorum, Privile-
„ gio 26. Ægidius Magiſter Senatus Princeps, Tractatu de
„ Regaliis, cap. 12. Joannes Feraldus, de Privilegiis & Juri-
„ bus Regni Francorum, Privilegio 11. Carolus de Graſſalio,
„ lib. 2. Regalium Franciæ, Jure 5. Nec de poſſeſſorio tantùm,
„ ſed etiam de petitorio, reſpectu Beneficiorum in Regalia
„ vacantium, & eorum omnium quæ ad Regis collationem
„ pertinent, juriſdictionem & cognitionem ad Regem ac Se-
„ natum pertinere, Juriſconſulti noſtrates docent, moreſque
„ Galliarum & uſus Fori probant.

2. RESP. Neque Ludovico XI. neque alicui ex Autoribus hîc citatis unquam venit in mentem, poſſe Regem Chriſtianiſſimum Regaliam ad omnes Regni ſui Eccleſias autoritate ſuâ extendere. Aliud omninò eſt de controverſiis particularibus circa Regaliam, quoad Eccleſias illi oneri ſubjectas, judicare, quod jam dudum, diſſimulante ac tolerante Eccleſiâ, fit à Regibus Chriſtianiſſimis vel à Senatu Pariſienſi, ut jam ſuprà notatum eſt : aliud de novo Regaliam in Eccleſiis liberis uſurpare, quod vetitum eſt à Concilio Lugdunenſi II. & de hac extenſione hîc agitur, utrùm ſcilicet Regis tanquam proprii ac ſupremi Judicis autoritate fieri poſſit ; non autem de litibus particularibus circa Regaliam.

3. Autores citati de controverſiis illis particularibus loquuntur ; tantumque abeſt, ut de extenſione Regaliæ ad omnes Regni

Regni Eccleſias autoritate Regis Chriſtianiſſimi tanquam ſolius ſupremi Judicis faciendâ, accipiendi ſint, ut ferè omnes perſpicuis verbis affirment, illam in aliquibus tantùm Eccleſiis locum habere. Cur autem citetur Henricus Bohic non intelligo. Non enim agit de Regaliâ, ſed de Jure Patronatûs laïcorum; & quæ de illo tradit, Regaliæ, ac præſertim ejus extenſioni abſque Privilegio Sedis Apoſtolicæ factæ prorſùs adverſantur. Sic enim habet in Cap. *Nobis*, *De Jure Patronatûs*, n. 8. *Tu dic, quòd aut quæritur, utrùm poſſit habere jus ſeu vocem in electione de jure communi, & conſtat quòd non, etiamſi ſit Patronus Eccleſiæ &c. aut de conſuetudine præſcriptâ; & dixit Gloſſ. 63. diſtin. in ſumma & C. Reatina, quòd ſic, per iſtud Cap. in verb. niſi aliter &c. quod eſt falſum, ut in C. alleg. ſacroſancta Maſſana, ſecundùm Ber. in fi. hujus Gloſſ. & Inno. & Hoſt. Et poteſt eſſe ratio, quia nullum ſpirituale jus cadit in laïcum, nec ipſum poſſidere poteſt, vel quaſi S. de præſcript. Cauſam quæ de Deci. Quamvis & C. Prohibemus, ſecund. Hoſtienſem, ſine qua poſſeſſione præſcriptio non procedit, ut ibi infr. de Regul. Juris C. ſine poſſeſſione lib. 6. Nam ſecundùm Archidiaconum nec Jus Patronatûs quod cadit in laicum, & quod non eſt merè ſpirituale, laïcus poteſt per conſuetudinem acquirere &c. Aut quæritur utrùm poſſint habere vocem in electione per Privilegium, & tunc aut per Privilegium Epiſcopale, ſeu aliud quàm Apoſtolicum, & dic quòd non.* Art. 8. §. 15.

4. Si quid ſcripſit Bohic loco à Diſſertatore citato quod ad Regaliæ appendices pertinere videatur, illud eſt quod ait n. 12. videlicet Regem Franciæ habere jus ut ipſius conſenſus ad electionem Prælatorum requiratur. Sed hoc & à Regalia valdè diverſum eſt, nec Regi Chriſtianiſſimo univerſim ab illo Scriptore tribuitur, ſed tantùm in multis Eccleſiis.

Art. 8.
§. 16.

§. DECIMUS SEXTUS.

De Regalia in Eccleſiis Armoricis. & Bellicenſi, ac de Declaratione anno 1673. *editâ.*

1. DISSERT. „ De Regaliæ Jure in Aremoricis Ec„ cleſiis diſceptatum eſt in Senatu, cauſaque ad „ pleniorem deliberationem Decreto Patrum re„ miſſa eſt die 17. Maii 1576. Tandem Jus Rega„ liæ ad illas etiam Eccleſias porrigi debere, Senatusconſulto „ declaratum eſt. De Regalia Bellicenſis Eccleſiæ actum in „ eodem Senatu anno 1608. De Regalia demùm Eccleſiarum „ Provinciæ, Delphinatûs, Aquitaniæ, & Occitaniæ, & „ in Senatu, & in Regio Conſiſtorio actum non ſemel; tan„ demque Rex Chriſtianiſſimus Declaratione celebri cauſam „ finivit anno 1673. Quo in Judicio ſanè peremptorio, qua„ tuor Provinciarum Præſules, totuſque Clerus Gallicanus, ac„ quieverunt.

2 RESP. Tentarunt quidem Officiales Regii ſub finem ſuperioris ſæculi Regaliam ad Eccleſias ab eo onere liberas porrigere. Verùm obſtitit ſemper Clerus Gallicanus, apud Reges Chriſtianiſſimos querelis ac ſupplicationibus agens. Et quoniam juſtiſſimi Principes Eccleſiæ jura hactenus ſervarant, nihil neceſſe fuerat ad ſupremam Sanctæ Sedis autoritatem recurrere, donec Officiarii Regii indefeſſis animis Eccleſias liberas in ſervitutem ſibi commodam redigere conantes, tandem à ſua Majeſtate Declarationem, Regaliam ad omnes Eccleſias extendentem obtinuerunt.

3. Itaque ſi Senatus Pariſienſis anno 1576. cauſam Eccleſiæ Nan-

Nannetenſis, quæ una eſt ex Armoricis ad pleniorem deliberationem remiſit, ac tandem illam Regaliæ obnoxiam pronunciavit: Clerus anno 1577. conqueſtus eſt in Comitiis Bleſenſibus, quòd bona Eccleſiarum liberarum tempore vacationis ſequeſtrarentur ac poſtulavit, ut liceret eis in poſterum libertate ſuâ gaudere, ac demùm anno 1606. Edictum ab Henrico IV. impetravit, quo Regalia intra limites antiquos concluſa eſt. Extat inter Acta Cleri Gallicani, tom. 2. part. 2. tit. 6. num. 8. *Art.* 8. §. 16.

4. Si anno 1608. Senatus Eccleſiam Bellicenſem & ejus occaſione reliquas Regaliæ ſubjectas declaravit, tantum abeſt, ut ejus Arreſto paruerit Clerus, ut etiam Literas patentes ab eodem Henrico impetraverit anno 1609. quibus Rex Senatui ejuſmodi cauſarum cognitione interdicebat; idque quia Senatus Arreſtum illud tulerat Edicto Regio contrarium: quod quidem Edictum jam verificatum Rex iterùm purè ac ſimpliciter verificari ſe velle, ſignificavit. Extant Literæ inter Acta Cleri loco citato num. 9.

5. Tam æquis Chriſtianiſſimi Regis Placitis pertinaciter obſtiterunt Regii Officiales: ſed Edictum Henrici IV. renovatum eſt à Ludovico XIII. Ordinationis editæ anno 1629. Articulo 16. qui refertur etiam in loco citato Actorum Cleri Gallicani numero 29.

6. Edita eſt anno 1673. à Rege Chriſtianiſſimo Declaratio, quâ Regalia in omnes Eccleſias Franciæ inducitur; ſed ſubrepta eſt ſuæ Majeſtati contra libertatem Eccleſiaſticam, contra Decretum Concilii Generalis Lugdunenſis II. contra morem ſuorum Prædeceſſorum, ac ſpeciatim contra Edicta Glorioſiſſimorum Regum Henrici IV. anno 1606. & Ludovici XIII. an. 1629. quorum mentionem modò fecimus.

7. Fal-

Art.8. §. 16. 7. Falſum eſt autem quòd in Judicio illo ſeu Declaratione Regis Chriſtianiſſimi anno 1673. editâ *quatuor Provinciarum Præſules totuſque Clerus Gallicanus acquieverint:* cùm potiùs eam omnes ægre tulerint, duo autem zelo ac pietate præſtantiſſimi, Alectenſis videlicet & Appamienſis, tum literis ad ſuam Majeſtatem ſcriptis, tum publicis Actis ei intercesserint, ipſumque negotium ad Sedem Apoſtolicam per appellationes detulerint. Imò & plures alii iſtarum Provinciarum Epiſcopi gravem ſuis Eccleſiis injuriam fieri, neque ſe Declarationi velle aſſentiri, etiam ſcripto proteſtati ſunt; tametſi hanc ſuam proteſtationem, majorum malorum metu & ob reverentiam Regiæ Majeſtatis, non publicaverint. Denique jamdudum Clerus Appamienſis pro tuendâ ejus Eccleſiæ Canonicâ libertate plurima graviſſimaque mala, ut omnes norunt, perpetitur, & appellationes ad Sanctam Sedem delatas, quantùm per calamitates quibus affligitur, ei licet, proſequitur.

8. Sin verò per totum Clerum Gallicanum Diſſertator intelligat Præſules Pariſiis anno 1682. mandato Regio congregatos, conſenſus ab eis huic Declarationi præſtitus multis nominibus nullus eſt. Primò, quia ſine aliorum Prælatorum quorum intererat, quique numero multò plures erant, procuratione ſaltem expreſſâ, qualis ad omnia negotia graviora requiritur, datus eſt. Secundò, quia Comitia Provincialia minimè libera fuerant in eligendis iis, qui ad Comitia generalia mittendi erant, ſed hi à Curia præſcripti fuerant, ut omnibus notum eſt. Tertiò, etiamſi Comitia generalia legitimè fuiſſent congregata, & Provincialium conſenſu atque autoritate munita, non valuiſſent Concilii Generalis Decreto, inconſultâ Sanctâ Sede, derogare. Quartò, quamvis nullum extitiſſet ejuſmodi Decretum, Epiſcopi ſine aſſenſu Summi Pontificis

tificis ejuſmodi ſervitutem ſuis Eccleſiis imponere non pote- *Art.* 8.
rant, ut docent etiam Regaliſtæ: *Ultra ſuprà dicta*, inquit, §. 16.
Ruzæus in Præfat. Tract. Juris Regaliorum, parte v. num. 4. & ſequentib. *Ego addo, quòd ex voluntate Epiſcopi non poteſt ſpectare Jus conferendi Beneficia ad Reges ſeu Duces & Barones, ſed ſolùm reſervatur Summo Pontifici in ſignum ſuperioritatis habilitare tantùm laïcos tanquam perſonas in-capaces. Ita reperio tenuiſſe Abbatem in terminis in Conſilio ſuo* 106. *incipiente, caſus ſuper quo Conſilium, circa finem, præſertim quando Eccleſia eſſet jam conſtructa, dotata & conſecrata tempore conceſſionis. Movetur duabus rationibus. Prima eſt, quia non poteſt renunciare juri quod eſt introductum in honorem & favorem iſtius Epiſcopalis authoritatis, ut ſunt collationes Beneficiorum, ut dicit textus in Can. Ecce.* 95. *diſt. Notat Gloſſa in dicto Cap. Cùm olim. De Majorit. & Obedien. Argumento, Capite, Si diligenti, de foro compet. Secunda, quia non poteſt Epiſcopus rei ſacræ legitimam ſervitutem imponere, Gloſſa eſt in Can. Piæ mentis* 16. *q.* 7. *ſimilis eſt Gloſſa in C. Nobis. in verb. de ſua Juriſdictione. Inſi. de Jure Patronatûs. Unde opus eſt ut habeat expreſſum Privilegium Sedis Apoſtolicæ, ut ſuprà diximus.* Quintò, Cauſæ Majores ex jure communi, & ex Concordatis inter Sanctam Sedem & Reges Chriſtianiſſimos Sanctæ Sedis cognitioni reſervatæ ſunt, ut abſque illius Judicio conſummari nequeant. Cauſam autem Regaliæ de Majoribus eſſe, nemo inficiabitur, cùm in ea de Canonica libertate quàm plurimarum Eccleſiarum agatur, ac de Concilii Generalis Decreto, circa graviſſimum diſciplinæ Caput, remque majori ex parte ſpiritualem. Sextò, cùm cauſa per appellationes ad Sanctam Sedem fuiſſet perlata, non potuit abſque ipſius injuria à Judicibus inferioribus definiri: multò minùs debuit Summi Pontificis autoritati illudi per

Xxxx con-

Art. 8. conceſſionem Regaliæ, à quâ ipſe liberas ſervare nitebatur Ec-
§. 17. cleſias, ut omnibus notum erat ex Epiſtolis à ſua Sanctitate ad Regem Chriſtianiſſimum ſcriptis, nec non ex negotii examine & ex aliis quæ Romæ geſta erant poſt appellationes delatas. Quamobrem ſua Sanctitas Epiſcoporum Pariſiis mandato Regio congregatorum conſenſum jure merito caſſum & irritum ſuo Reſcripto declaravit.

§. DECIMUS SEPTIMUS.

An cauſa Regaliæ ſit ſpiritualis.

I. DISSERT. „ Inclamat nuperus Regii Juris Impugnator, Tractatus de Regalia lib. 3. cap. 11. „ Regaliam rem ſpiritualem eſſe, adeòque Judicium de controverſiis circa Jus Regaliæ emergentibus, ad Regem, aut Parlamentum non pertinere: Regem „ quippe ac laïcos Judices præeſſe duntaxat in cauſis ſeculi; „ Pontifices in cauſis Dei: & quemadmodum iſti à negotiis „ ſecularibus judicandis abſtinent, ſic illos à cauſis Eccleſiaſticis abſtinere debere. Addet aliquis, Bullam in Cœna Domini „ Romæ promulgari ſolitam, Anathemati addicere omnes & „ ſingulos, qui rerum Eccleſiaſticarum juriſdictionem ad „ ſe trahunt, etiam prætextu gratiarum illis conceſſarum.

„ Reſpondent Juriſconſulti noſtrates, immo & Theologi „ graviſſimi, poſt Joannem de Pariſiis, Jus Regaliæ merè ſpirituale non eſſe: quid temporale potiùs redolere, cùm in „ jure feudorum fundetur. At cauſarum omnium feudalium „ cognitio ac judicium ad Dominum feudi pertinet, ut confirmat vetus Tranſactio inita inter Alphonſum Comitem Tolo-

„ Toloſanum & Abbatem Moyſiacenſem, cujus hæc ſunt ver- *Art.* 8.
„ ba : *Item fuit actum quod Feodatarii noſtri & Monaſterii no-* §. 17.
„ *ſtri, ſi Quæſtio ſit feudalis propriè ſumpto vocabulo*, CUM AD
„ DOMINUM FEODI QUÆSTIO PERTINEAT, *non compel-*
„ *lantur coram alio Judice litigare: ſi autem ſit de rebus emphi-*
„ *teuticis ſeu cenſualibus, quæ ab aliquibus abuſivè feoda dicun-*
„ *tur, ſervetur conſuetudo loci.* Refert M. Antonius Dominici, lib. *De Prærogativa Allodiorum*, cap. 16. num. 9.
„ pag. 159.

2. RESP. Adeò prævalet in Regaliâ ſpirituale temporali, ut erubeſcat Diſſertator illam quid temporale abſolutè vocare, dicatque ſolùm, *Jus Regaliæ merè ſpirituale non eſſe: ſed quid temporale potiùs redolere.* At cùm collatio Beneficiorum *pleno jure*, quæ præcipua pars eſt Regaliæ, non ſolùm redoleat quid ſpirituale, ſed reverâ quid ſpirituale ſit, ut multoties oſtendimus, cur controverſiæ, in quibus agitur de porrigendo illo Jure ad plurimas Eccleſias, non pertinebunt ad Judicium Poteſtatis ſpiritualis ? Num ſpirituale temporalis acceſſorium cenſeri debet ? Num res ex eo quod redolet, potiùs quàm ex eo quod eſt, penſari debet ? An quoties aliquid temporale cum ſpirituali conjunctum erit, totum reputandum erit temporale ? Nonne omnia ferè quæ ad Religionem pertinent ipſaque Sacramenta, cùm hominibus animâ & corpore conſtantibus tradantur, ſpiritualia ſimul & corporalia ſunt ? *Si enim incorporeus eſſes*, inquit S. Joannes, Chryſoſtomus, homil. 60. ad populum Antiochen, *nuda & incorporea tibi dediſſet ipſe* (Deus) *dona, ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet.* Si ergo quæcunque redolent quid temporale ad juriſdictionem Regiam ſpectant, quæ cauſæ Principum Judicio non ſubmittentur ?

Art. 8. §. 17. 3. Quo ſæpius inculcat Diſſertator, Regaliam eſſe fundatam in feudis, eo videtur apertiùs Lectoribus fallaciâ toties repetitâ illudere. Num enim quia exigua redituum Epiſcopalium portio ex bonis feudalibus provenit, licitum erit Officialibus Regiis; quidquid illis libitum fuerit, non ſolùm circa illa bona, ſed circa alia omnia Eccleſiarum bona, & collationem Beneficiorum ſtatuere, dummodò ſe id jure feudi facere declarent? Num poſſet Dominus feudi univerſas facultates & jura vaſalli proprio ac ſupremo judicio ſibi vendicare; quia hic exiguum aliquod feudum ab eo ſe tenere recognoſcit?

4. Fruſtrà ergo probat Diſſertationis Autor, ad Dominum feudi ſpectare judicium de quæſtionibus feudalibus. Fruſtrà profert Tranſactionem Comitis Toloſani cum Abbate Moyſiacenſi. Quæſtio enim *de extenſione Regaliæ*, non eſt *quæſtio feudalis propriè ſumpto vocabulo*. Niſi fortè quæſtionis feudalis nuncupatio quibuslibet injuriis vaſallo à Domino factis accommodari debeat.

5. DISSERT. „ Reſpondent ſecundò, conſuetudinis antiquiſſimæ uſum vim Privilegii ſortiri : porrò antiquiſſimâ „ conſuetudine jus cognoſcendi & judicandi de cauſis Jus Regaliæ, ejuſque extenſionem & annexa ſpectantibus, Regibus Chriſtianiſſimis & iis qui vice ſacrâ judicant, quæſitum eſſe, non ſolùm ratione poſſeſſorii, ſed etiam petitorii : ſicut cauſarum quarumcumque Beneficialium cognitio ratione poſſeſſorii ad Regem & Conſcriptos Parlamentorum Patres pertinet ex antiqua Regni conſuetudine, Martini V. Pontificis Maximi Diplomate confirmatâ, quod incipit his verbis : *Romani Pontificis providentia*, dato XII. Kal. Septembris, anno 1413. & altero quod incipit : *Apoſtolicæ Sedis*, dato Kal. Maii 1428. item Eugenii IV. quod incipit : *Dudum fe-*

„ *felicis*, ſecundo Kal. Aprilis, anno 1432. nec-non Literis Leo- *Art.* 8.
„ nis X. die 4. Februarii in formâ Brevis ſub annulo Piſcatoris §. 17.
„ ad Toloſani Senatûs Judices datis, quibus teſtatur contro-
„ verſiam ſuper poſſeſſorio Monaſterii S. Petri de Salino, &
„ Prioratu S. Saturnini de Portu in Ponte Sancti Spiritûs, Or-
„ dinis Cluniacenſis, coram ipſis Judicibus legitimè pendere,
„ ipſoſque hortatur ut pro Sedis Apoſtolicæ ac ſui reverentiâ,
„ cuidam Joanni mediante juſtitiâ aſſiſtant ac faveant. Hæc
„ Diplomata, Literaſque legere eſt inter Probationes libertatum
„ Eccleſiæ Gallicanæ, cap. 26.

6. Resp. Extra ſtadium diſcurritur. Non quæritur an Rex Chriſtianiſſimus vel ejus Officiales quoad Eccleſias Regaliæ obnoxias de petitorio & poſſeſſorio Beneficiorum quæ in Regaliâ vacaſſe dicuntur, cognoſcant ac judicent, multò minùs utrùm de poſſeſſorio aliorum Beneficiorum: ſed utrùm Rex ſupremo Judicio poſſit majorem Eccleſiarum Regni ſui partem, quæ Canonicâ ſua libertate hactenus gaudebant, Regaliæ jugo ſubjicere.

7. Uſum judicandi de poſſeſſorio Beneficiorum non approbavit Martinus V. nec eum ſecutus Eugenius IV. niſi eâ conditione, ſi reverâ jam antiquitùs invaluerat; eaque approbatio à Rege Chriſtianiſſimo poſtulata eſt, metuente, ne talis uſus aliis Conſtitutionibus ad conſervandam juriſdictionem Eccleſiaſticam editis damnatus fuiſſet. Qua in re obſervandum eſt, Reges Chriſtianiſſimos, etſi conſuetudinem hominum memoriam excedentem pro ſe habere dicerent, veritos tamen fuiſſe, ne illi conſuetudini derogatum fuiſſet à Pontificibus, licèt nullam ejus feciſſent, ſaltem expreſſam, mentionem; ideòque illam iteratis Sanctæ Sedis Declarationibus muniendam curaſſe.

*Art.*8. §. 17. 8. At quia fortè non ita conſtans erat conſuetudo, quam afferebant Reges Chriſtianiſſimi, Martinus eam non niſi adjectâ conditione confirmavit. *Per hoc autem*, inquit, *nullum jus ſeu juriſdictionem in præmiſſis cognoſcendis eidem Regi de novo acquiri volumus; ſed antiquum, ſi quod habet, conſervari.* Eugenius autem Martini Conſtitutioni aliud temperamentum adjecit his verbis: *Declarationem, Conſtitutionem, & Literas prædictas, donec aliud autoritate præfatâ deſuper ordinatum fuerit, in ſuo robore permanere volentes.*

9. Sed his dimiſſis, quoniam Autor Diſſertationis ſupponit, conſuetudinem judicandi de poſſeſſorio Beneficiorum in Tribunalibus ſæcularibus, eſſe antiquam, & à Sancta Sede approbatam; peto ut oſtendat, eam fuiſſe antiquam conſuetudinem Regni Franciæ, ut Reges Chriſtianiſſimi Regalia in quibuslibet Eccleſiis ſibi vendicarent, (is enim eſt hujus quæſtionis ſtatus, ut ſæpè monuimus) eamque conſuetudinem fuiſſe à Summis Pontificibus confirmatam?

10. DISSERT. „ Certè principium eſt apud Juriſconſultos receptiſſimum, quòd conſuetudo juriſdictionem tribuit vel tribuere poteſt. Ita docet Gloſſa in L. 1. & fin. Cod. „ *De Emancipatione liberorum*, per textum, & ibi Doctores, „ nec non in Cap. *Cùm contingat. De foro competenti.* Et „ Gloſſa in Cap. *Conqueſtus.* 9. quæſt. 3. & in Cap. fin. 18. „ quæſt. 2. in Cap. *Dilecti. De Arbitris.* Cap. *Novit. De Judiciis*: & in Cap. *Cùm Dilectus. De Fide Inſtrumentorum.* „ Cùm aliunde conſuetudo antiquiſſima vim Privilegii ſortiatur ut conſtat ex Cap. *Super quibuſdam. De verborum ſignificatione L. Hoc jure. §. Ductus aquæ. De aqua quotid. & æſt.* „ ſequitur cognitionem ac judicium cauſarum Jus Regaliæ, „ ejuſque extenſionem, & annexa ſpectantium, ad Regem Chri-

„ Chriſtianiſſimum, & ad Judices quibus id ipſius Majeſtas tri- *Art.* 8.
„ buerit, maximè verò ad Principem Galliarum Senatum per- §. 17.
„ tinere.

11. Resp. Cautè agit Diſſertationis Autor, dum Leges & Canones citat, non relatis eorum verbis. Jam enim ſatis Lectorum patientiâ congerendis pluribus teſtimoniis propoſito ſuo minimè conducentibus, aliquando etiam repugnantibus, abuſus eſt. Textus Legis primæ Cod. De Emancipat. liber. nihil habet de vi conſuetudinis ad tribuendam juriſdictionem. Lex ultima ejuſdem tituli jubet emancipare volentem, *eos adire Magiſtratus, quibus hoc facere vel legibus vel ex longa conſuetudine permiſſum eſt.* Indene concludendum eſt, Poteſtati ſæculari licere propriâ autoritate ac judicio Eccleſias nativâ ſua liberate gaudentes, vel etiam eas quæ jam olim à Regalia liberatæ ac velut emancipatæ fuerant, in ſervitutem redigere? An quia L. Hoc jure. §. Ductus aquæ. De aqua quotid. & æſt. declaratur, quòd *Ductus aquæ, cujus origo memoriam exceſſit, jure conſtituti loco habetur*, Regis Chriſtianiſſimi Regaliam ad omnes ſuæ Ditionis Eccleſias recentèr porrigentis Declaratio, conſtituti loco habenda erit: Decreti autem Concilii Generalis Lugdunenſis II. ante quadringentos annos editi & hactenus obſervati, nec non Summi Pontificis, quo minùs ea executio impediatur, ſatagentis, autoritas, pro nihilo habenda?

12. At ex illis Legibus (dixerit Pater Alexander) & ex Canonibus citatis, colligitur, *principium apud Juriſconſultos receptiſſimum, quòd conſuetudo juriſdictionem tribuit, vel tribuere poteſt.* Benè quidem, ſi verus & legitimus accipiatur ejus principii ſenſus. Intelligitur enim ſecundùm judicum & cauſarum conditionem, ut ſcilicet Judex Eccleſiaſticus adverſùs alium Judicem Eccleſiaſticum certi cauſarum ſpiritualium & Eccleſiaſticarum

*Art.*8. ſticarum generis cognitionem præſcribere valeat, & ſimiliter §. 17. Judex laïcus adverſus Laïcum, judicium de rebus civilibus & temporalibus. At neque à Legibus illis, neque à Canonibus, neque à Gloſſis ea vis conſuetudini tribuitur, ut cauſarum ſpiritualium & Eccleſiaſticarum judicium Magiſtratibus ſæcularibus acquirat.

13. Quin etiam & Canonibus & Legibus irritæ declarantur conſuetudines juriſdictioni ac libertati Eccleſiæ contrariæ. Pauca hîc teſtimonia exſcribimus; qui plura deſiderabit, inveniet citata in Gloſſis ſuper ea quæ referimus. L. *Caſſa* Authen. Cod. de Sacroſanc. Eccleſ. CASSA, inquit Imperaror Fridericus, *& irrita eſſe denunciari per totam Italiam præcipimus*, OMNIA STATUTA ET CONSUETUDINES CONTRA LIBERTATEM ECCLESIÆ, *ejuſque perſonas inductas adversùs Canonicas & Imperiales Sanctiones, & ea de Capitularibus penitùs aboleri mandat nova Conſtitutio : & de cætero ſimilia attentata in ipſo jure decernit* &c. Addit Gloſſ. verb. *Per totam Italiam. Ubi maximè fiebant. Si tamen & alibi in Romano Imperio hæc fiant, eadem eſt æquitas : ergo idem Jus* &c.

14. Capite *Clerici de Judiciis*, circa conſuetudinem judicandi cauſas criminales Clericorum in alio Foro quàm Eccleſiaſtico, ſic ſtatuitur; *Cùm Imperator dicat, quòd Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, ut de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico Judice conveniri :* NON DEBET IN HAC PARTE CANONIBUS EX ALIQUA CONSUETUDINE PRÆJUDICIUM GENERARI. Gloſſ. verb. *Conſuetudine. In caſu iſto non poteſt habere locum conſuetudo, quantumcumque tempore obtenta eſſet, quia eſſet contra Eccleſiaſticam libertatem, & Statutum Eccleſiæ. Sic S. de conſuetudine. Ad Audientiam. Et C. Cùm inter. Et S. de electione C. Cùm cauſam. Et meliùs C. Cùm terra.*

15. Ca-

15. Capite, *Cùm terra* de elect. abrogatur conſuetudo, quâ Principi vindicabatur autoritas in electionibus: *Sicut ex quarumdam literarum tenore accepimus, quidam in electionibus pravæ conſuetudinis morbus irrepſit: ut cùm alicujus Prælati electio debet celebrari, conventus ad quem pertinere dignoſcitur, duas perſonas nominet latenter auribus Patriarchæ vel Principis exprimendas, ut ſic alterius eligendæ, vel totius electionis penitùs irritandæ, idem Patriarcha vel Princeps plenariam habeat facultatem. Quia igitur hoc redundat in gravamen & perniciem Eccleſiaſticæ libertatis,* PRÆSCRIPTAM CONSUETUDINIS PRAVITATEM SANCIMUS PENITUS ABOLENDAM. *Art.* 8. §. 17.

16. DISSERT. „ Addit Archipræſul doctiſſimus D. de „ Marca lib. 3. *De Corcordia Sacerdotii & Imperii*, cap. 10. Ju- „ riſconſultorum neminem dubitare, quin Privilegia, quæ „ propter merita conceduntur, in contractûs naturam trans- „ eant, ideòque revocari nullo modo poſſint. Tot autem tan- „ taque eſſe in Romanam Sedem Regum noſtrorum merita, „ ut Privilegia conſuetudine firmata per Bullam in Cœna Do- „ mini (cui & hæc exceptio apud nos objici ſolet, quòd in „ Galliis recepta & promulgata non fuerit) Regibus noſtris non „ adimi profiteantur, Bellarminus, cap. 35. contra Barclaium, „ Suares, lib. 4. Defenſ. cap. 34. num. 29. Navarrus, cap. 27. „ Enchiridii, num. 70.

17. RESP. Abſit ut Privilegia Regibus Chriſtianiſſimis à ſancta Sede conceſſa imminuere velimus: ſed meminerit Diſſertator horum Renati Chopini verborum, quæ Articulo ſuperiori, §. 20. retulit: *Atque ego quidem enixè optaſſem, Regalia hæc Sacerdotalia attribui ſanctæ Sedis Privilegio poſſe, ſi quod fide dignâ chartulâ proderetur*, quæ ſignificant hujuſmodi Privilegium nequaquam extare. Neque etiam Reges Chriſtianiſſi-

*Art.*8. mi Privilegium unquam habuerunt, ut ſuis Judiciis aut Edictis
§. 17. Eccleſias antiquæ libertatis jure ac poſſeſſione ſpoliarent.

18. Neſcio autem quâ prudentiâ citentur hîc Bellarminus, Suares & Navarrus. Si enim Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus non aliter exiſtimavit, uſum Judicum ſæcularium, de certis Clericorum criminibus judicantium, excuſari poſſe, quàm ſupponendo, eum Privilegio Apoſtolico eſſe munitum (quod tamen nuſquam reperitur) quî poterit Pater Alexander doctiſſimi illius Purpurati autoritate probare, licere Regi Chriſtianiſſimo, non ſolùm ſine Privilegio, ſed etiam contra prohibitionem Eccleſiæ in Concilio Generali Lugdunenſi ſecundo congregatæ, Regaliam in Eccleſiis ſui Regni ab illo onere liberis ſuâ ſibi Declaratione vendicare? En verba Bellarmini in Tractatu de Poteſtate Summi Pontificis in rebus temporalibus contra Gulielmum Barclaium, cap. 35. *Addebat Barclaius eſſe quædam delicta gravia, quæ privilegiata dicuntur in Gallia, ſummis Principibus reſervata. Sed hoc argumentum in ipſum Autorem retorqueri poteſt: illa enim non dicuntur privilegiata, quia Princeps ipſe ſibi reſervaverit, quando Privilegium exemptionis Clericis conceſſit, ut Barclaius exiſtimat: ſed dicuntur privilegiata, quia Privilegio Sedis Apoſtolicæ indultum eſt Regibus Francorum, ut ea delicta cognoſcere poſſint: id quod explicat Clarus Q. 36. §. ſin. verſic. Ulterius quæro. Et Aufrerius in Clementina, Ut Clericorum, de Offic. Judic. Ordin. Limit.* 13.

19. Minùs favet Patri Alexandro Suares in defenſione fidei Catholicæ adverſùs Anglos, lib. 4. cap. 34. Hæc ſunt illius verba eo loco num. 29. *Non audeo damnare uſum talium Privilegiorum, ſed hoc Apoſtolicæ Sedi remitto. Nam etiam Cardinalis Bellarminus, cap. 35. contra Barclaium, cùm ille diceret, eſſe in Gallia quædam delicta gravia; quæ privilegiata dicuntur, ipſe reſpondet,*

ſpondet, ideò dici privilegiata, quia Privilegio Sedis Apoſtolicæ *Art.*8.
indultum eſt Regibus Francorum, ut ea delicta cognoſcere poſſint. §. 17.
Quibus verbis videtur illam excuſationem non improbare, ſicut illam non improbant Julius Clarus, & Aufrerius, quos allegat, num. 27. Quinta excuſatio erat Privilegium de quo in jure, ut ſic dicam, nulla eſt difficultas, in facto autem eſt maxima: duo enim quæ ad jus pertinent, certa ſunt, unum eſt, poſſe hoc Privilegium concedi ſaltem à Summo Pontifice, quod ſuprà probatum eſt, & ex uſu ſatis conſtat. Alterum eſt, hoc Privilegium poſſe à Pontifice revocari, ac proinde ut ad legitimam excuſationem proſit, non ſatis eſſe quòd ſemel conceſſum ſeu obtentum ſit, ſed oportere ut perſeveret non revocatum.

20. Audi jam Navarri ſententiam in Enchiridio, cap. 27. num. 70. aut potiùs 71. *Video pro re indubitatâ haberi in Hiſpaniis & Galliis, poſſe regulariter Reges defendere poſſidentes colorato titulo Beneficia Eccleſiaſtica, ne abſque juſtâ cauſæ cognitione deturbentur, vel ſpolientur, virtute illarum Literarum, etiam Apoſtolicarum. Quod ut ubique ferè in illis Regnis ſervatur, ita multi jure munire conantur: an verò ſatis muniant necne S. D. N. definitioni remitto.*

21. DISSERT. „ *Sanè dubitandum non eſt,* (inquit Ar-„ chipræſul eruditus) *quin eximia quædam jura in rebus Eccle-„ ſiaſticis noſtri Reges obtineant, quæ cæteris Principibus hodie „ non competunt. Quòd nulli mirum videri debet, qui Privilegiorum „ multitudinem ex officiorum magnitudine metietur. Conturbaret „ profectò Eccleſia Romana, nec ſuppeterent illi facultates qui-„ bus cum Gallorum Regibus decideret, niſi liberalitatis & per-„ fectæ donationis titulo immenſam Beneficiorum ſuorum molem in „ eam contuliſſent. Si ergo liberalitate Summi Pontifices rependere-„ re volunt; quod ex merâ donantium liberalitate conſecuti ſunt,*

 non

Art.8. „ *non eſt cur cæteri Principes nobis invideant benigniorem erga*
§. 17. „ *Reges noſtros Romanæ Sedis remiſſionem. Certent nobiſcum li-*
„ *beralitate ; tunc integrum illis erit de Privilegiis quoque nobiſ-*
„ *cum certare.* Tum Regum noſtrorum in Romanam Sedem
„ Beneficia cum Beneficiis à Conſtantino Eccleſiæ collatis me-
„ ritò confert. *Conſtantinus enim ab infidelium tyrannide Eccle-*
„ *ſiam Chriſtianam liberavit : Reges Francorum ab Eccleſia Roma-*
„ *na ſervitutem, quâ ab Imperatoribus premebatur, armis ſuis*
„ *depulerunt. Conſtantinus Chriſtianos libertati reſtituit : Reges*
„ *Francorum durum Græcorum & Longobardorum jugum perfre-*
„ *gerunt, quo cervices Summorum Pontificum deprimebantur.*
„ *Conſtantinus infamiâ damnatum quondam Chriſtianum nomen*
„ *ſplendore adjecto commendatum reddidit, Romanamque Eccle-*
„ *ſiam aliquot latifundiis & reditibus auxit : Reges Francorum*
„ *primi ſolique, merum mixtumque, imò & Summum Imperium*
„ *in aliquot Provincias eidem contulerunt, eique tranquillitatem*
„ *procurarunt contra infeſtas Græcorum hæreſi infectorum quoti-*
„ *dianas minas, & adverſùs impetus Longobardorum.* Quidni
„ ergo cum Stephano Tornacenſi, ſeu potiùs cum Philippo Au-
„ guſto in Epiſtola ad Lucium Romanum Pontificem, inter
„ Stephani Tornacenſis Epiſtolas 107. dixerimus ? *Si oblivisci*
„ *potuerit mater filiorum uteri ſui, & Eccleſia Romana Regni*
„ *Francorum oblivionem aſſumet, cùm utrumque de jure ſit impoſ-*
„ *ſibile, de natura difficile, de facto enorme.* In tot remuneratio-
„ nem beneficiorum, Eccleſiæ Gallicanæ Jura, Libertates, Pri-
„ vilegia, Mores, Uſuſque Sedes Apoſtolica conſervabit, ut
„ Sanctiſſimi quique Pontifices fecêre: quibus pietate, magna-
„ nimitate, prudentiâ, priſcæ diſciplinæ æmulatione, ſtudio
„ & curâ pacis Chriſtianos Principes inter conciliandæ, opum
„ Eccleſiaſticarum in Eccleſiæ tantùm commoda, & ad Chri-
ſtiani

„ ſtiani nominis hoſtes ab Imperii finibus arcendos, ac propul- *Art.8.*
„ ſandos profuſione laudatiſſimâ, cùm impar non ſit Sanctiſſi- §. 17.
„ mus Pontifex Innocentius Undecimus : ita cum illis deamo-
„ re ac beneficentia in Regnum & Eccleſiam Gallicanam, & in
„ Regem Maximum, Invictiſſimum, Religioſiſſimum, Hære-
„ ſeos Debellatorem, Fidei Defenſorem, Sedi Apoſtolicæ de-
„ votiſſimum, ſuæ Sanctitatis obſervantiſſimum, piâ ſemper &
„ generoſâ æmulatione certabit. Id cùm ſentiam, ac incredibi-
„ li cum lætitia ſemper futurum augurer, nemo mihi, ut exiſti-
„ mo, ſuccenſebit, quòd in hac de Regaliæ Jure Diſſertatio-
„ ne ea non commemoraverim, quæ tribus ab hinc annis in
„ Regaliæ negotio geſta ſunt, ne vel levem diſſidii umbram
„ inter Maximum Sanctiſſimumque Pontificem & Magnum
„ Regem; quorum nihilominus conjunctiſſimi fuerunt, ſunt,
„ & erunt in perpetuum animi ad Eccleſiæ commoda procu-
„ randa, repræſentem. Faxit Deus Optimus, ut *Quatenus ab*
„ *uno Mediatore Dei & hominum hæc duo, Regnum ſcilicet &*
„ *Sacerdotium Divino ſunt conflata myſterio, ita ſublimes iſtæ duæ*
„ *Perſonæ tantâ ſibimet unanimitate jungantur, ut Rex in Roma-*
„ *no Pontifice, & Romanus Pontifex inveniatur in Rege.*

22. Resp. Reges Franciæ de Eccleſia Romana optimè meritos eſſe, nemo ignorat. Verùm ſi, ut ait D. de Marca, *liberalitatis & perfectæ donationis titulo immenſam Beneficiorum ſuorum molem in eam contulerunt*; Regiâne magnificentiâ dignum eſſet, ut hodie Rex Chriſtianiſſimus pro Majorum ſuorum liberalitate mercedem quodammodo ab ea repeteret; vel potiùs propriâ autoritate ac judicio majori parti Eccleſiarum Regni ſui duram ſervitutem imponeret, eo nomine, quòd deceſſores ſui munifici erga Eccleſiam Romanam extiterunt? Si, ut inquit idem Archipræſul, *eximia quædam jura in rebus Ec-*

Art. 8. *cleſiaſticis Franciæ Reges obtinent, quæ cæteris Principibus hodie*
§. 17. *non competunt*; his quæ ab Eccleſia receperunt, contenti, alia ſine ipſius conſenſu, vel etiam contra ejus prohibitionem propriâ autoritate non uſurpent. De Rege Chriſtianiſſimo meritò dicendum exiſtimamus, quod de Philippo VI. ad ſuos in Galliam Legatos anno 1337. ſcripſit Benedictus XII. Pontifex Maximus Epiſtolâ ſuprà laudatâ: *Quanto inclytum genus ſuum ab olim pleniùs fovit & exaltavit Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, manutenere ac illibatam ſervare ſtuduit Eccleſiaſticam libertatem; tanto ſingularius in ipſo ampliuſque notatur, ſi Eccleſias vel Eccleſiaſticas perſonas opprimi ac libertatem Eccleſiaſticam diminui ac conculcari permittit.*

23. Totis viſceribus exoptamus, ut abſolutiſſima & perpetua concordia inter Sanctam Sedem & Regnum Franciæ cuſtodiatur. Sed tantumdem dolemus non ſolùm à Magiſtratibus ſæcularibus, verùmetiam à Theologis adulatoribus pacem illam turbari, gliſcentique inter Regnum & Sacerdotium diſſidio materiam ac vires ſubminiſtrari.

24. Qua in re mirari libet Diſſertatoris ingenium, dum ait: *Nemo mihi, ut exiſtimo, ſuccenſebit, quòd in hac de Regaliæ Jure Diſſertatione ea non commemoraverim, quæ tribus abhinc annis in Regaliæ negotio geſta ſunt, ne vel levem diſſidii umbram inter Maximum Sanctiſſimumque Pontificem & Magnum Regem repræſentem.* Certè ſi adulatoris Aulici perſonam poſuiſſet, & Religioſi Theologi induiſſet, nunquam Regaliæ cauſam, eâ ratione, quam in tota hac Diſſertatione obſervavimus, tractaſſet. Saltem meminiſſet profeſſum ſe jam ab initio, Eccleſiæ ac Regia jura æquâ lance ponderaturum, neque *velle pro Principum potentia Eccleſiaſticam minui dignitatem*; & qui *hiſtoricè*, ut ipſe ait, *Gallorum Juriſconſultorum ſententiam, pronuntiata, rationes praxim-*

praximque, imò & recentia Parlamenti Pariſienſis Senatuscon- *Art.* 8.
ſulta ipſamque Regis Chriſtianiſſimi Declarationem tanto §. 17.
cum ſtudio retulit, ea quæ cauſam Eccleſiæ maximè commendant atque illuſtrant, duorum videlicet Antiſtitum pietate ac zelo præſtantiſſimorum Edicta ſeu Ordinationes, Epiſtolas aliaque Acta, præſertimque Maximi & Sanctiſſimi Pontificis non minùs Apoſtolico vigore quam flagrantiſſimâ charitate refertas ad ſuam Majeſtatem Literas, nequaquam ſilentio advolviſſet. Verùm is eſt Aulicorum mos, ut quæ Regiis utilitatibus ſuffragantur, maximo ſtudio oſtentent, nihilque ſibi magis cordi eſſe, quàm Eccleſiæ pacem, prædicent, eâ nimirùm conditione, ut Pontifices jura Eccleſiarum à Poteſtatibus temporalibus uſurpari & conculcari patientèr ſinant.

25. Cæterùm explicatâ jam totâ hâc Regaliæ cauſâ, ubi omnes veri æquique amantes animadverterint, ea quæ à Regiis Miniſtris, Majeſtatis ſuæ nomine, acta ſunt, nullâ omninò ratione defendi poſſe; ſperandum eſt non defuturos, qui Eccleſiaſticæ pacis retinendæ, fovendæque inter Sacerdotium & Imperium concordiæ cupidi, Auguſtiſſimo Principi ſuggerant, ut ab opere malè incœpto deſiſtat, & Sapientiſſimo ac publicæ tranquillitatis amantiſſimo Pontifici Innocentio XI. auſcultet, qui ſuæ Majeſtati ea meritò dicere poſſet, quæ olim Paſcalis II. Henrico I. Anglorum Regi in cauſâ non abſimili ſcripſit his verbis: *Si ab hoc propter Deum deſiſtas, quod contra Deum eſſe manifeſtum eſt, quod cum Deo nec tu exercere nec nos concedere, aut cum noſtra, aut cum tua ſalute poſſumus: quidquid deinceps poſtulaveris, quod cum Deo poſſumus, libentiùs indulgebimus, & honori tuo & ſublimationi propenſiùs inſiſtemus. Nec exiſtimes quòd Poteſtatis tuæ culmen infirmetur, ſi ab hac profana uſurpatione deſiſtas. Immo tunc validiùs, tunc robuſtiùs,*

Art. 8. *buſtiùs, tunc honorabiliùs regnabis, cùm in regno tuo Divina*
§. 17. *regnabit authoritas. Tunc amicitiam & familiaritatem noſtram firmiùs obtinebis, & Regni tutores Beatos Apoſtolos habere gaudebis. Nec tibi tunc in petitionibus tuis abeſſe poterimus, cui petitionum noſtrarum fautorem Dominum adeſſe ſenſerimus. Ipſe Omnipotens Deus, in cujus manu corda ſunt Regum, adſit hortatui noſtro, adſit auditui tuo, ut dum juxta præcepta ejus tuas diſpoſueris actiones, ipſe Regnum tuum pacis & honoris ſui ſtabilitate & ſublimatione diſponat. Amen. Epiſt. 96. Tom. 10. Concil. Editionis Labbeanæ.*

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A.

ACtardus, judicio Hincmari, Turonenſis Eccleſiæ Epiſcopus intruſus & bona indebitè occupans, *art.* 2. §. 15. *n.* 44. *&* 45. *pag.* 181.

Advocatis ac Defenſoribus Eccleſiarum conſtituta tantùm merces competit, *art.* 6. §. 3. *per totum. pag.* 584. *Vide verbum,* Cuſtodiæ merces.

Æduenſis Eccleſia Regaliæ non ſubjacet, *art.* 4. §. 19. *per totum. pag.* 382.

Ægidius le Maiſtre. *Vide verb.* Magiſter.

Albienſis Eccleſiæ libertas, *art.* 4. §. 41. *n.* 2. *pag.* 460.

Alexander III. utrùm probaverit Regaliam, *art.* 4. §. 16. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 367.

P. Alexander hiſtoricè tantùm acturum ſe promittit, *Præfat. ſuâ, n.* 1. *pag.* 1. *art.* 4. §. 40. *n.* 10. *pag.* 431. Sed non ſtat promiſſo, *reſp. ad præf. ejus, n.* 3. *pag.* 2. *art.* 4. §. 40. *n.* 11. *pag.* 431. *& art.* 5. §. 2. *n.* 3. *pag.* 470.

P. Alexander Regi Chriſtianiſſimo magis quàm Eccleſiæ favet, *art.* 1. §. 4. *n.* 25. *pag.* 74.

Amortizata ſunt bona Eccleſiarum, *art.* 1. §. 4. *n.* 19. *pag.* 70. *art.* 3. §. 1. *n.* 12. *pag.* 217. *&* §. 5. *n.* 8. *pag.* 253.

Amortizationis effectus, *art.* 1. §. 4. *n.* 19. *pag.* 70. *& art.* 6. §. 4. *n.* 7. *&* 8. *pag.* 590.

Andegavenſis Eccleſiæ Regalia, *art.* 4. §. 33. *per totum. pag.* 416. *&* §. 34. *per tot. pag.* 419.

In *Angliæ* Regno quod fuerit principium, & quis progreſſus Regaliæ, *art.* 4. §. 16. *& ſeqq. per tot. pag.* 367.

Anicienſis Eccleſia à Regalia libera, *art.* 4. §. 31. *per totum, pag.* 406.

Antiſiodorenſis Eccleſia à Regaliâ exempta, *art.* 4. §. 22. *per totum, pag.* 387.

Antiſiodorenſis & Aurelianenſis Epiſcoporum Regalia ſub Philippi Auguſti manu poſita, *art.* 4. §. 25. *per totum. pag.* 394.

S. Antonini urbs à P. Alexandro pro Eccleſiâ Appamienſi perperàm accepta, *art.* 4. §. 40. *n.* 55. *& ſeqq. pag.* 454.

Appamienſes Canonici malè habiti propter Regaliam, *art.* 4. §. 1. *n.* 4. *pag.* 289.

Appamienſis Eccleſiæ libertas atque immunitas, *art.* 3. §. 5. *n.* 6. *& ſeqq. pag.* 252. *& art.* 4. §. 40. *n.* 56. *& ſeqq. pag.* 455.

Appamienſis Epiſcopus Regaliam in ſuam Diœceſim admittere recuſavit, *art.* 8. §. 16. *n.* 7. *pag.* 712.

Appamienſis Epiſcopus Tractatum de Regalia typis mandari curavit, *art.* 1. §. 2. *n.* 48. *pag.* 34. atque ita ſuum fecit, *art.* 2. §. 4. *n.* 2. *pag.* 98.

Appamienſis Tractatus de Regalia perperam carpitur, *art.* 1. §. 2. *n.* 48. *pag.* 35. *art.* 2. §. 16. *n.* 2. *pag.* 189. *& art.* 5. §. 21. *n.* 2. *& ſeqq. pag.* 534.

Aquitania quandonam ad plenum dominium Regum Franciæ redierit, *art.* 5. §. 5. *n.* 6. *pag.* 486.

Aquitania Regaliæ non obnoxia, *art.* 4. §. 7. *&* 8. *per tot. pag.* 327. *& art.* 5. §. 5. *n.* 8. *pag.* 487. §. 22. *n.* 65. *pag.* 567.

Archidiaconus bonorum Eccleſiæ adminiſtrator, *art.* 2. §. 15. *n.* 10. *& ſeqq. pag.* 166.

Arreſta Eccleſias liberas declarantia utrùm revocari queant, *art.* 5. §. 22. *n.* 43. *& ſeqq. pag.* 555.

Arreſta in cauſis Regaliæ prolata, *art.* 8. §. 7. *& ſeqq. pag.* 692.

Arreſta Regaliam in omnibus Eccleſiis locum non habere probantia, *art.* 5. §. 22. *n.* 23. *&* 24. *pag.* 545. *& art.* 8. §. 7. *& ſeqq. pag.* 692. *Vide ſub nominibus propriis Eccleſiarum.*

Arreſti anni 1608. Regaliam ad omnes Eccleſias extendentis defectus, *art.* 5. §. 22. *n.* 26. *pag.* 547. *& art.* 8. §. 16. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 711.

Avenionenſia Concilia & alia prohibent Regaliam, *art.* 5. §. 17. *per totum. pag.* 509.

S. Auguſtini ſententia de poteſtate Principum in bona Eccleſiarum, *art.* 4. §. 2. *n.* 10. *pag.* 309. *& art.* 6. §. 4. *n.* 3. *pag.* 588.

S. Avitus quo ſenſu dixerit bona Eccleſiarum eſſe Principum, *art.* 3. §. 3. *n.* 26. *& ſeqq. pag.* 240. *& art.* 6. §. 4. *n.* 4. *pag.* 589.

B.

Bellicenſis EccleſiaRegaliæ à Senatu injuſtè ſuppoſita, *art.* 8. §. 16. *per totum, pag.* 710.

Benedictus XII. Philippum Valeſium placare conatur, *art.* 8. §. 13. *n.* 4. *pag.* 705.

Benedictus XII. reprehendit Philippum Valeſium ampliantem exercitium Regaliæ in Eccleſiis in quibus locum habebat, *art.* 8. §. 13. *per totum, pag.* 701.

S. Bernardi de Ludovico Juniore ſententia, *art.* 4. §. 14. *per tot. pag.* 350.

S. Bernardus utrùm probaverit Regaliam, *art.* 4. §. 13. *per totum, pag.* 349.

Beneficia curam animarum habentia Regaliæ nequaquam obnoxia, *art.* 1. §. 1. *n.* 25. *pag.* 22.

Beneficia curam animarum non habentia ſunt quid ſpirituale, *art.* 4. §. 1. *n.* 4. *& ſeqq. pag.* 289. *& art.* 6. §. 10. *n.* 16. *&* 17. *pag.* 631. *& n.* 19. *pag.* 632.

Beneficia Eccleſiarum Cathedralium ſola olim Regaliæ obnoxia, *art.* 5. §. 22. *n.* 6. *pag.* 539.

Beneficia ad Epiſcopi collationem non pertinentia Regaliæ non ſubjacent, *art.* 1. §. 1. *n.* 28. *& ſeqq. pag.* 23.

Beneficia juriſdictionem ſpiritualem habentia, vel miſſionem poſtulantia, Regaliæ non ſubjicienda, *art.* 1. §. 1. *n.* 26. *& ſeqq. pag.* 22. *& art.* 4. §. 1. *n.* 7. *&* 8. *pag.* 291. §. 6. *n.* 7. *pag.* 321.

Beneficia quando inſtituta, *art.* 2. §. 4. *n.* 13. *pag.* 104. *& art.* 3. §. 3. *n.* 13. *& ſeqq. pag.* 233. *n.* 18. *&* 19. *pag.* 236.

Beneficia quot modis vacent ut Regaliæ ſubjiciantur, *art.* 1. §. 1. *n.* 32. *& ſeqq. pag.* 25.

Beneficia à Regibus primæ Dynaſtiæ non collata, *art.* 2. §. 4. *n.* 13. *pag.* 104. §. 5. *n.* 2. *pag.* 118. *& art.* 3. §. 3. *n.* 13. *& ſeqq. pag.* 233.

Beneficia titulo Regaliæ obtinentes utrùm poteſtatem ſpiritualem ab Eccleſia recipiant, *art.* 6. §. 10. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 622.

In *Beneficiis* perperam diſtinguitur corporale à ſpirituali, *art.* 6. §. 10. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 623.

Beneficiorum collatio an ſit in fructu. *Vide verb.* Collatio.

Beneficiorum collatio utrùm RegiChriſtianiſſimo competat ex privilegio, *art.* 6. §. 8. *n.* 6. *&* 7. *pag.* 612.

Beneficiorum collationi, dum titulo Regaliæ fieri cœpit, cur Eccleſia ſe non oppoſuit, *art.* 6. §. 10. *n.* 13. *pag.* 629.

Bene-

Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatio eſt quid ſpirituale, ad Principes ſæculares non pertinens; *reſponſ. ad præfat. P. Alexan. n.* 12. *pag.* 7. *art.* 1. §. 1. *n.* 6. *pag.* 11. §. 3. *n.* 20. *pag.* 46. *art.* 4. §. 1. *n.* 4. & *ſeqq. pag.* 289. *art.* 6. §. 6. *n.* 5. & *ſeqq. pag.* 600. & §. 7. & *ſeqq. pag.* 605.

Bituricenſis Eccleſia utrùm Regaliæ ſubdita, *art.* 4. §. 11. *per totum*, *pag.* 343.

Blancha Regina Regaliam exercebat, *art.* 4. §. 28. & *ſeqq. pag.* 400.

Bona Eccleſiæ à Principibus dari non poſſunt, etiam Clericis, *art.* 3. §. 9. *n.* 3. *pag.* 267.

Bona Eccleſiæ à Principibus uſurpari vel dari non poſſunt, *art.* 2. §. 4. *n.* 17. & *ſeqq. pag.* 106. *art.* 3. §. 3. *n.* 24. & *ſeqq. pag.* 240. §. 4. *per tot. pag.* 245. §. 7. *per tot. pag.* 261. §. 9. *per tot. pag.* 265. §. 12. & 13. *per tot. pag.* 273. *art.* 6. §. 4. *per tot. pag.* 587.

Bona Eccleſiarum amortizata, *art.* 1. §. 4. *n.* 19. *pag.* 70.

Bona Eccleſiarum non omnia feudalia, *art.* 3. §. 2. *n.* 3. *pag.* 220.

Bona Eccleſiarum uſurpantes damnantur, *art.* 2. §. 4. *n.* 3. *pag.* 99. *n.* 9. *pag.* 102. *n.* 17. *pag.* 106. *art.* 5. §. 7. & *ſeqq. pag.* 492.

Bona Eccleſiaſtica quibus conditionibus à Pipino & aliis conceſſa fuerint Laicis, *art.* 4. §. 1. *n.* 30. & 31. *pag.* 302.

Bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutio Eccleſiæ à Laicis facta non eſt legitimum Regaliæ fundamentum, *art.* 4. §. 1. *n.* 29. & *ſeqq. pag.* 302.

Bonifacii VIII. & Philippi IV. diſſidium, *art.* 5. §. 18. *n.* 7. & *ſeqq. pag.* 520.

Britannia Regaliæ non ſubjacet, *art.* 5. §. 19. *n.* 5. & 6. *pag.* 526. §. 22. *n.* 66. &. *ſeqq. pag.* 568. & *art.* 8. §. 16. *per totum*, *pag.* 710.

Burdegalenſis Eccleſia Regaliæ non obnoxia, *art.* 5. §. 20. *n.* 3. *pag.* 530.

C.

CAlliſtus II. quid conceſſerit Henrico Imperatori, *art.* 4. §. 5. *per totum*, *pag.* 316.

Calumnia Regi Chriſtianiſſimo neque à ſummo Pontifice, neque à defenſoribus Eccleſiaſticæ libertatis illata, *reſp. ad præfat. P. Alex. n.* 5. *pag.* 4.

Canon *Hadrianus* ſuppoſitus, *art.* 1. §. 1. *n.* 3. & 4. *pag.* 10. & *art.* 3. §. 13. *n.* 11. & 12. *pag.* 280.

Canon XII. Concilii Lugdunenſis II. refertur, *art.* 5. §. 1. *n.* 10. *pag.* 467. *Vide verb.* Lugdunenſis Concilii.

Canon *In Synodo* cujus autoritatis, *art.* 3. §. 13. *n.* 14. *pag.* 281.

Capiceria quid ſit, *art.* 4. §. 15. *n.* 6. *pag.* 360.

Capitularia Regum Francorum utrùm Regaliæ adverſentur, *art.* 2. §. 11. *n.* 1. & *ſeqq. pag.* 141. §. 3. *per tot. pag.* 151. & *art.* 3. §. 7. *n.* 5. *pag.* 263.

Cardinalis Oſſatus Regaliam in Eccleſiis Britanniæ locum non habere ſenſit, *art.* 5. §. 22. *n.* 66. & *ſeqq. pag.* 568.

Carnotenſis Eccleſia utrùm Regaliæ ſubdita, *art.* 4. §. 15. *n.* 7. *pag.* 360.

Carolus Calvus quomodo ſe habuerit erga Eccleſias vacantes, *art.* 2. §. 12. *per tot. pag.* 145. & *art.* 3. §. 8. *per tot. pag.* 264. §. 12. *per tot. pag.* 273. §. 13. *n.* 1. & *ſeqq. pag.* 274.

Carolus Magnus quo pacto ſeuda conceſſerit Epiſcopis, *art.* 3. §. 5. *per totum*, *pag.* 248.

Carolus Martellus bona Eccleſiarum injuſtè diſtribuit Laicis, *art.* 3. §. 4. *per tot. pag.* 245.

Carolus Simplex quomodo ſe habuerit erga Eccleſias, *art.* 2. §. 9. *per totum*, *pag.* 135.

Cauſa de extenſione Regaliæ eſt ſpiritualis, *art.* 8. §. 17. *n.* 2. *& ſeqq. pag.* 715.
Cenomanenſis Eccleſia Regaliæ non ſubdita, *art.* 4. §. 26. *per tot. pag.* 398.
Cenomanenſis Eccleſiæ Regalia, *art.* 4. §. 34. *per. tot. pag.* 419.
Chariberti factum crudeliſſimum contra Epiſcopum ſine ſuo aſſenſu conſtitutum, *art.* 2. §. 1. *n.* 13. *pag.* 85.
Chopinus optaret eſſe privilegium concedens Regi Chriſtianiſſimo jus conferendi Beneficia titulo Regaliæ, *art.* 7. §. 21. *n.* 4. *pag.* 663.
Chopinus Regaliam comparat Hebræorum Cabalæ & Traditioni, *art.* 1. §. 2. *n.* 43. *&* 44. *pag.* 32. *& n.* 48. *pag.* 35.
Clemens IV. utrùm probaverit Regaliam, *art.* 4. §. 32. *per totum, pag.* 414.
Clodoveus utrùm bona Eccleſiæ Laicis contulerit, *art.* 3. §. 3. *n.* 20. *pag.* 238.
Clotarii Edictum utrùm probet bona Eccleſiæ à Principibus dari poſſe, *art.* 2. §. 4. *n.* 20. *& ſeqq. pag.* 108.
Collatio Beneficii ſumitur pro quavis diſpoſitione, *art.* 4. §. 24. *n.* 4. *pag.* 393. *& art.* 6. §. 10. *n.* 13. *pag.* 629.
Collatio Beneficiorum an ſit in fructu, *art.* 1. §. 1. *n.* 17. *& ſeqq. uſque ad* 25. *pag.* 17. *n.* 36. *pag.* 27. *art.* 2. §. 4. *n.* 14. *&* 15. *pag.* 104. *art.* 5. §. 18. *n.* 4. *&* 5. *pag.* 516. *& art.* 6. §. 6. *n.* 2. *& ſeqq. pag.* 598.
Collatio Beneficiorum non includitur ſemper in Regalia, *art.* 5. §. 18. *n.* 5. *& ſeqq. pag.* 516.
Collatio Beneficiorum eſt quid ſpirituale. *Vide ſuprà verb.* Beneficiorum Eccleſiaſticorum.
Comites. *Vide verb.* Principes Rege inferiores.
Concilia præcipientia ut bona Eccleſiarum vacantium cuſtodiantur à Clero, *art.* 2. §. 4. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 99. *n.* 24. *& ſeqq. pag.* 110. *& art.* 6. §. 5. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 594.
Concilia utrùm approbaverint Regaliam, *art.* 6. §. 8. *n.* 4. *pag.* 609.
Concilii Chalcedonenſis acceptio & executio in Gallia, *art.* 2. §. 15. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 161.
Concilii Chalcedonenſis Canon 25. fructus Eccleſiarum vacantium futuro ſucceſſori reſervandos ſtatuit, *art.* 2. §. 14. *&* 15. *pag.* 159.
Concilii Troſleiani & aliorum circa bona Eccleſiarum vacantium ſenſus, *art.* 2. §. 16. *per totum, pag.* 186.
Conciliorum convocatio & confirmatio quomodo pertinent ad Principes, *art.* 2. §. 3. *per totum, pag.* 92. *& art.* 3. §. 3. *n.* 4. *& ſeqq. pag.* 227.
Concilium Aurelianenſe V. utrùm ſtatuerit requirendum ad electiones Regium aſſenſum, *art.* 2. §. 1. *n.* §. 8. *pag.* 80.
Concilium Lugdunenſe II. utrùm declaraverit uſum-fructum bonorum Eccleſiarum vacantium titulo Regaliæ juſtè percipi, *art.* 1. §. 3. *n.* 39. *& ſeqq. pag.* 57. *& art.* 2. §. 16. *n.* 12. *& ſeqq. pag.* 193.
Concilium Meldenſe, ne bona Eccleſiarum à Principibus darentur, contendit, *art.* 3. §. 7. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 261.
Confirmatio aliquando pro ſimplici aſſenſu accipitur, *art.* 2. §. 3. *n.* 8. *pag.* 95.
Conſuetudine non acquiritur Laicis juriſdictio in cauſas Eccleſiaſticas, *art.* 8. §. 17. *n.* 11. *& ſeqq. pag.* 719.
Conſuetudinis vis ad acquirendum jus conferendi Beneficia titulo Regaliæ, *art.* 6. §. 8. *n.* 5. *&* 6. *pag.* 610.
Contumelioſo ſuſpenſo Archidiaconus bona Eccleſiæ adminiſtrabat, *art.* 2. §. 15. *n.* 14. *pag.* 167.
Cuſtodia an ſit idem quod Regalia, *art.* 1. §. 3. *n.* 15. & 16. *pag.* 43.
Cuſtodia an ſit legitimum fundamentum Regaliæ, *art.* 1. §. 3. *per totum, pag.* 38.
Cuſtodia duplex, proxima & remota; hæc omnibus Principibus communis eſt, non

autem

autem eſt fundamentum Regaliæ, *art.* 1. §. 3. *n.* 6. *pag.* 40. *art.* 2. §. 1. *n.* 10. *pag.* 81. §. 4. *per totum*, *pag.* 98. §. 5. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 119. §. 6. *per tot. pag.* 123. §. 9. *n.* 5. *pag.* 137. §. 10. *n.* 3. *pag.* 139. §. 13. *n.* 2. *& ſeqq. pag.* 152. §. 15. *n.* 19. *&* 20. *pag.* 169. *& n.* 31. *pag.* 174. §. 16. *n.* 18. *pag.* 198. *art.* 3. §. 8. *per tot. pag.* 264. *art.* 4. §. 1. *n.* 25. *pag.* 299. *art.* 6. §. 2. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 583.

Cuſtodia Eccleſiarum an ſit legitimus Regaliæ titulus, *art.* 1. §. 3. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 38.

Cuſtodia proxima bonorum Eccleſiarum vacantium olim pertinebat ad Clerum, *art.* 2. §. 4. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 99. §. 8. *n.* 1. *&* 2. *pag.* 132. §. 13. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 151. *art.* 6. §. 2. *n.* 2. *pag.* 582.

Cuſtodi ɪ merces quæ, *art.* 1. §. 3. *n.* 8. *& ſeqq. pag.* 40. *art.* 2. §. 11. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 142. *art.* 5. §. 6. *n.* 3. *pag.* 491. *&* §. 10. *& ſeqq. pag.* 498.

Cuſtodiam Eccleſiarum an geſſerint Reges Chriſtianiſſimi primæ & ſecundæ Dynaſti ɪ, *art.* 2. *per totum. pag.* 76.

D.

Decimæ & oblationes nequaquam pertinent ad Principes, *art.* 1. §. 1. *n.* 12. *& ſeqq. pag.* 14.

Defenſio Eccleſiarum. *Vide verb.* Cuſtodia.

Diviſio hujus Operis, *præf. P. Alex. n.* 13. *&* 14. *pag.* 9.

Donationes Eccleſiis à Regibus factæ irrevocabiles, *art.* 4. §. 40. *n.* 22. *& ſeqq. pag.* 435.

Donationes Eccleſiis à Regibus factæ, Reip. utiles, *art.* 4. §. 40. *n.* 23. *& ſeqq. pag.* 435.

Duces. *Vide verb.* Principes Rege inferiores.

Durandus teſtis fide dignus Concilium Lugdunenſe II. de Regaliâ intelligendum docuit, & ad Franciam ſpectare, *art.* 5. §. 2. *n.* 8. *pag.* 473. *&* §. 3. *n.* 3. *& ſeqq. pag.* 479.

E.

Eccleſia libertatem ſuam probare non tenetur, *art.* 5. §. 22. *n.* 29. *& ſeqq. pag.* 550.

Eccleſiæ cauſâ Principum jura non violanda, nec è contra, *præf. P. Alex. n.* 7. *pag.* 5.

Eccleſiis debuerunt exhiberi tituli contra earum libertatem, *art.* 5. §. 22. *n.* 44. *pag.* 556.

Eccleſiæ Decreta quando reformentur, *art.* 5. §. 22. *n.* 84. *& ſeqq. pag.* 577.

Eccleſiæ praxis cujus principium ignoratur ad Apoſtolos referenda, *art.* 1. §. 2. *n.* 50. *pag.* 37.

Eccleſiam defendendi onus omnibus fidelibus incumbit. *reſp. ad præf. P. Alex. n.* 6. *pag.* 5. *Vide verb.* Bona Eccleſiæ.

Eccleſiarum vacantium bona non ſunt ſimilia bonis defectu hæredis vacantibus, *art.* 6. §. 4. *n.* 7. *pag.* 590.

Eccleſiarum vacantium fructus. *Vide verb.* Fructus. Cuſtodia.

Electenſis Epiſcopus Regaliam in ſuam Diœceſim admittere recuſavit, *art.* 8. §. 16. *n.* 7. *pag.* 712.

Electiones Epiſcoporum injuſtè retardabantur à Regibus, *art.* 2. §. 10. *n.* 1. *pag.* 138. *art.* 3. §. 10. *n.* 3. *pag.* 269. *& n.* 6. *pag.* 271.

Quod circa *Electiones* præſtabatur à Regibus, differebat à Regaliâ, *art.* 2. §. 1. *n.* 12. *& ſeqq. pag.* 84. *art.* 3. §. 2. *n.* 8. *pag.* 224. *&* §. 13. *n.* 19. *& ſeqq. pag.* 282.

Electionibus quâ ratione ſe immiſcere cœperint Reges Chriſtianiſſimi, *art.* 2. §. 1. *n.* 4. *& ſeqq. pag.* 77.

Electioni Epiſcoporum intereſſe an debeant Principes, *art.* 3. §. 13. *n.* 13. *pag.* 280.

Electionis Epiſcoporum libertas, *art.* 3. §. 10. *n.* 5. *pag.* 270. & §. 13. *n.* 21. & *ſeqq. pag.* 283.
Epiſcopus bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem habet, *art.* 2 §. 15. *n.* 7. & *ſeqq. pag.* 165.
Epiſcopi, niſi ſpecialis fiat eorum mentio, ſuſpenſionem & interdictum non incurrunt, *art.* 5. §. 5. *n.* 3. *pag.* 485.
Epiſcopi Principibus jura Eccleſiaſtica uſurpantibus pauci obſiſtunt, *art.* 4. §. 6. *n.* 15. & *ſeqq. pag.* 325.
Epiſcopi utrùm juriſdictionem Regiam circa extenſionem Regaliæ agnoverint, *art.* 8. §. 12. *n.* 3. *pag.* 701. & §. 16. *n.* 7. *pag.* 712. *Vide verb.* Judex
Epiſcoporum diſſimulatio non juvat Principes bona Eccleſiarum uſurpantes, *art.* 3. §. 3. *n.* 25. *pag.* 240.
Epiſcoporum Pariſiis congregatorum anno 1682. conſenſûs extenſioni Regaliæ præſtiti vitia, *art.* 8. §. 16. *n.* 8. *pag.* 712.
Ad *Epiſcopos* pertinet collatio Beneficiorum, *art.* 6. §. 6. *n.* 5. & *ſeqq. pag.* 600.
Ermengardis. *Vide verb.* Narbonenſis Comitiſſa.

F.

Feuda Eccleſiis data, *art.* 3. §. 2. *n.* 1. & 2. *pag.* 219.
Feuda Eccleſiis ſine onere à Regibus primitùs conceſſa probabilius eſt, *art.* 3. §. 1. *n.* 2. & *ſeqq. pag.* 210. §. 5. *n.* 4. *pag.* 251.
Feuda utrùm ſint legitimus Regaliæ titulus, *art.* 1. §. 4. *per totum*, *pag.* 60. & *art.* 4. §. 40. *n.* 49. & 50. *pag.* 449.
Feudi dominus non poteſt nova onera imponere vaſſallis, *art.* 5. §. 22. *n.* 59. *pag.* 564.
Feudi natura & origo, *art.* 3. §. 1. *n.* 1. *pag.* 207.
Feudi vacantis fructus dominus ubique non facit ſuos, *art.* 1. §. 4. *n.* 2. *pag.* 60. *art.* 3. §. 5. *n.* 12. *pag.* 256. & *art.* 5. §. 22. *n.* 58. & 59. *pag.* 563.
Feudum, quando non datur à Rege, utrùm ſit fundamentum Regaliæ, *art.* 5. §. 22. *n.* 60. *pag.* 565. *Vide verb.* Amortizatio.
Franciæ Reges an ſint fundatores & patroni omnium Eccleſiarum, *art.* 1. §. 3. *n.* 24. *pag.* 49.
Franciæ Reges bona Eccleſiarum uſurpantes non abſtinuiſſent à fructibus Eccleſiarum vacantium, ſi habuiſſent Jus Regaliæ, *art.* 2. §. 4. *n.* 35. *pag.* 117 & §. 13. *n.* 8. *pag.* 155.
Franciæ Reges de Eccleſia Romana benè meriti, *art.* 8. §. 17. *n.* 21. & 22. *pag.* 723.
Franciæ Reges Eccleſiæ Romanæ defenſores, *art.* 1. §. 3. *n.* 5. *pag.* 39.
Franciæ Reges ratione unctionis non poſſunt proprio jure conferre Beneficia, *art.* 6. §. 10. *n.* 26. *pag.* 637.
Franciæ Reges ſecundæ Dynaſtiæ bona Eccleſiarum vacantium injuſtè uſurpabant, *art.* 2. §. 10. *n.* 1. & 2. *pag.* 135.
Franciæ Reges utrùm Decretis cenſuras continentibus ſubjaceant, *art.* 5. §. 5. *n.* 3. *pag.* 485. *Vide verb.* Lugdun. Concilium.
Franciæ Reges utrùm ſint meri Laici, *art.* 6. §. 10. *n.* 24. & *ſeqq. pag.* 635.
Franciæ Regis cum Summo Pontifice comparatio, quantùm ad jura quæ primitùs non exercuerunt, *art.* 5. §. 22. *n.* 55. & 56. *pag.* 560.
Franciæ Regum conſtitutiones circa Regaliam ad Concilium Lugdunenſe alludunt, *art.* 5. §. 21. *n.* 1. *pag.* 531. & *n.* 4. *pag.* 536.
Franciæ Regum poteſtas circa convocationem & confirmationem Conciliorum, *art.* 2. §. 3. *per totum*, *pag.* 92.
Fredericus II. abuſui Regaliæ ſimili renuntians, non proprio jure ceſſit, ſed injuriam reparavit, *art.* 4. §. 40. *n.* 1. & 2.

& 2. pag.427. & n.7. & ſeqq. pag.430.
Fredericus abuſui Regaliæ ſimili renuntiavit, art.4. §.39. per totum, pag.426.
Fredericus jure Regaliæ ſimili non ceſſit invitus, art.4. §40. n.7. & 8. pag.430.
Fredericus utrùm Beneficia Eccleſiaſtica jure contulerit, art.4. §.40. n.15. & ſeqq. pag.432.
Fructus Eccleſiarum vacantium futuro ſucceſſori reſervandi, art.2. §.13. n.1. & ſeqq. pag.151. §.14. & 15. per tot. pag. 159. art.6. §.2. n.5. pag.584. & §.5. n.2. & ſeqq. pag.593.
Fructus Eccleſiarum vacantium novis Epiſcopis à Ludovico XIII. in perpetuum aſſignati, art.2. §.13. n.13. pag.157.
Fructus non feudales dominus feudi non facit ſuos, art.1. §.4. n.3. pag.61.
Fructuum nomine non intelliguntur bona fructuoſa, art.2. §.15. n.23. & ſeqq. pag. 172.
Fundatio Eccleſiarum an ſit legitimum Regaliæ fundamentum, art.1. §.3. n.22. & ſeqq. pag.47. & §.4. n.4. & 5. pag.61.
Fundationis Eccleſiarum conditionibus ſtandum, art.3. §.5. n.15. pag.258.

G.

Gallicana Eccleſia utrùm probaverit Regaliam, art.1. §.3. n.14. pag.42.
In *Gallicanâ* Eccleſiâ olim magna circa diſciplinam & bona Eccleſiaſtica confuſio, art.2. §.5. n.2. pag. 118. §.7. n.6. & 7. pag. 130. §.9. n.3. & 4. pag.136. §.13. n.9. pag.156. n.11. pag.157. & §.15. n.18. pag.169.
Galli utrùm omnes ſentiant Regaliam juſtè fuiſſe extenſam, art.5. §.2. n.4. pag. 470.
Gerbertus fructus Eccleſiarum vacantium Regi non tribuit, art.2. §.14. n.1. pag.160. & §.15. n.49. & ſeqq. pag. 184.
Goffridi Vindocinenſis ſententia circa inveſtituras, art.4. §.1. n.19. & ſeqq. pag.294. & §.4. per totum, pag.315.
Gregorius IX. non probavit Beneficia Eccleſiaſtica à Frederico conferri, art.4. §.40. n.15. & ſeqq. pag.432.
Guntramni Regis reſponſum egregium pro Epiſcopi electione munera ſibi offerentibus, art.2. §.1. n.12. pag.85.

H.

Henrici IV. Edictum contra Regaliæ extenſionem, art.5. §.22. n.26. pag.547.
Hildeberti cum Ludovico Craſſo contentio, art.4. §.6. per tot. pag.318. & art.8. §.2. per tot. pag.679.
Hincmari ſententia de Regaliâ ſeu Cuſtodiâ Regiâ Eccleſiarum vacantium, art.2. §.6. per tot. pag.123. & §.15. n.29. & ſeqq. pag.174.
Hincmarus reſtitit Epiſcopo intruſo à Lothario Imperatore, ne fructus Eccleſiæ perciperet exceptis feudalibus, art.3. §.5. n.14. pag.257.
Homagium ab Epiſcopis utrùm Principi debitum, art.4. §.2. n.11. & ſeqq. pag. 310. §.8. n.1. pag.331. & art.8. §.1. n.4. & ſeqq. pag.677.

I.

Innocentius III. an probaverit Regaliam, art.4. §.24. & 25. per tot. pag.392.
Innocentius III. an probaverit Regem Chriſtianiſſimum judicare de cauſis Regaliæ, art.8. §.3. 4. & 5. per tot. pag.681.
Inveſtitura de bonis tantùm feudalibus intelligenda, neque uſum-fructum ad dominum feudi pertinuiſſe neceſſariò ſupponit, art.4. §.1. n.20. pag.297. §.8. n.8. pag.334. & §.13. n.2. pag.349.
Inveſtitura Eccleſiarum à Principibus utrùm juſtè data fuerit, art.4. §.1. n.13. & ſeqq. pag.295. & §.2. per tot. p.304.

Inveſtituram Eccleſiarum à Principibus dari, utrùm probaverit Concilium Meldenſe, *art.* 3. §. 10. *per totum*, *pag.* 268.
Inveſtituram Eccleſiarum utrùm dederint Reges Chriſtianiſſimi, *art.* 3. §. 13. *n.* 9. & *ſeqq. pag.* 278.
Joannes Pariſienſis Aulæ addictus, *art.* 4. §. 1. *n.* 8. *pag.* 292. & *art.* 6. §. 9. *n.* 2. *pag.* 619.
Joannis Pariſienſis ſententia circa Beneficiorum naturam, *art.* 6. §. 9. *n.* 4. & *ſeqq. pag.* 620.
Joannis Pariſienſis teſtimonium cujus ponderis ſit, *art.* 6. §. 9. *n.* 2. & 3. *pag.* 619.
Judex cauſarum juris Patronatus quis ſit, *art.* 8. §. 14. *n.* 2. *pag.* 706.
Judex cauſarum Regaliæ quis ſit, *art.* 4. §. 6. *n.* 9. & 10. *pag.* 321. §. 25. *n.* 4. *pag.* 396. § 31. *n.* 2. & *ſeqq. pag.* 408. §. 40. *n.* 44. *pag.* 446. §. 41. *n.* 3. *pag.* 460. *art.* 5. §. 22. *n.* 32. *pag.* 551. & *art.* 8. *per totum*, *pag.* 674.
Judices Laici cognoſcentes de cauſis Eccleſiaſticis in Gallia utrùm excuſentur ex privilegio, *art.* 8. §. 17. *n.* 17. & *ſeqq. pag.* 721.
Judicium cauſarum circa Regaliam cur Regi tribuatur, *art.* 8. §. 1. *n.* 2. *pag.* 676.
Juris in unâ ſpecie fundatus utrùm cenſeatur fundatus in omnibus, *art.* 1. §. 4. *n.* 7. & *ſeqq. pag.* 63.
Juriſdictio in cauſas Eccleſiaſticas non acquiritur conſuetudine Laicis, *art.* 8. §. 17. *n.* 11. & *ſeqq. pag.* 719.
Juriſdictio Eccleſiaſtica à Laicis non eſt uſurpanda, neque è contrà, *art.* 8. §. 6. *per tot. pag.* 690.
Ivo Carnotenſis utrùm probaverit inveſtituras, aut Regaliam, *art.* 4. §. 2. *n.* 8. & *ſeqq. pag.* 309. & *art.* 8. §. 1. *per tot. pag.* 674.

L.

LAudunenſis Eccleſia utrùm Regaliæ ſubjecta, *art.* 4. §. 24. *per tot. pag.* 392.
Leo VIII. ſecundùm P. Alexandrum Antipapa, *art.* 3. §. 13. *n.* 14. *pag.* 281.
Lex non accepta utrùm obliget, *art.* 2. §. 15. *n.* 3. *pag.* 161. & *art.* 5. §. 20. *n.* 2. *pag.* 529.
Libertates Eccleſiæ Gallicanæ in cuſtodiâ antiquorum Canonum poſitæ, *art.* 2. §. 15. *n.* 2. *pag.* 161. & *n.* 17. *pag.* 168.
Lingua Occitana quid ſignificet, *art.* 5. §. 22. *n.* 18. *pag.* 543.
In *Linguâ Occitanâ* Regalia locum non habet, *art.* 4. §. 36. & *ſeqq. pag.* 421.
Ludovici Craſſi mores, *art.* 4. §. 6. *n.* 14. *pag.* 324.
Ludovicus XIV. utrùm benigniùs ſe habeat in exercitio Regaliæ, quàm S. Ludovicus, *art.* 4. §. 31. *n.* 8. & 9. *pag.* 411. *art.* 6. §. 10. *n.* 20. & *ſeqq. pag.* 632.
Ludovicus XIII. fructus Eccleſiarum vacantium novis Epiſcopis in perpetuum aſſignavit, *art.* 2. §. 13. *n.* 13. *pag.* 157. & *art.* 6. §. 5. *n.* 9. *pag.* 596.
Ludovicus Junior quomodo ſe habuerit erga Eccleſias, *art.* 4. §. 12. *per tot. pag.* 345. & §. 14. *per tot. pag.* 350.
S. Ludovicus Eccleſiam Anicienſem liberam à Regalia declaravit. *Vide verb.* Anicienſis Eccleſiæ.
S. Ludovicus non improbavit renuntiationem à Comite Toloſano factam, *art.* 4. §. 40. *n.* 39. & 40. *pag.* 443.
S. Ludovicus quomodo Regaliam exercebat, *art.* 4. §. 27. & *ſeqq. pag.* 399. & *art.* 6. §. 10. *n.* 21. *pag.* 633.
S. Ludovicus Regaliam non exercuit in Provincia Narbonenſi, *art.* 4. §. 40. *n.* 39. & *ſeqq. pag.* 443.
Lugdunenſis Concilii II. Canon XII. accipiendus de Regaliâ, *art.* 1. §. 3. *n.* 16. & 17.

& 17. pag. 44. & art. 5. §. 2. n. 5. & ſeqq. pag. 471.
Lugdunenſis Concilii II. Canon XII. collationem Beneficiorum prætextu Regaliæ fieri vetat, art. 5. §. 18. per tot. pag. 513.
Lugdunenſis Concilii II. Canon XII. executioni demandatus in Gallia, art. 5. §. 20. per tot. pag. 528.
Lugdunenſis Concilii II. Canon XII. refertur, art. 5. §. 1. n. 10. pag. 467.
Lugdunenſis Concilii II. Canon XII. ſpectat Reges Chriſtianiſſimos, art. 5. §. 3. per tot. pag. 477. §. 6. n. 4. pag. 491. §. 14. n. 3. pag. 505. §. 16. n. 3. pag. 508. & §. 17. n. 2. pag. 510.

M.

Magiſter ſive Le Maiſtre docet Regaliam locum non habere in omnibus Eccleſiis, art. 1. §. 4. n. 12. & ſeqq. pag. 66.
Magiſter Regaliam in feudis fundatam quo ſenſu doceat, art. 1. §. 4. n. 12. & ſeqq. pag. 66.
Magiſter utrùm ſenſerit cuſtodiam Eccleſiarum eſſe legitimum fundamentum Regaliæ, art. 1. §. 4. n. 22. pag. 72.
D. Marca primum Regaliæ exemplum quodnam eſſe dixerit, art. 4. §. 10. n. 1. & 2. pag. 341. §. 15. n. 12. & ſeqq. pag. 363.
D. Marca privilegium Remenſis Eccleſiæ de Regaliâ non eſſe accipiendum, & tamen Regaliam ſub ſecundâ Regum Dynaſtia locum non habuiſſe ſenſit, art. 2. §. 17. n. 1. & ſeqq. pag. 200.
D. Marca quo ſenſu dixerit Regaliam eſſe idem atque inveſtituras, art. 4. §. 8. n. 8. pag. 334.
D. Marca Regaliam à feudis originem ducere, ac in eis fundatam eſſe, quo ſenſu docuerit, art. 1. §. 4. n. 24. & ſeqq. pag. 73.
Marculphi teſtimonium cujus authoritatis, art. 2. §. 5. n. 2. pag. 118.
Matiſconenſis Eccleſia an Regaliæ ſubdita, art. 4. §. 21. per tot. pag. 386.
Matiſconenſis Eccleſia à Regaliâ exempta, art. 4. §. 23. per tot. pag. 390.

N.

Narbonenſis Comitiſſa renuntiavit uſui Regaliæ ſimili, art. 4. §. 38. per totum, pag. 424.
Narbonenſis Comitiſſa uſui Regaliæ ſimili renuntians, non proprio jure ceſſit, ſed injuriam reparavit, art. 4. §. 40. n. 5. & 6. pag. 429.
Narbonenſis Provincia Regaliæ non ſubdita, art. 4. §. 36. n. 4. & 5. pag. 422. §. 40. n. 39. & 40. pag. 443. & art. 5. §. 8. per tot. pag. 493.
Narbonenſis provinciæ Epiſcopi utrùm agnoverint juriſdictionem Regiam in cauſis Regaliæ, art. 8. §. 11. per tot. pag. 695.
Nobilitatio bonorum Eccleſiaſticorum eſſet oneroſa, ſi eorum reditus illâ occaſione Principes ſibi vendicarent, art. 1. §. 1. n. 11. pag. 14. & art. 4. §. 1. n. 27. & 28. pag. 301.
Noviliacum ſæpe in feudum datum, art. 3. §. 6. per tot. pag. 259.
Noviomenſis Eccleſiæ Regalia, art. 4. §. 42. n. 1. & 2. pag. 461.

O.

Obedientia quibus in rebus Principibus debita, art. 3. §. 11. n. 2. pag. 272. & art. 7. §. 25. n. 2. & ſeqq. pag. 668.
Obſcuritas originis Regaliæ an probet ejus antiquitatem, art. 1. §. 2. n. 49. & ſeqq. pag. 36.
Obſcuritas quæſtionis de extenſione Regaliæ

liæ unde orta ſit, *reſp. ad præf. P. Alex. n.4. pag.* 3.

Occitania quandonam ad plenum dominium Regum Franciæ redierit, *art.* 5. §.5. *n.* 5. *pag.*486.

Occitania Regaliæ non ſubdita, *art.* 5. §.5. *n.* 8. *pag.* 487. & §. 22. *n.* 31. *pag.* 550. *Vide verb.* Narbonenſis, & *verb.* Toloſana.

Oeconomi Eccleſiaſtici olim in Gallicanis Eccleſiis, *art.* 2. §. 15. *n.* 6. & *ſeqq. p.* 164.

Oeconomorum officia, *art.* 2. §. 15. *n.* 19. & 20. *pag.* 169.

Officiales Principum ad cuſtodienda eorum jura vigilantiſſimi, *art.* 4. §. 15. *n.* 10. *pag.* 362.

Officiales Principum ad extendenda eorum jura propenſi, *art.* 4. §. 31. *n.* 11. *pag.* 413. *art.* 5. §. 5. *n.* 4. *pag.* 485. *n.* 9. *pag.* 488. §. 22. *n.* 17. *pag.* 543. & *n.* 76. *pag.* 574.

Officiales Regii ac Profeſſores Juris docentes Regaliam ubique locum non habere, *art.* 5. §. 22. *n.* 76. & *ſeqq. pag.* 574.

Quod circa *Ordinationem* Clericorum præſtabatur à Regibus Chriſtianiſſimis, differebat à Regaliâ ſeu cuſtodiâ Eccleſiarum, *art.* 2. § 2. *per tot. pag.* 88.

Ad *Ordinationem* Clericorum utrùm requireretur aſſenſus Principum, *art.* 3. §. 3. *n.* 8. & *ſeqq. pag.* 229.

P.

PApa an plus juris habeat in bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatione, quàm Rex, *art* 6. §. 5. *n.* 7. *pag.* 595.

Papæ eſt concedere privilegia circa libertatem Eccleſiaſticam, *art.* 2. §. 17. *n.* 14. *pag.* 206.

Papæ cum Rege Franciæ comparatio, quantùm ad jura quæ primitus non exercuerunt, *art.* 5. §. 22. *n.* 55. & 56. *pag.* 560.

Papæ ſumma poteſtas in ſpiritualibus, *præf. P. Alex. n.* 11. *pag.* 6.

Papæ utrùm approbaverint Regaliam, quantùm ad collationem Beneficiorum, *art.* 6. §. 8. *n.* 3. *pag.* 608. *n.* 9. & 10. *pag.* 614.

Papo Regaliam confert cum Hebræorum Cabala & cum Traditione Divina, *art.* 1. §. 2. *n.* 48. *pag.* 35.

Parlamentum Pariſienſe judex cauſarum particularium circa Regaliam à Ludovico XI. conſtitutus, *art.* 8. §. 15. *per tot. pag.* 707.

Paſchalis II. feuda Imperatori reſtitui ad abolendas inveſtituras cenſuerat, *art.* 4. §. 3. *per tot. pag.* 313.

Paſchalis II. quomodo permiſerit inveſtituras Eccleſiarum Regi Angliæ, *art.* 4. §. 2. *n.* 11. & *ſeqq. pag.* 310.

Paſquierius adulatores Aulæ vocat aſſerentes Regaliam in omnibus Eccleſiis Franciæ locum habere, *art.* 5. §. 22. *n.* 75. *pag.* 574. & *art.* 7. §. 22. *n.* 3. *pag.* 664.

Paſquierius obſcuriſſimam Regaliæ originem agnovit, *art.* 1. §. 2. *n.* 40. *pag.* 30.

Patronatus an competeret Regibus primæ Dynaſtiæ, *art.* 3. §. 3. *n.* 13. & *ſeqq. pag.* 233.

Patrono non competit Beneficiorum collatio, ſed ſola præſentatio ad illa, *art.* 6. §. 9. *n.* 4. *pag.* 620.

Pax inter Eccleſiam Romanam & Galliam maximè optanda, *art.* 8. §. 17. *n.* 23. & *ſeqq. pag.* 726.

B. Petri Damiani teſtimonium contra perperam diſtinguentes temporale à ſpirituali in Beneficiis, *art.* 6. §. 10. *n.* 3. *pag.* 623.

Philippus Auguſtus quomodo Regaliam exercuerit, *art.* 4. §. 20. *per totum, pag.* 385. & §. 25. *per tot. pag.* 394.

Philippus Auguſtus quomodo ſe habuerit erga Eccleſias, *art.* 2. §. 9. *n.* 5. *pag.* 137.

Philippus III. Regaliam exercuit in aliquibus tantùm Eccleſiis, *art.* 4. § 41. *n.* 2. *pag.* 460.

Phi-

Philippus III. utrùm curaverit ut uſus Regaliæ à Concilio Lugdunenſi probaretur, *art.*5. §.1.*n.*1.*&* 2.*pag.*462.
Philippi III. laus, *art.*5. §.5.*n.*1.*pag* 483.
Philippus Pulcher in omnibus Eccleſiis Regaliam ſibi non vendicavit, *art.* 5. §.18.*n.*10.*pag.*521.§.21.*n.*1.*pag.*528. §.22. *n.*71. *pag.* 572. *&* *art.*6. § 10. *n.*29.*pag.*638.
Philippus Valeſius Regaliæ, in Eccleſiis in quibus locum habebat, exercitium ampliavit, *art.*8. §.13.*per tot. pag.*701.
Pibracius primus tentavit Regaliæ extenſionem, *art.*5. §.22.*n.*75.*pag.*573.
Pictavienſis Eccleſia Regaliæ non obnoxia, *art.* 5. §. 20. *n.* 4.*pag.*530. §.22. *n.*17. *pag.*542.
Pinſonius originem Regaliæ confert cum origine Nili, *art.* 1. §. 2. *n.* 45. *&* 46. *pag.*33.
Pinſonii teſtimonium pro Regaliæ extenſione ſuſpectum,*art.*7. § 24.*n.*2. *& ſeqq. pag.*667.
Quid in *Politiam* externam Eccleſiæ poſſint Reges Chriſtianiſſimi, & utrùm eis ex fundatione vel dotatione ejuſmodi jus competat,*art.*3. §.3.*per tot. pag.*225.
Poſſeſſor triennalis prætextu Regaliæ ſpoliari non debet, *art.*1. §.1. *n.*33.*pag.*26.
De *Poſſeſſorio* Beneficiorum judicare utrùm Judicibus Regis Chriſtianiſſimi permiſerit Martinus V. *art.*8 §.17. *n.*6. *&* 7.*pag.*717.
Præſcriptione utrùm acquiratur jus conferendi Beneficia, *art.*6. §.8. *n.*8.*pag.*613.
Præſcriptioni Libertatis Eccleſiæ favendum, *art.*4. §.40. *n.*14.*pag.*432.
Principes an habeant poteſtatem circa res Eccleſiaſticas, *art.* 2. §. 11. *per tot. pag.* 141. *art.*3. §.7. *n.*5. *pag.*263. *art.*4. §.1. *n.*15. *pag.*296. *& art.*6. §.7. *n.*1. *p.*605.
Principes Eccleſias tueri tenentur, *art.* 1. §.3. *n.* 4.*pag.*38 *&* *n.*6. *pag.*40.
Principes Rege inferiores utrùm habuerint jus Regaliæ, *art.*4. §. 15. *n.* 4. *& ſeqq. pag.*359. §.40. *n.* 23. *pag.*435. *& art.* 5. § 19. *per tot. pag.*523. *Vide verb.* Cuſtodia. Beneficia. Bona Eccleſiæ.
Principum antiquæ Legis autoritas circa res Eccleſiaſticas, *art.* 1. §. 3. *n.* 18. *& ſeqq. pag.*45.
Principum circa Electiones poteſtas, *art.* 2. §.1. *per tot. pag.*76.
Principum jura Eccleſiæ causâ non violanda, nec è contra, *præfat. P. Alex. n.*7. *pag.*5.
Principum in temporalibus ſumma poteſtas, *præfat. P. Alex. n.*11. *pag.*6.
Privilegia Eccleſiæ conceſſa utrùm revocari poſſint, *art.*5. §.22. *n.*45. *& ſeqq. pag.*556.
Privilegia non revocanda, *art.*8. §.17. *n.*16. *&* 17.*pag.*721.
Privilegium quid ſignificet, *art.* 2. §. 17. *n.*12. *pag.*205.
Probus nuncupat Regaliam jus extraordinarium à privilegio & conſuetudine procedens, *art.*7. §.19. *n.*2. *pag.*659.
Probus Regaliam in feudis fundatam quo ſenſu doceat *art.* 1. §.4. *n.* 10. *&* 11. *pag.*65.
Probus Regaliam in omnibus Eccleſiis locum non habere ſenſit, *art.*1. §.3. *n.*38. *pag.*57.
Probus varias diſtinguit Regaliæ ſpecies, non tamen ratione omnium, uſumfructum Eccleſiarum Regibus tribuit, *art.*1. §.3. *n.*28. *& ſeqq. pag.*52.
Provincia Provinciæ quandonam ad plenum dominium Regum Franciæ redierit, *art.*5. §.5. *n.*7. *pag.*487.
Provincia Provinciæ Regaliæ non ſubdita, *art.*5. §.5. *n.*8. *pag.*487. *Vide verb.* Fredericus.

R.

RAymundus Comes Toloſanus juri, Regaliæ ſimili, invitus non renuntiavit,

liæ unde orta ſit, *reſp. ad præf. P.* Alex. *n.*4. *pag.*3.

Occitania quandonam ad plenum dominium Regum Franciæ redierit, *art.* 5. §.5. *n.*5. *pag.*486.

Occitania Regaliæ non ſubdita, *art.*5. §.5. *n.* 8. *pag.* 487. *&* §. 22. *n.*31. *pag.* 550. *Vide verb.* Narbonenſis, *& verb.* Toloſana.

Oeconomi Eccleſiaſtici olim in Gallicanis Eccleſiis, *art.*2. §.15. *n* 6. *& ſeqq. p.*164.

Oeconomorum officia, *art.* 2. §.15. *n.*19. *&* 20. *pag.*169.

Officiales Principum ad cuſtodienda eorum jura vigilantiſſimi, *art.* 4. §. 15. *n.* 10. *pag.* 362.

Officiales Principum ad extendenda eorum jura propenſi, *art.* 4. §. 31. *n.* 11. *pag.* 413. *art.* 5. §. 5. *n.* 4. *pag.* 485. *n.* 9. *pag.* 488. §. 22. *n.* 17.. *pag.* 543. *& n.*76. *pag.*574.

Officiales Regii ac Profeſſores Juris docentes Regaliam ubique locum non habere, *art.*5. §.22. *n.*76. *& ſeqq. pag.*574.

Quod circa *Ordinationem* Clericorum præſtabatur à Regibus Chriſtianiſſimis, differebat à Regaliâ ſeu cuſtodiâ Eccleſiarum, *art.*2. §.2. *per tot. pag.*88.

Ad *Ordinationem* Clericorum utrùm requireretur aſſenſus Principum, *art.* 3. §. 3. *n.*8. *& ſeqq. pag.*229.

P.

PApa an plus juris habeat in bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſatione, quàm Rex, *art* 6. §.5. *n.*7. *pag.*595.

Papæ eſt concedere privilegia circa libertatem Eccleſiaſticam, *art.* 2. §. 17. *n.*14. *pag.*206.

Papæ cum Rege Franciæ comparatio, quantùm ad jura quæ primitus non exercuerunt, *art.* 5. §.22. *n.*55. *&* 56. *pag.* 560.

Papæ ſumma poteſtas in ſpiritualibus, *præf. P. Alex. n.*11. *pag.*6.

Papæ utrùm approbaverint Regaliam, quantùm ad collationem Beneficiorum, *art.* 6. §. 8. *n.* 3. *pag.* 608. *n.* 9. *&* 10. *pag.*614.

Papo Regaliam confert cum Hebræorum Cabala & cum Traditione Divina, *art.*1. §.2. *n.*48. *pag.*35.

Parlamentum Pariſienſe judex cauſarum particularium circa Regaliam à Ludovico XI. conſtitutus, *art.*8. §.15. *per tot. pag.*707.

Paſchalis II. feuda Imperatori reſtitui ad abolendas inveſtituras cenſuerat, *art.*4. §.3. *per tot. pag.*313.

Paſchalis II. quomodo permiſerit inveſtituras Eccleſiarum Regi Angliæ, *art.* 4. §.2. *n.*11. *& ſeqq. pag.*310.

Paſquierius adulatores Aulæ vocat aſſerentes Regaliam in omnibus Eccleſiis Franciæ locum habere, *art.* 5. §. 22. *n.*75. *pag.*574. *& art.*7. §.22. *n.*3. *pag.*664.

Paſquierius obſcuriſſimam Regaliæ originem agnovit, *art.*1. §.2. *n.*40. *pag.*30.

Patronatus an competeret Regibus primæ Dynaſtiæ, *art.* 3. §. 3. *n.* 13. *& ſeqq. pag.*233.

Patrono non competit Beneficiorum collatio, ſed ſola præſentatio ad illa, *art.6.* §.9. *n.*4. *pag.*620.

Pax inter Eccleſiam Romanam & Galliam maximè optanda, *art.*8. §.17. *n.* 23. *& ſeqq. pag.*726.

B. Petri Damiani teſtimonium contra perperam diſtinguentes temporale à ſpirituali in Beneficiis, *art.* 6. §. 10. *n.*3. *pag.* 623.

Philippus Auguſtus quomodo Regaliam exercuerit, *art.*4. §.20. *per totum, pag.* 385. *&* §.25. *per tot. pag.*394.

Philippus Auguſtus quomodo ſe habuerit erga Eccleſias, *art.*2. §.9. *n.*5. *pag.*137.

Philippus III. Regaliam exercuit in aliquibus tantùm Eccleſiis, *art.* 4. §41. *n.* 2. *pag.*460.

Phi-

Philippus III. utrùm curaverit ut uſus Regaliæ à Concilio Lugdunenſi probaretur, *art.*5. §.1.*n.*1.*&* 2.*pag.*462.
Philippi III. laus, *art.*5.§.5.*n.*1.*pag.*483.
Philippus Pulcher in omnibus Eccleſiis Regaliam ſibi non vendicavit, *art.* 5. §.18.*n.*10.*pag.*521.§.21.*n.*1.*pag.*528. §.22. *n.*71. *pag.* 572. *&* *art.*6. § 10. *n.*29.*pag.*638.
Philippus Valeſius Regaliæ, in Eccleſiis in quibus locum habebat, exercitium ampliavit, *art.*8. §.13.*per tot.pag.*701.
Pibracius primus tentavit Regaliæ extenſionem, *art.*5. §.22.*n.*75.*pag.*573.
Pictavienſis Eccleſia Regaliæ non obnoxia, *art.* 5. §. 20. *n.* 4.*pag.*530. §.22.*n.*17. *pag.*542.
Pinſonius originem Regaliæ confert cum origine Nili, *art.* 1. §.2. *n.* 45.*&* 46. *pag.*33.
Pinſonii teſtimonium pro Regaliæ extenſione ſuſpectum,*art.*7. § 24.*n.*2.*& ſeqq. pag.*667.
Quid in *Politiam* externam Eccleſiæ poſſint Reges Chriſtianiſſimi, & utrùm eis ex fundatione vel dotatione ejuſmodi jus competat,*art.*3. §.3.*per tot.pag.*225.
Poſſeſſor triennalis prætextu Regaliæ ſpoliari non debet,*art.*1.§.1.*n.*33.*pag.*26.
De *Poſſeſſorio* Beneficiorum judicare utrùm Judicibus Regis Chriſtianiſſimi permiſerit Martinus V. *art.*8 §.17.*n.*6. *&* 7.*pag.*717.
Præſcriptione utrùm acquiratur jus conferendi Beneficia, *art.*6.§.8.*n.*8.*pag.*613.
Præſcriptioni Libertatis Eccleſiæ favendum, *art.*4.§.40.*n.*14.*pag.*432.
Principes an habeant poteſtatem circa res Eccleſiaſticas, *art.* 2.§.11.*per tot.pag.* 141.*art.*3.§.7.*n.*5.*pag.*263.*art.*4. §.1. *n.*15.*pag.*296.*& art.*6.§.7.*n.*1.*p.*605.
Principes Eccleſias tueri tenentur, *art.* 1. §.3.*n.*4.*pag.*38 *& n.*6.*pag.*40.
Principes Rege inferiores utrùm habuerint jus Regaliæ, *art.*4.§.15.*n.*4.*& ſeqq. pag.*359 §.40.*n.*23.*pag.*435.*& art.* 5. §19.*per tot.pag.*523. *Vide verb.* Cuſtodia. Beneficia. Bona Eccleſiæ.
Principum antiquæ Legis autoritas circa res Eccleſiaſticas, *art.* 1.§.3.*n.*18.*& ſeqq.pag.*45.
Principum circa Electiones poteſtas, *art.* 2. §.1.*per tot.pag.*76.
Principum jura Eccleſiæ causâ non violanda, nec è contra, *præfat. P. Alex. n.*7. *pag.*5.
Principum in temporalibus ſumma poteſtas, *præfat. P. Alex.n.*11.*pag.*6.
Privilegia Eccleſiæ conceſſa utrùm revocari poſſint, *art.*5.§.22.*n.*45. *& ſeqq. pag.*556.
Privilegia non revocanda,*art.*8.§.17.*n.*16. *&* 17.*pag.*721.
Privilegium quid ſignificet, *art.* 2. §.17. *n.*12.*pag.*205.
Probus nuncupat Regaliam jus extraordinarium à privilegio & conſuetudine procedens, *art.*7.§.19.*n.*2.*pag.*659.
Probus Regaliam in feudis fundatam quo ſenſu doceat *art.* 1. §.4. *n.*10. *&* 11. *pag.*65.
Probus Regaliam in omnibus Eccleſiis locum non habere ſenſit, *art.*1.§.3.*n.*38. *pag.*57.
Probus varias diſtinguit Regaliæ ſpecies, non tamen ratione omnium, uſumfructum Eccleſiarum Regibus tribuit, *art.*1.§.3.*n.*28.*& ſeqq.pag.*52.
Provincia Provinciæ quandonam ad plenum dominium Regum Franciæ redierit, *art.*5.§.5.*n.*7.*pag.*487.
Provincia Provinciæ Regaliæ non ſubdita, *art.*5.§.5.*n.*8.*pag.*487. *Vide verb.* Fredericus.

R.

RAymundus Comes Toloſanus juri, Regaliæ ſimili, invitus non renuntiavit,

tiavit, *art.*4. §. 40. *n.*7. *&* 8. *pag.* 430. *Vide verb.* Toloſani Comites.

Reditus bonorum etiam non feudalium Regi tribuuntur à Regaliſtis, *art.*1. §.1. *n.*10. *pag.*15.

Regalia aliquando tenebantur citra uſumfructum, *art.*4. §.23. *n.*2. *pag.*391.

Regalia Coronæ non coæva, *art.* 1. §. 2. *n.*7. *pag.*34.

Regalia differt ab inveſtituris, licèt illis ſucceſſerit, *art.* 3. §.2. *n.*5. *pag.*221. *&* *art.*4. §.1. *per tot. pag.* 286.

Regalia differt à jure Vilitatorum,& Commendatoriorum, *art.*6. §.2. *per tot. pag.* 581.

Regalia dum injuſta eſt, an ſacrilegium dici poſſit, *art.*5. §.1. *n.*8. *&* 9. *pag.* 467.

Regalia plurali numero pro feudis à Rege collatis frequenter accipiuntur, *art.* 4. §.5. *n.*2. *pag.* 317. §.15. *n.*2. *pag.*358. *&* *n.*4. *pag.*359. *&* §.34. *n.*2. *pag.*419.

Regalia juribus feudalibus non ſucceſſit, *art.*3. § 5. *n.*8. *pag.*253.

Regalia locum non habuit ſub Clodovæo, *art.*2. §.1. *n.*2. *pag.*77.

Regalia locum non habuit ſub Regibus Chriſtianiſſimis primæ & ſecundæ Dynaſtiæ *art.*2. *per tot. pag.*76.

Regalia variè accipitur, *art.* 1. §. 1. *n.* 9. *pag.*13.

Regalia in omnibus Eccleſiis locum non habet, *art.*1. § 4. *n.*12. *& ſeqq. pag.* 66. §.19 *per tot. pag.*382. §.36. *& ſeqq. pag.* 421. *art.*5. §.21. *& ſeqq. pag.*531.

Regalia pendet ex conſuetudine, *art.* 5. §.22. *n.* 54. *pag.* 560. *art.* 7. §. 19. *n.* 2. *pag.*659. §.20. *n.*2. *pag.*660. *&* *art.*8. §.12. *n.*1. *pag.*700.

Regalia quamvis ex ſe injuſta poteſt ex conſenſu Eccleſiæ juſta evadere, *art.* 5. §.1. *n* 4. *& ſeqq. pag.*464.

Regalia quando claudatur, *art.*1. §.1 *n.*37. *& ſeqq. pag.* 28. *& art.*4. §.33. *n.*2. *pag.* 418.

Regalia quid ſit, *art.*1. §.1. *n.*1. *& ſeqq. pag.*9.

Regalia quo ſenſu poſſit dici jus Regium, *art.*7. *per tot. pag.*639. *præſertim autem* §.12. *n.*5. *& ſeqq. pag.*653.

Regalia ſoli Regi competit ſecundùm Regaliſtas, *art.*1. §.1. *n.*5. *pag.*11. *&* *n.*7. *pag.*12.

Regalia ſoli Regi revera non competit, *art.* 1. §.1. *n.*6. *pag.*11. *&* *n* 8. *pag.*13.

Regalia ut juſta probetur, fit circulus à jure feudorum ad jus cuſtodiæ, *art.*4. §. 1. *n.*25. *pag.*299.

Regaliæ exercitium juxta conſuetudinem limitandum, *art.*4. §.10. *n.*3. *pag.*342. §.29. *n.*2. *&* 3. *pag.* 403. *art.*5. §. 22. *n.*62. *&* 63. *pag.*566. *&* *n.*71. *pag.*572.

Regaliæ extenſio, *art.* 5. *per tot. pag.* 462.

Regali e extenſio Regis Chriſtianiſſimi conſcientiæ periculoſa, *art.* 7. §.25. *n.*7. *& ſeqq. pag.*671.

Regaliæ extenſio ſine novis titulis ac rationibus facta, *art.*5. §.22. *n.*72. *& ſeqq. pag.*573.

De *Regalia* extenſione tantùm agitur in hâc Diſſertatione, *Præfat. P. Alex. n.*1. *&* 2. *pag.*1.

Regaliæ fundamentum an ſit cuſtodia Eccleſiarum, *art.*1. §.3. *per tot. pag.*38. *&* *art.*2. §.1. *n.*3. *pag.*77.

Regaliæ juſtitia ex Eccleſiæ conceſſione pendet, *art.*1. §.2. *n.*42. *pag.*31.

Regaliæ legitimus titulus utrùm ſint feuda, *art.*1. §.4. *per tot. pag.*60.

Regaliæ occaſione multa fiunt injuſta, *Præfat. P. Alex. n.*4. *pag.*3.

Regaliæ origo obſcura, *art.*1. §.2. *& ſeqq. pag.* 30. *&* *art.* 4. §. 40. *n.*19. *& ſeqq. pag.*433.

Regaliæ primum exemplum ſecundùm D. Marca, *art.*4. §.10. *n.*1. *&* 2. *pag.*341. §.15. *n.*12. *& ſeqq pag.*363.

Regaliæ progreſſus, *art.*1. §.1. *n.*2. *pag.*9. *art.*4. §.1. *n.*20. *pag.*297.

Rega-

Regaliæ remiſſio utrùm revocari poſſit, *art.* 2. §. 13. *n.* 13. *&* 14. *pag.* 158. *art.* 4. §. 40. *n.* 22. *& ſeqq. pag.* 433.

Regaliæ ſeu inveſtituræ jus an Coronæ coævum, *art.* 3. §. 13. *n.* 15. *& ſeqq. pag.* 281.

Regaliæ ſignificatum immutatum, *art.* 1. §. 1. *n.* 6. *pag.* 12.

Regaliæ tituli quot & qui ſint, *art.* 1. §. 3. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 38.

Regaliam jus Regium appellantium conſilium, *art.* 7. §. 24. *n.* 4. *pag.* 667.

Regaliam non eſſe jus Coronæ ſeu jus Regium, *art.* 4. §. 40. *n.* 20. *& ſeqq. pag.* 434. *art.* 5. §. 22. *n.* 57. *& ſeqq. pag.* 563.

Regaliam non eſſe jus Regium quantùm ad Beneficiorum collationem fatetur P. Alexander, *art.* 7. *per totum*, *pag.* 639.

Regaliam ubique locum non habere docent Officiales Regii & Profeſſores Juris, *art.* 5. §. 22. *n.* 76. *& ſeqq. pag.* 575.

Reges. *Vide verb.* Franciæ Reges, *& verb.* Principes.

Regeſtum cameræ computorum optimus titulus ad probandum Regaliam non habere locum in omnibus Eccleſiis, *art.* 5. § 22. *n.* 17. *pag.* 542. *& n.* 20. *pag.* 544.

Regi Chriſtianiſſimo jure Regaliæ plus poteſtatis tribuitur à Regaliſtis, quàm Epiſcopis aut ſummo Pontifici, *art.* 1. §. 1. *n.* 31. *&* 32. *pag.* 25. *& art.* 6. §. 8. *n.* 9. *pag.* 614.

Remenſis Eccleſiæ bona uſurpata & reſtituta, *art.* 2. §. 17. *per tot. pag.* 200. *& art.* 3. §. 12. *&* 13. *per tot. pag.* 273.

Remenſis Eccleſiæ privilegium, *art.* 2. §. 17. *per tot. pag.* 200. *& art.* 3. §. 13. *n.* 8. *pag.* 277.

S. Remigius utrùm ad juſſionem Clodovæi Clericum ordinaverit, *art.* 2. §. 2. *n.* 1. *& ſeqq. pag.* 88. *& art.* 3. §. 3. *n.* 15. *pag.* 234.

S. Romanus utrùm fuerit à Clodovæo II. inveſtitutus, *art.* 3. §. 2. *n.* 8. *pag.* 224.

Ruzæus ex Benedicto vocat Regaliam Jus cœlitùs Francorum Regibus conceſſum, *art.* 1. §. 2. *n.* 48. *pag.* 36. *& art.* 7. §. 18. *n.* 2. *pag.* 657.

Ruzæus quo nomine collationem Beneficiorum tribuat Regibus Chriſtianiſſimis, *art.* 1. §. 3. *n.* 18. *& ſeqq. pag.* 45.

S.

Senonenſis Eccleſiæ Regalia, *art.* 4. § 41. *per tot. pag.* 459.

Sextus liber Decretalium an receptus in Gallia, *art.* 5. §. 20. *n.* 5. *&* 6. *pag.* 530.

Sigiſmundus an bona Eccleſiarum Laicis contulerit, *art.* 3. §. 3. *n.* 32. *& ſeqq. pag.* 244.

Simonia olim in electionibus Epiſcoporum frequens, *art.* 2. §. 1. *n.* 6. *& ſeqq. pag.* 78.

Spolium Epiſcoporum ad Principes non pertinet, *art.* 4. §. 9. *per tot. pag.* 338. §. 11. *n.* 2. *&* 3. *pag.* 344. §. 36. *& ſeqq. pag.* 421. §. 40. *n.* 4. *&* 5. *pag.* 428. *art.* 5. §. 6. *n.* 2. *pag.* 490. §. 13. *& ſeqq. pag.* 502.

Subſidia Principibus ab Eccleſiis aliquando præſtanda, *art.* 3. §. 4. *n.* 4. *pag.* 247. *&* §. 5. *n.* 9. *pag.* 254.

Sueſſionenſis Eccleſia Regaliæ ſubjecta, *art.* 4. §. 29. *per tot. pag.* 401.

Sugerii laus, *art.* 4. §. 15. *n.* 8. *pag.* 361.

Sugerius quo ſenſu locutus ſit de Regalia, *art.* 4. §. 15. *per tot. pag.* 357.

T.

Toloſana Eccleſia Regaliæ non ſubdita, *art.* 4. §. 36. *n.* 4. *pag.* 422. *&* §. 40. *n.* 46. *& ſeqq. pag.* 448.

Toloſani Comites abuſui Regaliæ ſimili renuntiarunt, *art.* 4. §. 36. *&* 37. *per tot. pag.* 421.

Toloſani Comites renuntiantes uſui Rega-

liæ ſimili, non proprio jure ceſſerunt, ſed injuriam repararunt, *art.* 4. §. 40. *n.*2. *& ſeqq. pag.*428. *& n.*38. *& ſeqq. pag.*443.

V.

VAcatio Beneficiorum, ut Regaliæ ſubjiciantur, quot modis contingat, *art.*1. §. 1. *n.*31. *& ſeqq. pag.*25. *& art.*8. §. 13. *n.* 1. *&* 2. *pag.* 701.

Circa *Viſitatores* Eccleſiarum quæ olim fuerit Regum Chriſtianiſſimorum poteſtas, *art.* 2. §. 7. *per totum*, *pag.* 128.

Vulfadus Lingonenſis Eccleſiæ Epiſcopus judicio Hincmari intruſus & bona indebitè occupans, *art.* 2. §. 15. *n.* 41. *& ſeqq. pag.*180.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google